9.8


RES
BRASILIÆ
IMPERANTE
ILLVSTRIS.mo D.
I. MAURITIO
Naſſoviæ etc Principe.
per C. BARLEUM.
Accedit
G. Piſonis Tractatus
de Aere Aquis et Locis.
Cum S. C. M. Privilegio.
CLIVIS,
Apud Tobiam Silberling.
CMD

CASPARIS BARLÆI,

RERVM PER OCTENNIVM

IN

BRASILIA

Et alibi geſtarum,

Sub Præfectura Illuſtriſſimi COMITIS

I. MAURITII

NASSAVIÆ &c. COMITIS,

HISTORIA.

Editio ſecunda.

Cui acceſſerunt

GULIELMI PISONIS MEDICI

AMSTELÆDAMENSIS

TRACTATUS

1. De Aeribus, aquis & locis in Braſilia.
2. De Arundine ſaccharifera.
3. De Melle ſilveſtri.
4. De Radice altili Mandihoca.

Cum Grat. & Privil. Sac. Cæſar. Majeſt.

CLIVIS, ex Officinâ TOBIÆ Silberling/

M. DC. LX.

21.A.333

BOSTON MEDICAL
APR 8 - 1921
LIBRARY


C.V. Dalen junior sculp
QVA PATET ORBIS.


IOHANNES MAURITIUS
PRINCEPS NASSAVLÆ, COMES CATTI-
MELIBOCI, VIANDÆ AC DECIÆ, DOMIN.
IN BEILSTEIN. ORDINIS S.TI IOHANN.
HIEROSOLIMITANI PER MARCHIAM,
SAXON. POMERAN. ET VANDALIĀ MA-
GISTER. DUCAT. CLIVIÆ, PRINCIPAT.
MINDENSIS ET COMITAT.VS MARKÆ
ET RAVENSBERGÆ GUBERNATOR, &c.

ILLVSTRISSIMO COMITI
I. MAURITIO,
NASSOVIÆ &c. COMITI, BRASILIÆ BELGICÆ NVPER SVPREMO GVBERNATORI, &c.

BRASILIAM, imperio tuo armiſque fulgidam, tibi offero, Comes Illuſtriſſime. Si loqui illa poſſet & tecum paciſci, traderet ſeipſam Tibi. qui inſigni fortitudine aſſeruiſti & auxiſti BELGICAM; & Martis tui famâ metuque impleſti HISPANICAM, alterius vindex, alterius terror, utriuſque admiratio. Quod non poteſt vel hæc vel illa, faciam pro utraque; ea Narratione, quæ nec autorem ſuis factis, nec facta autori ſubducet. Quotquot Veterum res ſeculo dignas poſteris tradidere, priſci Orbis terminos non egrediuntur. Nos audaces tecum egredimur, in illum Orbem delati, quem toto ſemotum Oceano ſepoſuiſſe vi-

detur & abdidiſſe Natura, in tuos honores & Naſſavicæ domus gloriam. Romanis Græciſque ſcriptoribus Athenæ, Lacedæmon, Carthago, Roma, Latium, Galliæ, Germaniaque utramque paginam faciunt. Nobis Olinda, Pernambucum, Mauritiopolis, Tamarica, Parayba, Loanda, Mina, Maragnana, ignota priſcis vocabula. Tunc belli partes fuere Aſſyrius, Perſa, Grajus, Macedo, Italus, Pœnus, Allobrox, Cheruſcus. Nunc Tapujæ, Mariquites, Petivares, Caribes, Chilenſes, Peruenſes. Nec diverſis hic gentibus ſolùm, ſed commiſſis inter ſe Orbibus pugnatur. Olim Rhenus, Iſter, Rhodanus, Indus, Ganges magnarum rerum teſtes fuere. Nunc Maragnonus, Platenſis, Ianuarius, Afogadorum, Portus Calvi, Capivaribi & Biberibi flumina. Nulli Polybio noti Mulatæ, nulli Livio Patagones, nulli Tacito Angolenſes, Floro Mamolucchi, Suetonio aut Juſtino Nigritæ. at hæc noſtra nomina ſunt. Iſtis ſcriptorib⁹ in bellum ibat veſtit⁹ miles aut cataphractus. mei quoq; bellatores nudi. illi gæſis, parmâ, ſariſſis, bipennibus, falcatis curribus, inter meos arcu clavaque terribiles. illi Poliorceticis machiniſq; ad oppugnandum & repugnan-

gnandum violenti. hi, cum ſoli pugnant, talium inopes. Tunc Romanus Luſitanum vicit. Nunc Romanorum fratres & ſocii. ille ad Tagum. hi Oceanum ultrà. Quæcunque mihi ſcribenti ſe offerunt, nova ſunt, ſidere, ſolo, populis, moribus, victu, armis. Barbaries ferrum acuit in gentem diſciplinæ & ſancti moris capacem. hæc in efferos movit, qui humanitatem non exuere ſolum, ſed & cum ipſa humanitate hominem devorare palmarium putant. Tanto major virtus tua, quanto à virtutis ſede & domicilio abiviſti longius. ubi lenis fuiſti inter duros, urbanus inter agreſtes, inter cruentos manſuetus, inter veræ pietatis neſcios, pius. Quod dudum feceras domi, factum à te foris. nempe ut arma commodares Libertati & Religioni, Patriæ & Eccleſiæ, hominum ſaluti & mercantium cupiditati. utrumque Fœderatorum gloriæ. Præſtitiſti te militem adverſus Hiſpanorum fortiſſimos, Banjolam, Torrenſem, Barbalionem, Menezam, ſurgentia in Occaſu lumina. nec militiam à legibus, à diſciplina, ab ordine abſolviſti. verùm majorum tuorum exemplis intrà recti terminos acriter retinuiſti. Eras in tenebrarum regno Phoſ-

Phoſphorus, inter peregrinos & alienigenas tribulis, inter avios dux, inter diverſiſſimas gentes idem omnibus Imperator. Cum Marte, qui domaret terras, traduxiſti Chriſtum, qui domaret animos, & inter tot victorias, quas meditabaris, etiam illa fuit, quam reportaſti de erroribus. Illud belli tui & militiæ erectioris grande documentum, quod inter tot Naſſovios, quos in hoſtem armavit domi ſua virtus, inter tot conſanguineos, Europæis bellis conſpicuos, fiduciam primus ſumſeris trans maria bellum tranſportandi & in ſuo hoſtem regno adoriundi. Nimirum hæc à veteribus hauſiſti conſilia, à Romanis adverſus Macedonas, ab Annibale & Antiocho adverſus Romanos. qui nihil ſe memoratu dignum geſturos arbitrabantur. niſi vim belli aliò transferrent. Vtique magni Duces anguſtiis domeſticis circumſepti, laxius virtutis meritique ſpatium foris quæſivere. Horum exemplo is fuiſti in Novo orbe, qui in Galliis fuit Metellus, in Africa Marius, in Germania Druſus, in Pannonia Trajanus. ut ſicuti hi trophæa exterorum ſuis inſcripſere columnis, tu eorundem animis chartiſque Belgarum inſcriberes. Appellationes

nes & nomina gentis tuæ dudum accepe-rant Americani, Naſſoviorum neminem. ut non aliorum narrationibus notus Braſiliæ habearis, ſed proprio vultu & Marte. Vbi Arces ipſe & urbes condidiſti, ubi hoſtiles viciſti, Mauritii nomen iiſdem inſcripſiſti, & AMERICANI, inter tot Domus tuæ Heröas, cognomen ſolus meruiſti. Inter bella, adventante potentiſſima Hiſpanorum claſſe, ædificaviſti. ne videreris hoſtium metu temerè abiturus aut de Republica deſperaſſe. ut cum Friburgum & Boaviſtam intuebuntur Anthropophagi, Naſſovicæ magnificentiæ & illuſtris præſentiæ domicilium agnoſcerent. Induſtriam tuam loquentur ducti per flumina ad ſtuporem Pontes in uſum & ſecuritatem publicam. Militarem fortitudinem Portus Calvus, Siara, littora Tamaricæ, Paraybæ, Fluminis Grandis, in Afris Æthiopum, in Maragnanâ Luſitanorum, cuncta navalium aut terreſtrium ſub Te præliorum conſcia, prædicabunt. At piæ & circumſpectæ moderationis teſtes erunt diſcordes fide & cultu populi. Æquitatem laudabunt vicinarum in hoſtico urbium & provinciarum Rectores, clementiam & huma-

nitatem Barbari. Cum poſt ſecula aliquot indigenæ, Luſitanus Barbaruſque, Sigillorum tuorum inſignia per Præfecturas omnes conſpicient, agnoſcent Naſſovicam fidem; cum aucta & dilatata per te imperia, memorabunt Ducis potentiam, prudentiam, felicitatem; cum in deſertis Copaobæ ſuſpenſa ad cippos & lapides Societatis monumenta adſpectabit viator, exteri Rectoris indefeſſa ſtudia, & gentis, per avia lucri cupidine digreſſæ, motus mirabitur. At cum pudere ſe inter noſtros & veſtitam incedere intuebitur Barbaries, Europæorum tuorum honeſtati imputabit priſci pudoris velamenta. Ipſa Olinda, civitas & nomine & vultu olim pulcherrima, nunc ruderibus deformis, in maxima ſua clade illud admixtum gratulationis habuit, quod cum ſibi incolumi ſtare non licuerit, utpote aliorum victoriis perditæ; tua commiſeratione leniter fuerit habita. qui lugubrem caſum ſæpè intuitus, tantæ urbis fatis indoluiſti. Proponatur in conſpicuo ruentis Olindæ facies & ſurgentis in laudes tuas MAURITIÆ. non dubitabunt homines, utro ſpectaculo magis delectentur. Nam ſi flebile eſt in ſacros penates exercere arma, jucun-


cundum profectò & laudabile ſit oportet; Deo delubra, civibus domos condidiſſe. prius, ut in Creatorem ipſum, poſterius, ut in homines, hoc eſt ipſius Dei imaginem, amor tuus reflecteretur. Ita aliis Te virtutibus hoſti terribilem, aliis tuis amabilem feciſti. illis immenſam gloriam, his amorem benevolentiamque omnium promeritus. Inveniſti medium iter inter hoſtes & noſtros, inter efferos & lenes. ut quos Batava virtute viciſſes, Batava manſuetudine honorares. Loquar ſumma. cum venires, erexiſti lapſa, depravata correxiſti, exanimata recreaſti. cum abires, (res clamat) Senatus vindicem, plebs parentem, Reſpublica ordinem, leges cuſtodem, pietas exemplum, Belga reverentiam, Luſitanus fidem uno & eodem momento viſa ſunt amiſiſſe. Hæc dum oculis tuis ſubjicio, Comes Maxime, animos addo præclarè de Republ. & Societate merito; dum Belgarum judiciis, ab eorum æſtimatione mercedem aliquam impetrabo tuæ fortitudini; dum exterorum, convincam non omninò iniquos de belli Belgici fortuna & proſperrimis ſucceſſibus; dum Societati & Rectoribus prudentiſſimis, cauſſæ

repertæ ſunt, cur gloriæ bellicæ ſatis, lucrorum minus, in tantorum moliminum apparatu, reportaverint. Dignare patrocinio tuo ſcriptorem, licet validiore ſpiritu per te geſta, remiſſiore ſcripſerit. Da vero, da Hiſtoriæ huic tranquillitatem. quæ quia argumento tota tua eſt, Illuſtriſſimo tuo nomini inſcribitur & conſecratur. aſſere illam, aliorum potius nixam teſtimoniis & fide quàm meâ. labaſcet illa, cum ora omnium oculoſque, quibus imperaviſti, per quos pugnaſti, etiam hoſtium quos viciſti, falſi redarguent invidia, perverſitas, credulitas. Amſtelod. xx Aprilis, Anno CIↃ IↃ C XLVII.

ILLVSTRISSIMÆ TVÆ
EXCELLENTIÆ

cultor humillimus

CASPAR BARLÆVS.


BRASILIA
SUB REGIMINE
BATAVORUM.
Capitania de Cirîji
Capitania de Paranambuco.
Capitania de I. Tamaraca.
Capitania de Paraiba.
Capitania de Rio Grande.
Rio S. Francisco
Olinda
Frederick Stadt
Allagoa de Zud
Allagoa de Nort
Fort Pº Cabro
S. Miguel
F. Mauriti
R. Acupe
R. Seregippe de Conde
R. Pernamerin
Toro do Gracia
Real
R. Tappecuru
R. Real
R. Vazabazes
R. Seregippe
Coqueros
S. Isabel
Gartabe
R. Perquera
R. Scorgoriba
Pº de Albaroen
Pº de Mel
Pº de Mello
Salina Grande
Aldea Vewaßou
Groote Salines
Soutpan
Cleyne Salinas
R. de Gramama
Caysa
Bazos Salina
O. Bran: dibe
Soapary
Allagoa
Baros de S. Roque
Monguapa
Conbao
N.S. de Guya
Garacu
Goiana
R. S. Miguel
R. Allagoa
R. S. Anthony
R. Porto Cabo
R. Grande
I. S. Aleixo
I. Walcheren
Cabo de S. Augustin
Pº de Maria
R. Gargau
Fort Orange
C. Blanco
Fort Ceulen
Rio Grande
Milliaria Germanica 15 uni gradui reſpondentia.
Milliaria Hiſpanica 17½ uni gradui reſpondentia

CASPARIS BARLÆI, RERVM PER OCTENNIVM IN BRASILIA GESTARVM

Sub Præfectura Illuſtriſſimi COMITIS

IOANNIS MAVRITII, NASSAVIÆ, &c. COMITIS,

Nuper terra marique ibidem Imperatoris, nunc Equitum Federati Belgii, ſub PRINCIPE AURIACO, ductoris, & VESALIÆ Gubernatoris,

HISTORIA.

BOSTON MEDICAL APR 8 - 1921 LIBRARY

EX quo hoſtis eſſe cœpit Hiſpanus & à Federatis Belgico-Germaniæ Patribus itum fuit in Philippos; varia fortuna, terra ac mari, domi foriſque, non uno Duce, inter libertatis ſpem & ſervitutis diſcrimina, accriter & diu pugnatum fuit. Cauſſæ, tot ſcriptoribus memoratæ, in aperto ſunt. quas pro partium ſtudio alii alias habent. pronis hominum ingeniis, in eos rejicere calamitates publicas, quos oderunt, & principia cauſſaſque belli eadem putare. Plurimi ignari poteſtatis Belgarum, beneficio Principum firmæ, parum æqua rerum

Bellum Belgicum.

Cauſſæ.

judicia induunt. Non defuere Regi obtentus, armis invadendi Rempublicam, acceptis in deterius, rebellionis ſpecie, quæ acciderant; nec Belgarum populis cauſæ animique, illa depellendi, odio adverſus dominantes, & vindicanda libertate, qua attentata irritabiles ſunt & validi. *Magnitudo.* Magnitudo & vis belli non Belgium ſolum omne, ſed & Germaniam, Galliam, Britanniam, Hiſpanias & vicina quæque loca involvit, imò Europam pene univerſam: donec, auctis nocendi viribus, ſe in extrema Aſiæ, Africæ littora & Novum Orbem tempeſtas diffudit. MALO Principum more, dum naſcentibus malis obviam ire negligunt, gliſcentibus vix poſſunt, inveteratis deſperant. Nec aliis terminis ſtetit Fama. *Fama.* *Diuturnitas.* Diuturnitas à cauſſis eſt. dum enim amiſſa repetere pergit Rex, nos tueri; ille vim inferre, nos prohibere; nulla, primis motibus, fidei, nulla concordiæ ſpe, perſeveravere bella in hunc diem. niſi quod duodecennales Induciæ armis moram conceſſerint & iris. ADEÒ odia ex afflicta libertate nata, etiam ultrà periculum durant, & ne tunc quidem deſinunt, cum, qui primi nocuere, eſſe deſierunt. *Ius.* Ius belli in patriis legibus & Regiis promiſſis omne poſitum eſt, quibus violatis, illa tot ſeculorum Reſpublica, exemplo majorum, arma in Romanos ſumentium, bellum, abdicato Rege, condixit, tanto honeſtius, quanto patriam,

liber-

libertatem, vitas fortunaſque civium, (quæ prima mortales putant) tueri, non æquum modò, & neceſſarium, ſed etiam glorioſum videbatur. Toto tumultuum Belgicorum tempore, permixta ivere claris & grandibus virtutibus paria vitia; pietatis & religionis ſtudio plebei furores, Regis amori Hiſpanorum faſtus, libertati licentia, Majeſtatis patrocinio legum contemtus, ſuperſtitioni impietas & ſacra ſimulatio, publicæ fidei perfidia, fortitudini & diſciplinæ militari exlex militum in divina pariter & humana ferocia. Magnum ſemper in Ducibus momentum fuit; quorum alii callidis, alii ferocibus, alii lenioribus conſiliis uſi, res Regis ſui vel promoverunt vel perdiderunt. Federatis præcipuum robur fuit ab ordine, diſciplina, ærario, vicinorum Principum federibus & Naſſoviorum Ducum fide, prudentia & fortitudine. quibus innixi muniimentis, hoſtibus terribiles ſe præbuere, ſuis ſecuritatem, per luctantis Imperii ſtupendos caſus, peperere.

Virtutes & vitia.

Duces.

Etenim prima Reipubl. facies jacenti & oppreſſæ ſimilis fuit, ſub Albani dominatu. qui miſſus cum immitibus mandatis, ipſe immitis ingenii Dux, in Procerum civiumque capita & fortunas ſævire, Regis imperia fatebatur. quin ſolum ſibi ferociæ ſuæ terrorem circumdans, ſuperbo & indigno Statuæ ſpectaculo Optimates calcabat, ac inviſa jactatione famam hominum ad odium ſui, fa-

Belli tempora.

ta ad ultionem provocabat. Secunda reſurgentis fuit & ſe ſub GUILIELMO Arauſionenſium Principe moventis iterum. qui qualem ſe afflictiſſimis Belgis præſtiterit, nondum exprimere valuerunt ſummorum ſcriptorum miranda ingenia. Hæſere ſub hoc & Filio, paternæ ſtationis ſucceſſore, Fata, quæ nobis dominum imponerent; Regibus oblata imperia detrectantibus, & hoſtium fortuna ſimul & potentia penè victis ac deſperatis impatientiam ſuadentibus. Qui vagientis Reipub. regimen ſuſciperet, quærebatur foris, nec inveniri tunc potuit. manifeſto documento, NON humanis ſed divinis conſiliis poteſtates dari. Exiguæ primum vires Hollandiæ Zelandiæq́ potiſſimum terminis circumſcriptæ fuere. mox acceſſio facta Gelriæ, Tranſiſalaniæ, Friſiæ partis & Groningæ omnis. uſque dum Brabantiæ quoque & Flandriæ ora validiſſimis præſidiis inſeſſa fuit. adeò ſucceſſus ſuos urgere paratus populus explicuit potentiam, & ſupra quàm credet poſteritas, propitio Numine, emerſit. Tertia facies robuſtæ fuit, ac triumphantis, ſub MAURITIO & FREDERICO HENRICO, fulgentiſſimis Fratribus, Arauſionenſium Principibus, Reipublicæ, & non ſe ſolum tuentis, ſed & foris quoq; arma capeſſentis. Prolatis namque quaquaverſum, velut æſtu ac torrente fortunæ, finibus, depulſis exercitibus, confectis tot proſperè prœliis, obſidionibus

Bellum domeſticum.

nibus

nibus toleratis fortiter; fortius illatis, liberi domeſtico metu, ſigna claſſeſq; in Hiſpaniā, in Afros, in Orientem & Occidentem ac ignotum Veteribus Orbem intulimus & quod nobis intulerat bellum, Regi remiſimus. Fuſæ trans vaſta exterorum regnorū ſpatia Potentiſſimorum Ordinum appellationes. conditæ hic ſub Aurora, illic ſub Phœbi cubilibus, urbes & caſtella. inſcripta inſulis, promontoriis, littoribus, arcibus, oppidis Auriacorum & Naſſaviorum nomina. Barbari in provincias redacti. exutæ Eois & Americanis opibus Hiſpanorum rates, & in ipſo Braſiliæ littore exuſtæ. evulgato tandem imperii arcano, poſſe etiam Occidentem vinci. Ut jam verum eſſe deſierit, quod de Roma » Halicarnaſſeus olim ſcripſit, eam primam & » ſolam terminos ſibi potentiæ feciſſe Orien- » tem & Occaſum. In ea ſanè duravimus tem- » pora, quibus in noſtro quoque imperio, Solem utrumque, tot victoriarum teſtem, currere felices adſpectamus. Eſtque hoc omnibus Veterum exemplis majus, & inter ævi noſtri miracula, tantis bellis implicitam gentem, privatorum & paucorum civium ære, veluti collatis in hoſtis ſui perniciem ſymbolis, duplici bello, in partibus mundi toto hemiſphærio diſtinctis, potentiſſimum Regem fatigare & atterere. ut par fere hac tempeſtate terrarum Orbi Federatorum magnitudo eſſe videatur.

Bellum externum & tranſmarinum

Idque duplex.

Cauſa navigationis ad Indos.

Potuiſſet ſanè virtus noſtra intra ſe tuendi neceſſitatem & ſolitos Oceani limites contineri. Verum impedita in Hiſpanias, mox & in Orientem prohibita Regiis vocib⁹ noſtratium navigatione, latius vagari cœpit, & aquis innutrita gens, velut excuſſo cupiditatis freno, in longiſſima Orbis loca abiit, etiam eas vias affectando, quas Natura homini negavit. QVIPPE mercantium mentes, fruſtratæ lucri ſpe, aſperius offenduntur & ab ipſis incitantur periculis. Ita ſtatuebant; mari, quod omnibus patet, privata Principum lege ſervitutem imponi non poſſe: non habere ſe domi neceſſaria, niſi aliunde arceſſant: rerum parentem etiam apud Indos Belgis ſalubria gignere: majora ſemper mercium è longinquo eſſe precia: admiſſis iſtic commerciis inutiliter adiri hoſticas terras: acciſum iri noſtrorum navigationib⁹ Hiſpani Regis opes: alibi occupatum, domi quietiorem fore: famam verò populi apud exteros latè differri, Regiam flagellari. Didicerant aliorum exemplis, navium beneficio detegi novos Orbes; religionem, opes, leges, mores & humanitatem ad diſtantes ſideribus populos transferri: magnæ ſemper potentiæ præſidium fuiſſe, mercandi libertatem. ſic Tyrios, Pœnos, Perſas, Arabes, Græcos, Romanos creviſſe. Quare in Ortum primum, mox & Occaſum cincta armis commercia navigavere, & duo veluti Principatus, duabus nixi Socieeta-

cietatibus, extra Europam conſtituti. Nimirum, quanto arctioribus terræ finibus incluſum ſe ſenſit Belga, tanto latiorem viam Oceano affectavit & mercatum imperiumq; cum Sole diffudit. Diſputatum ab Hiſpanis & Luſitanis an jure? quaſi poſt arma & bellum legibus & anxiis Iuriſconſultorũ litibus locus eſſet. Non obſtitit cœptis facta Luſitanis & Hiſpanis, per Alexandrum Sextum Pontificem, donatio, ut cui liberali licet eſſe de ſuo, non de alieno. Non præſcripta poſſidentibus tempora aut conſuetudo, quæ, in rebus ad totum genus humanum pertinentibus, locũ non habet. Non inventio, quæ nihil juris tribuit, in eas terras, quæ dominos ſemper habuere. Non belli titulus, qui non minus juſtus nobis eſt in Luſitanos, quàm Luſitanis fuit in Indos. Quò Naturæ & Gentium lex & mutua rerum indigentia vocabant, ivimus. Enimverò ACRE incitamentum audendi maxima, lucrum eſt. neſcit non jejuna ſolũ plebes timere, ſed & rebus carens, quæ ad vitæ faciunt elegantiam & commoda. cogunt in extrema diſcriminum mortalium pectora habendi & regnandi amor. Quà viam ſibi divitiarum cupiditas, ſternit juxtà ambitio. ubi ſedem illa invenit mercandi, hæc imperandi. vetus factum, ubi ſpolia & lucra maxima ſunt; acriora & certiora arma eſſe. *Eaque juſta.*

Et prudentum ſententia eſt, peſſimis conſultoribus uſum Regem, cum ab Hiſpania-

rum & Indiæ acceſſibus arceret Belgas. quibus Geometras ferre promptum ſemper fuit, Thalaſſometras nequaquam. Quò enim per maris incerta & locorũ immenſa ſpatia, adeoq; rei novitatem ire deterrebantur, neceſſitate truſi iter fecere, ipſi allaturi merces, quas à Venetis primùm, mox ab Hiſpanis & Luſitanis, petere conſueverant. Erant in illuſtri poſita veteris & recentis ævi exempla, quibus compertum, clauſa maria & impeditas negotiationes imperantibus pernicioſas fuiſſe. cum audacia & deſperatio nihil clauſum eſſe ſinant, quo minus navigiis pateat aditus. Cretenſes maris dominos non tulerunt Lydi, nec Lydos Pelaſgi, nec hos Rhodii, nec Rhodios Phryges. Horum dominatio Cyprios, hi ad æmulationem Phœnices provocavere. qui dum mare omne & piſcaturam ſibi vendicant, & edictis alios arcent, Ægyptii, poſt Mileſii, Cares, Leſbii, Phocæenſes & Corinthii mare obtinuerunt. Lacedæmonii, cum maris circumjacentis principatum arrogarent, audacius navigavere Athenienſes & leges impoſuere Laconib⁹, ut & Æginetis. Cùm Tyrii mare non vicinum modo, ſed quodcunque eorum claſſes adierunt, ditionis ſuæ feciſſent, exciti Carthaginenſes, Siculi & Africani maris domini, eadem, quæ Tyrii, loca frequentavere. Carthaginenſium maritimam potentiã fregere Romani. Pepigerant illi, ne ultrà pro-

Malis conſilius navigationes & commercia impediri.

Veterum de imperio maris contentiones.

montorium Africæ Pulchrum à Romanis iretur. Sed puduit nobilem populum, ablato mari, raptis inſulis, dare tributa, quæ jubere conſueverat. Accepere ab eodem leges maritimas Antiochus & Annibal, tunc cum univerſi maris dominus eſſet Romanus. non ſolum illius, quod intra Herculis columnas continetur, verum etiam ipſius, quacunque erat navigabilis, Oceani. A certa narratione eſt, ob interdictos aditus & commercia, bella exorta inter Iſraëlitas & Amorræos, Græcos & Myſos, Megarenſes & Athenienſes, Bononienſes & Venetos, Chriſtianos & Sarracenos. Nec alia fere cauſſa Caſtellanis ipſis, hoſtiliter invadendi Occidentalis Indiæ incolas, quàm quod communi portuum ac littorum uſu arcerentur. Nec injuſta de Romanis, apud Tacitum, querela eſt, quod gentium prohiberent commercia, & undam auramque cunctis patentem quodãmodo intercluderent. Ut jam quoque mirari libeat hoc hominum genus, quibus mos iſte barbarus placet, hoſpitio arenæ advenis interdicendi. Illud ab eventu & fato eſt, terram & aquam ſolis ſibi vendicantes, utraque excidere, irritata, potentiorum dominandi libidine, impotentiorum audaciâ. Nec fert Vniverſi Creator, omnium bono creatas aquas ab uno teneri, & inter paucos potentes dividi, quæ uſu omnium ſunt. Sed tulit me longius horum exem-

plorum relatio, ne aut novum quid incœptaſſe nos, aut ſibi eveniſſe, querantur Hiſpaniarum reges. Intereunt ſecula & homines, redeunt iidem eventus & cauſſæ. nunc ad rerum ordinem venio.

Navigatio Societatis ORIENTALIS *ad Indos veteres.*

Ac primum quidem poſt vagas aliquot & ſingulares in Orientem itiones, inito demum fœdere & privatorum civium ære, Societate, eò ire decretum, Anno currentis ſeculi decimi ſeptimi ſecundo. Præceſſerant Luſitani & Caſtellani. hos Veneti. penes quos antè annos centum & ultra, tota fere navigatio Indica fuit, per Alexandrinas trajectiones. quanquam his priores Arabes, Perſas, Sinenſes, à ſeculis aliquot ad hunc uſque diem cum Indis negotiatos fuiſſe, vera fama ſit. ante hos vero Carthaginenſes & Romanos: quod Hannonis à Gadibus in fines Arabiæ navigationes, Legationes Indorum ad Auguſtum & Claudium Cæſares, iter à Plinio deſcriptum, Strabo ſcriptor Aſiaticus & Tabulæ Ptolemaicæ commonſtrant. nec Venuſini vatis fide ſtare rem tantam attinet, cujus tempeſtate mercator impiger ad extremos Indos per mare, ſaxa & Solis ignes ivit. Per prima Belgarum itinera, non ſemper proſperam fortunam experti ſumus. uti in incerto poſita ſunt magnarum rerum molimina, ob labores, ſumptus, pericula: Verum aucta per damna virtute & quæſita ex ipſa deſperatione ſpe, victis quæ obſtabant

incom-

incommodis, tantis exin incrementis creve-re lucra, ut ſortem ſuam quiſque plus quam quadruplaverit. Quin ſpes metumque annuorum fructuum jam venales facit mercantum temeritas dicam an fiducia? A Venetis olim & Hiſpanis emptas merces, ipſi jam tantarum opum promi & condi gentibus late impartimur; quædam ſoli poſſidemus & pro arbitrio vendimus, quæ aliorum antè mercimonium fuere. Nec anguſtè hic mercamur aut imperamus. Sinum Arabicum & Perſicum & Perſidis littora navigamus. Moluccas pleraſque noſtras fecimus, inſulis pluribus, Taprobanæ, quæ nunc Sumatra, Iavæ majori, Tajowanæ ſive Formoſæ, aliiſq;, inædificavimus. quæ ſint Ptolomæi Sindæ & Baruſſæ perdidicimus. Sinenſes & Iaponenſes in mercaturæ ſocietatē pertraximus: cis ultraque Indum & Gangem claſſes mittimus: Auream Cherſoneſum, ubi Malacca eſt, victores tenemus. Cambajam illic, Narſingam, Malabar, Orixam, Bengalam, Pegu, Sian, Cambojam regna mercantes loquimur. Ormum, Spahanam, Colmandellam, Goam, Calecutium; ad Indi ripas Ardavatam, ad Gangem Benhalam, alibi Bantamum, emporia, adimus aut miramur. Imperatoriis vocibus Sophorum ſive Perſarum Regis, magni Mogolis & Iaponenſium Cæſaris adſueſcimus. Regum late amicitiis & federibus innexi, urbes, arceſque ad-

Succeſſus.

Celebes. Gilolo. Ceiram. Philippina.

Mercantium ad Orientem Amplitudo.

verſus vim & dolos potentiſſimorum hoſtium tuemur. Ærraria & pecuniæ ſociorum, mercantium robur & nervi, in littoralibus paſſim & mediterraneis ſedibus, procuratores, inſtitores & rationum magiſtros exercent: ut totus Oriens noſtratis quoque populi mercatu occupatus, invaleſcat opibus & Septentrionalium diteſcat negotiatione; nec exteri amplius & advenæ, ſed conſtitutis coloniis, indigenæ habeamur. Quæ laxis ſpatiis ille profert, eorum in Belgio horrea & conditoria adſpectamus, & natas ſub Aurora fruges Septentrionum filii digerimus. Piper, macis, nuces myriſticæ, cinnama, caſiæ ligneæ, caryophylla, borax, benzoinum, muſcus, ſtyrax, ſantalorum ligna, tinctorum terræ, lapis bezoardicus, ſanguis draconis, gutta gamba, thus, myrrha, cubebæ, rheum, ſacchara, ſal petræ, gummi lacca, zingiber, adamas, ſerici rudis & texti magna vis, tapetes & Sinenſium labor vaſa porcellana, forte veterum Myrrhina, noſtra mercimonia ſunt. Hæc navibus quotannis recondimus & vectamus in eas terras, quibus naturæ Opifex frigidorum condimenta negavit. Vt mirari hic libeat ſapientiæ divinæ grande momentum, quæ apud populos torridos naſci voluerit calida, apud frigidos frigida: nimirum, ut rerum quibus egemus mortales, permutatione, coirent populi, & communis egeſtas imperaret amicitias. Nec leve

Merces Orientalium.

Cur Oriens calida ferat.

leve ex his navigationibus robur ac decus acceſſit Reip. univerſæ, adverſus validiſſimum hoſtem pugnanti, diſtractis in Oriente regiis viribus, ereptis illi inſulis, Continentis littoribus, arcibus, diſturbatis populorum & regum fœderibus: ut mercator noſter bellatoris vultum & hic mercantis induerit. quippe in altero famæ & ſecuritatis, in altero vtilitatis cauſa agebatur. Et dubium profecto, an mercantium an pugnantium major fuerit gloria, mutuam operam navantibus, pecuniis & armis, Marte & Mercurio. Nec enim ſine armis via ad mercatus liberos patuit, nec defendi abſque virtute militari valuit. Et in eo differimus à Græcis & Romanis: quod his præcipua rerum ad gloriam, illis ad utilitatem dirigerentur. nobis miſta ſint famæ & quæſtus ſtudia. Vbi locuples hoſtis eſt, cupidi ſumus; ubi pauper, innoxii, ubi belliger glorioſi. Alia Germanis olim & Gallis mens, ad quos nullus mercatoribus aditus; cum nobis non Remp. ſolum ſed & Senatum mercator faciat. metuebant illi, ne rerum ad luxuriam pertinentium affluentia relangueſcerent animi, remitterentur virtutes. Nos, forte quod doctrina & recti conſuetudine firmiores adverſus vitia ſumus, præſidia hæc Reipub. minimè averſamur, ſed materiam illuſtrium virtutum putamus. Apud Romanos, OMNIS QVÆSTVS PATRI-

Ad Reip. robur & decus facit, Orientem navigari.

Mercatur Societas & præliatur.

Quid different Belgæ mercatores à Græcis & Romanis.

Quid à Germanis & Gallis.

Cur mercator hic Senatum faciat.

BVS INDECORVS VIDEBATVR. At Belgis Patribus decorus. apud quos avaritia liberalitate, ſordes magnanimitate & magnificentia confodiuntur; vilitas emendi ac vendendi imperantium authoritate & populi veneratione penſatur. Nec in regno hic nobis vivitur, ſed optimorum Repub. ubi quia rarior Nobilitas, honeſtiores Rempub. capeſſunt, & vitæ hoc genus amplexantur. Et crevimus profecto mercatura, cum Adriaticis, Florintinis, Genuatibus. quod & privatorum immenſæ opes, & urbium, præſertim maritimarum, dilatata nō ſemel pomœria, dubitanti probant. Itaque nec aurum per legitima bella quærere nefas nobis, nec per maria ultra terribile, nec mercando ptobroſum, nec ab hoſte injucundum.

Quantum ſua intereſſe has in Indiam expeditiones crediderit Hiſpaniarum Rex, ex eo manifeſtum fit, quod cum de Induciarum pactis diſceptaretur, nullam rem majori motu flagitaverint Hiſpanorum Legati, quam ut à commerciis Indicis abſtineretur. ut hac ſolum ſpe jura imaginariæ Majeſtatis remiſiſſe & quaſi liberarum provinciarum titulo nos compellaviſſe credi poſſit. Dudum fuit, quod vetus regnandi Philippus II. Indicam navigationem ſibi tanquam dominationis arcanum ſepoſuit. Etenim, cum Filiæ Iſabellæ, nupturæ Archiduci, transſcriberet

Momenta Navigationis Indicæ.

beret provincias Belgarum, vetuit cavitque rigide, ne ullo modo vel ipſa vel Archidux eorumve ſucceſſores quidquam commercii haberent, aut ſubditos habere paterentur, cum utriuſq; Indiæ populis. Si ſecus faxint, dominio Belgarum devolverentur, ut diſertis verbis perhibet ſolenne ceſſionis inſtrumentum. Quantum verò inde potentiæ, magnitudinis & authoritatis acceſſerit Reipub. noſtræ, quantum deceſſerit Majeſtati Hiſpanicæ, nullis certius quam hoſtibus conſtat. utique ſæpius grandibus damnis, navium ſuarum direptione, arcium amiſſione, didicerunt, quid navalis Batavorum manus bellica virtute poſſit. Magnum profecto ac invidendum fuit, privatos hoſce mercantium cœtus poteſtate imperiisque ſuis vaſtiſſima Orientis ſpatia complecti, ex eorum nutu tot inibi mortalium fortunas pendere, populos lætitiæ aut mœroris cauſſas concipere, reges coronis exui, aliis permitti, & iſta jurisdictione has ſurgere, illas ruere gentes, his libertatem dari, illis eripi, aut accidi.

Navigatio Societatis OCCIDENTALIS *in Occidentem.*

Immotus diu Occidens nondum arma Belgarum inſigni clade ſenſerat. Verum his ad Orientem ſucceſſibus excitatus idem Federatorum populus, nova Societate opulentiores quoſque & Hiſpano infeſtiores devinxit: quæ quia in Occidente belli & mercatus fortunam experiri voluit, OCCI-

DEN-

DENTALIS dicta fuit. Collata in hanc rem pecuniarum vis grandis. major, quam quæ in Oriente iſta audendi fiduciam fecit. Agitatum diu, an ex re eſſet publica & privatorum, Occidentem bello tentari. Qui autores erant, hæc afferre: Braſiliæ littora adverſus externum hoſtem invalida patere: remotiora terrarum, fama noſtrorum perterrita, inopino claſſium superventu labefactari poſſe: regias naves, opum Peruanarum in mari Pacifico traduces, ut & Novæ Hiſpaniæ & Terræ Firmæ luculenta mercimonia, primi occupantis fore: iſtis opibus bella Europæa ab Hiſpanis geri, his fruſtratos placabiles fore & minus terribiles: merces & ſperata hic ſpolia ſufficere redimendis belli & mercantium ſumtibus: ſolos ſaccharorum reditus ſolari poſſe impendia: non magis Occidentalibus novercam eſſe naturam, quam Orientalibus: Barbaros Luſitanorum potentiæ & dominationis impatientes, facilè Regis imperia excuſſuros: trajectum adhæc in Novum Orbem nec longi temporis eſſe, nec tot diſcriminum: non magis deſperandum de Americana, quam Aſiatica navigatione: tantarum rerum apparatu millena hominum occupari poſſe: qui ab egeſtate & turbidis conſiliis metuendi eſſent, niſi ejuſmodi laboribus ab otio rebuſque novandis averterentur. utile eſſe in magno populo exhauriri

Diſceptatio, an ea expediret.

Rationes Suaſoriæ.

ſenti-

ſentinam & ſecerni nocitura, uti in affectis corporibus expedit peccantem vel copia vel maligna qualitate ſanguinem mitti. Vrgebant, mercatura & negotiatione ſtare Federatorum res, ideoque laxanda quaquaverſum mercantibus quæſtus faciendi ſpatia: eadem hæc auſos & aggreſſos fuiſſe Britannos: ſic Græcos, ſic Romanos invaſiſſe hoſtium terras, avertendis patrio ſolo bellis: adeſſe nauticos & milites laboribus maris & præliorum promtiſſimos, nec ulla re magis celebrari poſſe gloriam & decus unitarum Provinciarum, quam ſi duos orbes, veterem Novumque, commerciis ac navigationibus nectant: hanc libertatem lege naturæ communem, & tot illuſtribus victoriis & hoſtium cladibus tutam, non debere negligi: aliaque movendis animis lucri cupidis apta. Qui religioſiores erant, cauſas à religione & doctrinæ purioris propagatione petebant: hanc in tenebrarum regno cœcutientibus populis accendendam facem: non imperia ſolum humana, ſed & Chriſti proferenda eſſe: cum mercantium commodis ſalutis tot gentium curam jungi debere & poſſe; ſic negotiationes pias, pietatem utilem fore. Quotquot autores non erant, illa exaggerare: belli hanc Societatem fore, non mercatus: penitiora Occidentis caſtellis præſidiiſq; invicta hoſtem externum contemnere: Braſilienſium maritima vinci poſſe, victa defendi *Diſſuaſoria.*

 fendi

ſendi minus, ob Barbarorum vim & continuas terras: non inſulas hic, ut ad Orientem, expugnandas, quibus ad tutelam eſt circumfluum mare, ſed Continentem, incurſionibus mediterraneorum oportunam: Barbaros in convictum, mores, religionem Luſitanorum ultrà ſeculum tranſiiſſe: & hoſtili in nos eſſe animo: Societati Orientali hæc cœpta damno fore, diſtractis in plures claſſes & mundi partes navalibus ſociis & armis: faciles fore ſimultatum occaſiones inter illam, & hanc novam, ob lucri invidiam: communes aliquot merces, & eaſdem belli ac mercatus neceſſitates, arma, militem, navalia inſtrumenta & nauticos: non poſſe ab Occidente eos reditus ſperari, qui ſufficiant tuendæ, etiam cum parta fuerit, per bellum fortunæ: nec eſſe irritandam novis bellis maximi Regis potentiam, nec prudentiæ fore, oſtendere, quantis rebus impares ſimus: tentaſſe hæc ipſa Britannos, ſed terribili magis, quam utili ſucceſſu. Qui anxiè pii habebantur, ajebant, injiciendum dominationis ſtudio frenum: ſufflaminandam quidvis ad ſe pertrahendi cupiditatem: ſtolide hoc & irreligioſe tentari, ut omnibus regnis exuatur Hiſpana Majeſtas; ſuppetere ambitionis ſatis Batavis ad invadendum omnia, non virium ad cuſtodiendum: magnam potentiam finitimorum invidiæ primum, mox & odiis locum facere: ideò fortunam reve-

rentes

rentem habendam ab iis, qui ex humili in hoc ſecuritatis faſtigium aſſurrexiſſent: ſatius fore, ſi ubi conſiſtendum ſit nobis deliberetur, quam quo abeundum ſemper. plura adeptos magis in lubrico eſſe, illos tutiores, qui viribus ſuis modum imponunt. Belgas labori & patientiæ aſſuetos, externarum deliciarum contagione & ocio ſolvi & hebetari. Hiſtoriarum & veterum exemplorum periti perhibebant, Barbarorum voces eſſe: SVA RETINERE, PRIVATÆ DOMVS, DE ALIENIS CERTARE, REGIAM LAVDEM ESSE, MAXIMAMQVE GLORIAM IN MAXIMO IMPERIO PVTARI. Cavendum ſapienti populo, ne dum immodica appetit, quæ obtinet, amittat. præſertim Chriſtiano, ne in ipſum quadret, quod de Romanis dixit Galgacus, Britannorum Dux: quos non Oriens, non Occidens ſatiaverit: qui omne ignotum pro magnifico haberent, & poſtquam deeſſent ad victoriam terræ veteres, novas ſcrutarentur, etiam ultra mare. Hanc ambitionem exprobrare Scythas Alexandro, quod altera manu Orientem, altera Occidentem contingere allaboraret. quin & infelices illos judicari à Seneca, qui jus dominandi trans maria cupiunt mittere. Hæc vulgi, hæc ſapientum ſermonibus ferebantur, apud gentem rei ſuæ & hoſtis damnis valde intentam, Et prævaluere poſt longa conſulta & moras,

Sen. Ep. 113.

Edictum Federat. Ordd. de permiſſa in Occidentem navigatione in annos XXIV.

qui Americanum iter ſuadebant. ratumque hoc fecere Reipub. Patres ſolenni Edicto, quo cautum, ne cui ſubditorum fas ſit, intra annos viginti & quatuor, Novum orbem & adverſa Africæ littora ob negotiationes adire, præterquam novæ Societatis ſociis. Impetrata in hanc rem indulta & auxilia publica, & legibus adſtricta expeditio, quæ Diplomate Potentiſſ. Ordinum enarrantur.

An Veteribus notus fuerit Americanus Orbis.

Latuere hæc loca Veteres, ut ne quidem famam ſui ad nos tot ſeculis tranſmiſerint. Quæ Plato in Critia & Timæo ex Solonis, hic ex relatu Sacerdotum Ægyptiorum perhibet, de Atlantica Inſula, extra Fretum Herculeum poſita, in quam paucorum ex Hiſpania dierum ſit trajectus, quæ Europæ Aſiæque par magnitudine, Africam Ægyptum uſque, Europam ad Tyrrhenum mare, armis poſſederit, auri argentique ſit ferax; utpote fabulis & ubere falſo permixta, Ameticam ſegniter, Vtopiæ aliquod regnum & luxuriantis in Platone ingenii commenta certius monſtrant. Diodori Siculi magnam Inſulam, Occaſum verſus, in quam Phœnices, lecto Africæ littore, tempeſtate abreptos ait, Americam eſſe, interpretum placita ſunt, non ſeria veri oracula. Nec enim metus erat, ut ad antropophagos, & ferinæ indolis gentes, relicta Carthagine confluerent cultiores Pœni; ut neceſſe fuerit prohiberi edictis Carthaginenſium in illam trajectiones.

Diod. Sicul. l. VI.

nes. Senecæ Tragici carmina de laxandis Oceani vinculis, detegendis novis orbibus & non ultima Thule, poëtarum vaticinia & adulantis Claudio Cæſari vota habent. Quæ de nummo Imperatoris Auguſti effigiem exhibente & in aurifodinis alicubi invento, narrat Lucius Marienus Siculus in Chronico ſuo Hiſpaniæ, ſpecioſè dicuntur, creduntur ſtupidè. Tale & illud, quod Hiſpanis adlubeſcit: in Chilenſium provincia, quæ Cautena dicitur, oppidum eſſe, quod Imperiolam hac de cauſa nominant, quoniam in pleriſque domibus & portis repertæ fuere Aquilæ bicipites, quales & hodie videre eſt in Romani Imperii ſignis. Neque enim ſilentio tantam rem involviſſent, quotquot Auguſti & Romanorum geſta accuratè edidere ſcriptores, aut miraculum crediſſet Tacitus, illuſtris Reipub. Rom. Senator & Conſul, Vſipios Britanniam circumvectos, ſiquidem in Americam itum fuiſſet. Quid? quod Britanniam & mare glaciale terrarum finem, Naturæ terminum, neutiquam appellaſſet. ILLVC VSQVE ET FAMA VERA, TANTVM NATVRA. Nec majoris fidei ſunt, quæ Ammianus recenſet, in Obeliſcis Ægyptiorum ſculpta conſpici volucrum ferarumque, etiam alieni mundi genera multa, cũ facile illi fuerit, alieni mundi appellatione indigetare tranſmarinos Afros Europæos, vel remotiores Indos. Nec

In Medea.

lib. 19. rerum Hiſp.

lib. 17.

Ariæ Montano, viro alias gravi & ſerio, habenda fides, qui Solomonis claſſem ab Heziongaber huc navigaviſſe autumat, & moram navigantiū triennalem & merciū varietatem & locorū aliquot & inſularum interjacentiū ſitus, Americæ convenire. nec enim aſſequi poſſunt rei nauticæ periti, qui trajici poſſint immenſa Oceani ſpatia, fluxib⁹ & refluxibus obnoxia, abſq; magnetica directione. merces à ſacro ſcriptore deſignatæ, ex Aurea Cherſoneſo, ubi Malacca hodie eſt, vel Africæ littoribus Auſtralibus, peti potuere. Parvaim, cujus ſancta pagina meminit, Peru eſſe & Novam Hiſpaniam, conjecturæ ſunt graciles. Si litterarum aliqua communio in re tanta pondus habet, credam ad Afros potius iviſſe Solomonem, lecto littore; cum minus diſcrepent Ophir & Afer, quam Peru & Parvaim. Sed hæc Grammaticorum pulpam ſapiunt. Ariſtotelis narratio de Inſula à Carthaginenſibus inventa extra Herculis columnas, quæ ſilvas haberet & flumina apta navigiis, ac plurium dierum itinere diſtaret, Britanniæ magis aut Canariis Inſulis, quam Americæ convenire videntur. Illud non negaverim, veteres Coſmographiæ peritos, ratione potius & mentis agitatione, quam ſenſu & fama ſciviſſe, terræ adverſam aliam eſſe: mundi globum duabus oris diſtantibus habitabilem & cultum: quarum altera, quam nos incolimus, poſita ſub axe

Ariſt. de Admiran. lib. 8. de Cœlo l. 2. c. 4.

ad

ad ſeptem ſtellas: altera Auſtralis, ignota nobis. & hinc profectos Senecæ verſus de Novis orbibus & non ultima Thule, & illos Maronis, IACET EXTRA SIDERA TELLVS, EXTRA ANNI SOLISQVE VIAS. Vatem quoque agit Seneca, non veri teſtem, cũ in hæc verba loquitur: "Multa venientis ævi populus ignota nobis ſciet. "multa ſeculis tunc futuris, cum memoria "noſtri exoleverit, reſervantur. Puſilla res "mundus eſt, niſi in illo quod quærat, omnis "mundus habeat. Et: unde ſcio, an nunc "aliquis magnæ gentis in abdito dominus, "fortunæ indulgentia tumens, non contineat "intra terminos arma? an paret claſſes ignota "moliens! Vnde ſcio, hic mihi an ille ventus "bellum invehet! At antiquitus fuiſſe habitatam Americam, tum alia multa teſtantur, potiſſimum imperii certa & conſtans ratio, ſuperba urbium & viarum ſtructura, ædificiorum ſplendor, hominum frequentia & mores, qui nihil novi præ ſe ferunt. Nec enim potuerunt à minimis ad maxima provehi, niſi longa temporis mora. Primus certè proavorum memoria, ultra Atlanticos fluctus, Occidentem verſus, terras populoſque aperuit, Chriſtophorus Columbus Genuas, qui acris admodum ingenii vir, cũ extra Fretum Herculeum & Gades delatus, frequentiores ventos Occidentales obſervaſſet, quos non niſi è terris ſpirare magna

Cicero in Somnio Scipionis.

lib. 7. Quaeſt. c. 31.

Quaeſt. 5. C. ultimo.

Antiquitus habitata America.

Primi inventores.

ratione didicerat, poſt vanas apud Principes plurimos ſupplicationes, tandem Ferdinandi & Iſabellæ Caſtellæ regum auſpiciis anno CIↃ CCCC XC ſecundo, emenſo ingenti Oceano, ad Occidentis inſulas Hiſpaniolam, Cubam, Iamaycam, appulit. Quem ſecutus Americus Veſpucius Florentinus, unde Americæ appellatio, Emanuelis Regis Portugalliæ mandato, idem iter auſus, Pariam & Braſiliam in Novi Orbis Continenti primus tenuit. Poſt quos, Magellanus, Dracus, Candiſchius, Nootius, Ralegus, Forbiſcherus, aliique Argonautæ, Americæ alia prodidere. Quæ frequentata poſtmodum Luſitanis, Caſtellanis, Belgis, Anglis, Gallis mercatoribus, quæſtus uberrimam non ſpem ſolum ſed & materiam præbuere. At Hiſpaniarum Regi, cui per tot annos inſeſſus fuit univerſus pene Americanus orbis, coloniis, armis, caſtellis, imperii Auſtriaci grande munimentum exſtitere, & ob immanium opum annuos reditus, tot Europæ populorum flagellum & terror. Termini navigationis à Federatis Ordinibus Societati novæ conſtituti, ſi Africæ littora ſpectes, fuere Tropicus Cancri & quod Bonæ Spei Caput vocant; ſi Americam, Auſtrale Terræ Novæ latus & Anianis fretum; quibus intercepta maria, Septentrionale & Meridionale, Fretum Magellanicum & Lamærium, inſulæque omnes, ut & ora terræ Auſtralis

Colvmbvs.

Vespvcivs.

Magellanvs *aliique.*

Termini Navigationis in Occidentem conſtituti.

ab Africæ promontorio ad Novæ Guineæ fines Orientales ſe portigens, ituris in Occidentem permiſſa ſunt.

Annus ibat milleſimus ſexcenteſimus viceſimus tertius, cum claſſis inſtructiſſima, Præfecto Jacobo Willekenio, viro non ad oſtentationem, ſed ſerios auſus forti & ſtrenuo, in Braſiliam, ubi proximi ex Europa in Novum orbem acceſſus, abiit, ſtetitque intra paucos menſes in ipſo Sanctorum omnium ſinu, à quibus venerandum provinciæ nomen. Perculſi improviſo Belgarum adventu Bahienſes ſuper inſtantia mala non vanos pavores induere, ſeq; in ſilvas ac dumeta recepere. noſtri in ſpem gloriæ, nec minus prædæ, erecti, alacres exſcendere. Capta non magno labore Civitas S. Salvatoris, Præfecturæ metropolis, & caſtella circumjecta, felicibus auſpiciis juvere cœpta, & famam tranſmarinæ gentis, primis eventibus validiſſimam, diſtulere per Barbaros. Militaribus copiis præerat Tribunus Ioannes Dorthius, militiæ expertus armiſque promptiſſimus. qui, Proteſilai fato, vix in proxima digreſſus & viſus hoſti, ab eodem oppreſſus eſt. At non pari illa virtute tutati ſunt, qui vicerant. Quanto animoſius antè egerant, tanto cupidius inſolitas voluptates hauſere effeminati & molles. Partam fortitudine urbem, laſcivia ſubvertit, & delicatam hanc Capuam Cannas noſtris fecit,

Expeditio prima Societatis in Braſiliã, Sub JACOBO WILLEKENIO. *Todos los Santos.* *Ann.* CIↃ IↃCXXIII.

Civitas S. Salvadoris in Sinu Omnium Sanctorũ capta.

Amiſſa. cit, ut Hannibali olim Italica illa. Dum enim deliciis magis quam utilitati conſulitur, fractis otio & luxu imperantium & militum animis, brevi illam obſidio recuperavit Hiſpanus, duce Franciſco Toletano. Belgæ vitiis magis, quam armis victi, ad ſuos reverſi, tanquam Societati inutiles, patriæ indecores, hoſtibus contempti, incuriæ & perfidiæ ſuæ pœnas infamati dedere.

Expeditio ſecunda in Occidentem ſub BALDEVVINO HENRICI. Ann. CIↃ IↃC XXV.

Succeſſit aucta dignitate Balduinus Henricus, vir navalis experientiæ, qui fruſtra tentatis Braſiliæ oris, vagis, ut ſors conſiliumq; ferebat, expeditionibus, circa Americæ Septentrionalia, varia fortuna pugnavit, in rerum gerendarum ubique occaſiones intentus. At illo circa Havanæ portum vita functo, turbatis præfectorum conſiliis, diſcordiâ & deterrimorum è nautica plebe rebellione, rediit domum claſſis, magni apparatus, ſpei in hoſtis detrimenta maximæ; emolumenti, ſi pretia ſumptuum juxta penſes, nullius. Et fuere hæc NOVA exempla, difficulter in ordinem cogi populos, longius à patriis ſedibus, & ſummarum poteſtatum reverentia, quæ ad continendam militarem fidem maximè valet, ſemotos.

PETRI HEYNII *in Occidentem Navigatio.*

De in lætius aſtulſit ſidus Petrus Heynius, adverſis ſecundiſque rebus famoſiſſimus. qui attrita æraria & vacillantem Societatis famam, ſolâ felicitate reſtituit. Jam ante, ſtupendo fortitudinis documento, in ipſo Sanctorum ſinu,

claſſem

claſſem Hiſpanicam Herculeo auſu aggreſſus, exuſſerat, ne ſola Themiſtoclem, Duillium, Attilium, Xantippum, jactaret vetuſtas. Eodem duce, qui imperio jam, exemplo & admiratione præerat, in extrema Occidentis navigavit belli fortuna. Prima illi & oportuna valdè belli ſpolia fuere, naves plurimæ, & grandes, auro, argento & pretioſiſſimis Novæ Hiſpaniæ mercibus graves. Objiciebant immanem prædam fata, commiſſis ad Mataneæ portum, non conſilio, ſed æſtus marini impete, claſſibus. Ex eo ſerenior Societati facies fuit & fortuna certior, utpote immenſis opibus ſubnixa. quam mox ſubruit avarities & multorum animis ſubrepens futuri diffidentia. Etenim abſorpta in erogationes intempeſtivas & immodicas pecuniarum vis, vagiente adhuc Societate, & nondum foris ſtabilita potentia, invalidam eam fecit, nec parè diu oppugnando hoſti. Ita dum augendæ ſingulorum ſorti ſtudetur, defecit publica, & præceps habendi ac recuperandi amor, futuri quæſtus ſpem præcîdit. Hoc, dum ad magis præſentia propero, ad Ducis hujus laudem addam: nullius gentis hominum quenquam clariore præda nomen ſuum perpetuæ commendaſſe memoriæ, ut ejus nati rempublicam pœnitere nunquam poſſit. nec facile inveneris, cujus fortunam Heynii compares. Nam poſt obita viliſſima navalium munia,

Ducis Felicitas.

Capitur claſſis Novæ Hiſpaniæ, ad Mataneæ portum.

Ducis laudatio.

hoſtium tolerata vincula & carceres, naufragia, mox honores ampliſſimos, eximios triumphos, & ſummum ſub Auriaco maris faſtigium adeptus, glorioſiſſimè pro patriæ ſalute dimicans, victor occubuit. decretis illi ſumptu publico funeralibus, lapidem erexere Reipub. rectores in Delfenſium Baſilica, fatorum ejus & ingentium meritorū perennem teſtem. Delforum portu ſub Septentrione editus, natalis ſoli famam gemino orbi intulit, & parentum humilem ſortem animi magnitudine tranſcendens, non naſci ſemper Heroës docuit, ſed audendo fieri. Illuſtre per iſta tempora fidei ſuæ in patriam & ſimul potentiæ documentum exhibuit iſte mercantium cœtus, (quod & fecit Orientalis) quo tempore Velaviam invaſerat hoſtis & Amersfortiam tenebat. Etenim turbatis nonnihil, ad Druſi foſſam, rebus ex inopinato hoſtium tranſitu; Fœderatorum exercitu omni in obſidione Sylvæ-Ducis attento, militem ſuum itineri Braſilienſi deſtinatum, limitaneis locis ad cuſtodiam impoſuit, & ære, quo tunc, ob recentem Heynii prædam, abundabat, publicas neceſſitates prolixè juvit. Vt jure ſummo repetere hodie ab incolumi patria videatur afflicta Societas, quæ afflictæ aliquando officia præſtitit ipſa incolumis & valida. Poſt hunc cum ſummo imperio in Americam trajecit Henricus Loncquius, militiæ maritimæ vetera-

Societas laborantem Patriam juvat.

Expeditio LONCKII *in Braſiliam.*

veteranus, Petri Heynii laborum & honorum conſors, qui Braſiliam iterum aggreſſus & Olinda, Pernambucenſis Præfecturæ metropoli, potitus, hanc Societati novam receptus claſſium & belli Americani ſedem fecit. Quem pari dignitate, & fortitudinis exemplo, excepit Hadrianus Pater, multis Hiſpanorum ad Occaſum cladibus celebris. qui cum immanium navium claſſe (tanta in virtute fiducia eſt) decernere auſus, quam Antonius Ocquendus ductabat, cruentæ pugnæ inter primos immixtus deſertuſque à ſuis, partita fere cum hoſte victoriâ, glorioſe occubuit. hoc uno infeliciot, quod prælio non ſuperfuerit. Ocquendum ſervavere fata, in futuræ Belgarum gloriæ illuſtrius argumentum. Hic enim fuit, de quo aliquot poſt annis, recente adhuc victoriæ fama, in Dunis Britannicis, pugnante Trompio, triumphavimus. Intercurrente tempore & proximè ſecuto, variis imperii titulis, magnas hic res geſſere, terra marique, in Continente, in Inſulis, etiam in oppoſitis Africæ littoribus, duces plurimi. quæ cum juſtius aliorum voluminib⁹ promantur, longiore narratione ſuperſedebo. Retulit illa in monumenta Vir Ampliſſimus & clariſſimus, Iohannes Latius, liberam veritatem profeſſus, nõ levi auditione aut fabulis inanibus, verum illorum, qui rebus interfuere, narratione & diurna actorum ſcriptura. Singulis

HADRIANI PATRIS.

IOHANNES LATIVS *rerũ in Braſilia ad ann. uſque* CIↃ IↃ C XXXVI

geſtarum ſcriptor.

Aliorum Ducum laus.

gulis ad immortalitatem ſatis fuit, de particula Novi Orbis triumphaſſe, ubi ſepoſita magnis auſibus materies etiam ſegnes animos excitare poterat. Iis quiſque factis innoteſcere cupiebat, quibus ſe natos ubique loquerentur, ipſumque naſcendi pretium exſolverent. Summas virtutes acuit æmulatio, & quod honoris faſtigium conſcendere quiſque non potuit vincendo, tranſcendit audendo. Perfectiſſima militia maximam oriri fortitudinem ſub Occaſu viderit ne certius an efficacius accenderit, perpendi vix poteſt. Et quia inviſum eſt Fœderato populo Hiſpanum nomen, laciniam quiſque decerpere Hiſpanorum potentiæ ſtuduit & nil mediocre moliri. Aliqui eorum bello Belgico clari, Americanorum trophæa Europæis attexuere, & Barbaris militem noſtrum ac prœliorum faciem primi oſtendêre. Quæ legentibus, ſubibunt animum priſci duces, qui in hoſtiles terras trajecere, ut à ſuis belli uim amoverent. Regulus nempe, Scipio, Manlius, Æmilius, Metellus, Pompejus. qui velut Willekenii, Heynii, Loncquii, Balduini, & Patres illorum temporum fuere. utique illis autoribus vetuſtas, his ſeculum noſtrum trans maria pugnavit. Quanquam veteres illos longe ſuperaverimus, locorum, in quæ ivimus, immenſo intervallo, & hominum, cum quibus pugnavimus. immanitate & barbarie.

Ego

Ego hiſtoriæ huic materiam ſelegi ea ſolummodo, quæ ſub Præfecturâ Illuſtriſſimi Comitis IOANNIS MAVRITII Naſſovii, pro Fœderatorum populo, in alio Orbe, inter barbaros & Hiſpanos, dubios apertoſque hoſtes, geſta ſunt. Enimvero cum bella famâ conſtent, & non leve momentum ſit in Imperatore, miſſus tandem in Novum Orbem fuit Dux Naſſovius. in qua ſtirpe imperii hujus robur dignitatemque collocaſſe videtur Summi Numinis providentia. Mihi & tacere liberum eſt & loqui. Ne taceam, provocor illuſtribus factis; ut loquar, imperat publica felicitas. quæ fraudari ſua laude non vult, quibus ſeipſam debet. Trahunt in admirationem domeſtica, quanto magis externa bella, ſub aliis ſideribus, magna virtute geſta. Huic pretium ſuum deme, poſteritatis memoriam, langueſcet, & ſcriptorum inertiâ per ſilentium concidet. ubi majorum exempla ante oculos habet, inſigni æmulatione adſurgit, & imitari vult gnaviter, quæ glorioſe facta legit. Nihil dabo adulationi, cujus cauſas poſthabeo. nec odio ullius detraham de vero, ne pari odio convincar falſi. Qui comparatione curæ ingeniique eadem ſcribere volent, eloquentiam adhibeant. mihi ſimplici narratione & ex rerum fide hæc tradidiſſe, ſufficiet. Aliquot retro ſeculis geſta ſcribas confidentius, remotis autoribus & teſtibus. mihi in eorum oculis

Hiſtoria hujus argumentum, geſta à MAVRITIO Comite per octennium.

Cauſſa & ſcopus ſcriptoris.

oculis vivitur & ſcribitur, qui hæc aut geſſere ipſi, aut geſtis interfuere. Quantum chartis publicis creditur à veri ſtudioſis, tantum mihi, nec ultra, credi cupiam. nec enim vagis oculis uſurpata, ſed ſcripta domi à tranquillis & ſedatis mentib⁹ referam. In maximo rerũ cumulo & chartarum immenſis faſcibus, ut harum rerum curioſis longæ inquiſitionis labor abſit, utar delectu, & ea brevitate, quæ nihil magnum & memorabile factis ſubducet. minuta perſequi ſupervacaneum credidi. anxia ſedulitas ſedulitatis error eſt, & rei ſummæ tantum decedit, quantum minus neceſſariis impenditur. Ceterũ, antequam deſtinata exequar, repetendum, quæ BRASILIA & qualis, quis Reipub. hac tempeſtate, quis militiæ fuerit ſtatus, quid nobis vel hoſtibus validum aut ægrum, quis animus Societatis rectoribus, quis Hiſpano, ut non eventus ſolùm & ſucceſſus rerum, ſed ratio cauſæq;, & bellorum ſedes & celebres proſperis arduiſq; Provinciæ, portus, oppida, gentes cognoſcantur.

BRASILIÆ deſcriptio. Situs & termini.

BRASILIA ad Occaſum avia Caribum, Peruviam, Provinciarum totius Novi Orbis nobiliſſimam & celſa montium juga è longinquo adſpectat. ad Meridiem ignotas regiones inſulaſq;, maria & freta. Orientalem orã Oceanus Atlanticus, Borealem Septentrionalis pulſat. Luſitani eam fluvio Maragnone, & æſtuariis fluminis Argentei ſive

PLA-

PLATENSIS definiunt. Trigoni ſpeciem refert, cujus baſis Æquatori & Septentrionibus obverſa, ab Oriente recta in Occidentem abit, ad promontorium HVMOS aut Maragnonem, aut, ſi Nicolao de Olyveira fides, PARAM uſque. Angulus Auſtralibus regionibus abſorbetur. Populos ejus, ut & totius Americæ, aborigenes eſſe, nefas creditu: cum ex Aſiaticis parentibus totum genus humanum fluxiſſe, fide conſtet. Qui primi hominum, & quomodo ex Veteri Orbe huc pervenerint, an per Anianis Fretum, an per continuas ad Arctum Europæ terras, an per Septentrionalium Inſularum trajectus, an per vicinam olim & objectam Gaditano Freto Atlanticam, (quam Americam eſſe ex Platonis Critia & Timæo quidem autumant) an tempeſtate, in incerto eſt. pro ingenio ſuo quiſque demat vel addat fidem tot placitis. mihi in partes ire, aut hoc præ illo vel impugnare vel aſſerere, tanta veri caligine, animus non eſt. Primi eam Ferdinandi & Iſabellæ Catholicorum Regum auſpiciis aperuere Vincentius Pinzonius, & Didacus Lopezius; Portugalliæ Regis, Capralis & Americus Veſpucius. Regio ob cœli temperiem amœniſſima eſt & ſaluberrima. inditium longævitas, quæ interdum ſeculi eſt. nec æſtus nec frigoris grandia incrementa. ſerenitatis & pluviarum maxima. Vix crepuſcula à nocte, dilucula à die diſtin-

Figura.

Populi.

Quomodo è Veteri Orbi huc pervenerint.

Primi inventores.

Aër.

diſtinxeris, ob rectiores Solis ortus & occaſus. Hyemem menſis Martius inchoat, finit Auguſtus. Noctis diebus ferè pares unius horæ diſcrimen agnoſcunt. Brumam habet, qualis nobis eſt æſtas. Incolæ Antœci ſunt Hiſpanis, Mauris, Æthiopibus, Periœci Afrorum extremis & Iavenſibus, Antipodes Aureæ Cherſoneſi populis. Nebuloſa licet, ſurgentium è pelago placidiſſimis flatibus recreatur, qui matutinos vapores & nebulas tempeſtivè diſcutiunt, Solesque puriſſimos ac nitidiſſimos reddunt. Per hyemem flant Auſtri & Euronoti, per æſtatem Meſes & Cæcias. Alibi ſaltuoſa eſt, alibi plana & paſcua, alibi in colles aſſurgit. glebæ feracis & vernantis ſemper, frequentibus imbribus irrigatur. quo magis mirandum, fœcundiſſimis agris, ſaluberrimo cœlo, tam crudos & feros eſſe gentibus animos. Præcipuus proventus ſacchari eſt & ligni rubri, apti tingendis pannis. licet fruges ac fruct' ferè omnes Europæos huc tranſtulerit Portugallenſium ſedulitas. Saccharum iſtud proceris arundinibus condidit Natura, è quibus dulciſſimus & gratiſſimus liquor, Attico melle potior, expreſſus, vaſis aheneis coquitur, mox ſimilitudine metæ & pyramidis in panes cogitur, aut expreſſo craſſiore ſucco relinquitur friabile. Ad hanc rem officinæ paſſim patent, quas Luſitani INGENIA appellant, quod erectioris

Ingenios.

ris

is ingenii hæ Machinæ & ſtructuræ comen-um ſint & inter nova poſteriorum ſeculo-um reperta. Ex his, Æthiopum & Nigri-arum laboribus maximum emolumentum apit induſtrius mercator, & evecta quotan-is plenis navibus ſacchara per Europam u-iverſam multo ære divendit. Coloniæ quotquot fuere antè nos, Luſitanorum fue-e. Epiſcopi & Præſidis totius provinciæ ſe-les, Portus omnium Sanctorum & S. Sal-atoris civitas. Nunc aliis rectoribus Hi-ſpanica, aliis Belgica Braſilia paret, aliaque mperii Luſitanici, alia Belgarum ſedes. Lin-gua cognitu difficilis, & eorum omnium, quotquot noti hactenus, ferè una. licet cer-is rerum vocabulis diſtincta, quæ aliter viri, liter feminæ uſurpant. Mores Braſilienſi-um, indoles, habitus, vel communes ſunt, vel pro nationum diverſitate peculiares. Tri-um in linguis litterarum F. L. R. ſi Maffæio ſides, uſus nullus, ob hoc, ut argutari libet quibuſdam, quod Fide, Lege, Rege careant. Incolarum quidam ferocioris, quidam mi-tioris ingenii. quidam candidi, quidam fu-ſci. Nudi incedunt viri & feminæ, præter Vincentianæ præfecturæ incolas, qui cul-tiores feratum exuviis cooperiuntur. Cor-pora, robuſta ſatis, coloribus pingunt, aut atro ſucco pomi GENIPAPI deturpant. ornamenta illis ex avium diſcolorum plu-mis concinnant. fluxo à vertice duntaxat ca-pillo,

Colonia. Epiſcopi & Præſidis ſedes.

Lingua.

Mores.

Habitus.

Religio.

pillo, ceteras corporis partes depilant, ſimis, uti Sinenſium populi, naribus. Tonſura viris diſpar, ut ea gentes diſtinguas. Feminis coma promiſſa, niſi per luctus tempora, aut abſente marito. Numina nulla, deos nullos colunt, niſi Tonitrua fortè aut fulmina, quorum magna animos inceſſit veneratio. Spiritus malignos horrent. Ominibus, auguriis, ſortilegiis ad inſaniam dediti, levibus ſuorum & ineptis ingeniis, fallaci ſignorum interpretatione, quæſtuoſam mendaciis caliginem objiciunt. Sagas in pretio habent. polygamiam & divortia amant, Vxores non malè habent, ſed curant, niſi potu alienata mente, quod & Belgis non infrequens. Eas in publicum prodeuntes ſocias habere gaudent, eo ordine, ut ſi rus eundum, præcedat vir, promtus ire in ferã aut obvium hoſtem: ſi remeandum, præeat uxor, ſequatur vir, ut ingruente malo citius illa evadat. domi in oculis habent, alienos amores veriti. Stata cibum capiendi tempora neſciunt. Sub eodem tecto, ad inverſæ modum carinæ prælongo, palmiſq; inſtrato multæ ſimul familiæ degunt. In retibus è terra altius ſuſpenſis placidè & ſecuri cubant, vitandis noctu animalibus noxiis, ut & aſcendentibus è terra malignis vaporibus. frumenta olim & vina ignoravere, ſativâ radice victitantes, quam in farinas redactam MANDIOCAM appellant. natant ad miraculum, & ſub aquis

Domicilia.

Victus.

Natatores ſunt Braſiliani.

quis totas interdum horas patentibus oculis urinantur. jacula torquent ſtupendâ arte. piſcantur induſtriè & ſedulò. Vivunt in diem potores ſtrenui & tripudiis inconditis dediti, laboris ſubinde & inediæ tolerantiſſimi. Venatibus ad celeritatem perveniunt ipſis feris parem. Captos hoſtes & aliquot dierum cura ſaginatos, ingenti cum tripudio mactant & verubus toſtos vorant. Quos hoc fatum manet, alacriter ad mortem pergunt, & editis, velut è ſyllabo, in ipſos percuſſores facinoribus, non inultos ſe mori jactitant. Sparſim habitant, gregatim peregrinantur, ordine ſimplici, ſilentio miro, bellaces & ſanguinarii. In hoſpites advenaſque facillimi ſunt & prolixæ ſupra modum humanitatis. Eos circundatis collo brachiis, preſſoque ad pectus capite, effuſo ploratu altiſque ſuſpiriis excipiunt, viæ incommoda moleſtiaſque miſerati. mox, exercitato ad hoc vultu, detergunt oculos, & gaudentium habitum geſtuſque induunt. Prægnantibus haud ita multus in partu dolor, juvante labores iſtos aëris temperie calida. à puerperio moras commorandi domi minimè amant, uti noſtrates, verum validæ magis & firmæ confeſtim exſurgunt, ac domeſtica negotia impigrè obeunt. Infantes impenſè diligunt, in annum lactant, alios cibos negant, & quoties prodeunt, reticulo, quod TVPVIAM vocant, à tergo

Piſcatores.
Iaculatores.
Potores.
Crudeles.

Arma. pendulum geſtant. Clavæ ligneæ, arcus, ſagittæ viris arma ſunt. has oſſiculis vel duriſſimis ſtipitibus acuunt, ut thoraces parmulaſque coriaceas trajiciant. *In hoſpites effuſi.* Rectè aut perperam factis nec præmia ſupeteſſe poſt obitum, nec ſupplicia arbitrantur. *Officia circa mortuos.* Qui è vita diſceſſere vel integro corpore, vel mutilatos membra, aut vulneribus confoſſos, deſcendere ad inferas ſedes putant. quamobrem incremata cadavera condunt terra, addito reti cubandi cauſa, nec non cibariis in aliquot dies, quod perſuaſum habeant, & dormire interim & cibos capere manes mortuorum. Obitus ſuorum immodicè lugent, menſem integrum ejulatibus exigunt, in terram ſe excordes projiciunt, & mox tragicos hoſce motus compotatione & ſaltibus finiunt. In melancholiam proniores remedia ſibi à choreis, canendi modulis, inſtrumentis muſicis, quæ propria habent, quærunt, nec minus, quam hominum alii, ſeriis ludos interponunt. Interiores & quotquot patrios mores retinent, vita immaniore belluis magis, quam hominibus propiores ſunt, vindictæ & humani ſanguinis avidiſſimi, ad pugnas & certamina temerarii & præcipites. Poſt illatã religionem & artium liberalium ſtudia, in vicos & oppida tributi, *Europæis mixti mitiores.* Europæorum moribus adſuevere illi, qui mare accolunt, ut & hic illud Taciti uſurpare liceat, MITIVS CIRCA OCEA-

NVM

NVM VIVITVR. Qua vero parte nuda Barbaries & generi humano pudenda efferavit animos incolarum, nullis bonis legibus, nulla induſtria temperatos, inconditi populi ingenia in priſcos mores geniumq; majorũ durant. ad ſe advectos nec notos, plerumque tanquam inſidiatores libertatis pro hoſtibus ducunt. Nec deeſt tam rudibus animis in flagitia calliditas. crudelitas & perfidia his non rarò prudentiæ & fortitudinis loco ſunt. Notant hoc, quos illuc lucri ſpes à regionibus noſtris trahit. In horum ſanè populorũ moribus licet utiliſſima contemplatione verſari, & naturæ ſapientiam mirari, quæ tot habitus, tot animorum impetus una membrorum ſimilitudine obtexit. inſtruunt hæc mentem, ut diverſi ſimus apud diverſos, & quid à quavis gente exſpectandum boni, quid metuendum mali, cognoſcamus. nec enim tam conditis & exactis moribus ullam reperias, in qua non aliquid deſideres, nec tam rudem, quin aliqua honeſti ſpecie commendetur. Mediterranea armis adverſus Luſitanos tuentur, circa littora iis immixti eorũ imperiis vivunt. Quadrupedum, anguium, avium, piſcium, arborum, plantarum propria genera & formas, mira varietate, regio alit, quæ ſuis relicta ſcriptoribus jucundam relatu præbent materiam. Scatet fontibus & fluminibus inclytis, inter quos celeberrimus is, quem AR-

GENTEUM vocant, qui leucarum quadraginta oſtio in Oceanum fertur, adeò violentus, ut inde nautæ dulces hauriant latices, priuſquã tellurem ex alto conſpiciant. Sunt & magni nominis fluvii, Regalis, S. Franciſci, Ianuarii, Antonii Grandis, Capivaribi, Bibaribi, Inſularum, Contarum, Tingari, Portus Calvi, Camaragibi, Formoſus, Mongaguaba, Paraiba, aliique, hiſtoriæ huic inſerti amnes, rerum geſtarũ fama & belli caſibus noti. Sed hæc cuncta aliis memorata ſupervacaneum fuerit operoſius exequi. Diſtinguitur Braſilia omnis coloniis & præfecturis, quarum aliæ dominos proprios, aliæ Regem dominum agnoſcunt. Sunt illæ: *Paria, Maragnana, Siara, fluminis Grandis, Parayba, Tamarica, Parnambucum, Seregippe, Sinus omnium Sanctorum, Inſularum, Spiritus Sancti, Portus ſecuri, fluminis Ianuarii, & S. Vincentii.* Per has ut & mediterranea diffuſæ nationes, ingeniis, linguarum dialectis & nominibus diſcernuntur: *Petiguares, Viatani, Tupinabæ, Caëtæ, Tupinaquini, Tupiguæ, Apigapitangæ & Mariapigtangæ, Itati, Tumminimivi, Tamviæ, Carioes, & celeberrimi, Tapuiæ, Tucanici, Nacii, Cuxaræ, Gajavæ, Pigruvi, Canucujaræ,* aliæq; plures ab aliis ſingulatim enumeratæ. Noli frontem corrugare Lector. extra Latium & Græciam ſumus. Non ſolis veteris Orbis populis conceſſum voces condere. etiam penes Americanos eſt vis & norma ad placitum ſua effe-rendi.

Rio de la Plata.
Rio de Ianeiro.
R. Grande
R. Real.
Rio de las Iſlas.
R. Grand Martin.

PRÆFECTURÆ XIV. *Gapitania.*

rendi. Hæc ſingula juſta narratione proſequi, Braſiliam ſcribentis foret, nõ res in Braſilia geſtas. Satis fuerit, ſitum, limites, præfecturas, populos, proventus indicaſſe. Aliorum fortè erit, in hac ipſa hiſtoria loquentium, iſta ex officio apud ſuos diſtinctius recenſere. Diu eſt, quod Braſiliam in Boreales & Meridionales Præfecturas diſtinxerit Geographorum ſolertia. At hæc diviſio recens, quæ illam in HISPANICAM & BELGICAM diſpeſcit. Prior naturæ eſt, poſterior fortitudinis & virtutis humanæ. illa Dei creantis, hæc partium inter Principes. illa perpetua & immutabilis, hæc fluxa & pro belli fortuna varia. Belgicam quatuor Tabulæ exhibent, quas Naſſovii munificentiæ debent ſecula. Nec enim accuratiores in hunc uſque diem vidit aut ipſe Americanus orbis, aut ipſi adverſus. Prima à Fluvio Potiipeba ad S, Franciſci flumen exporrigitur & Seregippam Regiam, Mauritii armis imperio Societatis additam, complectitur. Capitania de Ciru à fluvio cognomine appellatur. In ea S. Franciſci fluvius, chartis noſtratium ut & Hiſpanorum decantatus, oſtia pandit & vario flexu in Braſiliæ intima penetrat, inſulis, ſcopulis, vadis famoſiſſimus. Secunda & tertia Parnambucenſem omnẽ tractũ ob oculos ponit, ut & Tamaricenſem. Quarta Paraibam & Fluminis Grandis Præfecturam. In ſingulis, ſuis notis, diſtincta reperias, ſac-

Diviſio Braſiliæ recens.

MAVRITIVS quatuor tabulis Belgicã Braſiliã exhiberi fecit.

Oliveira Seregippen Capitania accenſet.

chareas molas, ſepta ſive pecorum receptacula, oppida, pagos, arces, flumina; ſinus, promontoria, quæ narrationi lucē fenerant & fidem. Terras diſtinctis & adverſis imperiis Luſitani & Belgæ habebant. Quatuor Præfecturæ noſtri erant juris; ea quæ ad flumen Grande eſt, Paraybæ, Tamaricenſis & Pernambucenſis. reliquæ juris Portugallici. Illas munimentis vel hoſti ereptis, vel à noſtris exſtructis tuebamur adverſus Hiſpanorum Duces, Albuquerquium & Banjolam, millitari famâ celebres. quorum ille ſua, hic quæ Regis erant, aſſerebat. Metropolis Præfecturæ Omnium Sanctorum Luſitanis denuo acceſſerat, noſtrorum magis vitio, quam hoſtium virtute. At Pernambucenſis colonia primaria, in Belgarum erat poteſtate, ut & caſtella ejus tutelæ impoſita. Novi Belgii & Africanæ negotiationes, nec ulla noſtrorum clade minuebantur, nec illuſtrib⁹ victoriis gliſcebant. Peruana & Mexicana imperia & quicquid regionum à tergo vergebat in Occaſum, congrua bello materia. Atlantici maris ſuperiora & inferiora, naves claſſeſq; ex uſu temporis meantes & remeantes, tutabantur. Inſulas omnes Americæ Boreales, Hiſpaniolam, Cubam, Iamaycam, Portum Ricum, aliaſq; minores, nominis Batavorū terror invaſerat. Arma noſtra ſenſerat Campecha & Truxillum, in Honduræ ſinu. Margaretæ inſulę & S. Marthæ oppido terribiles,

Status Braſiliæ & imperii ante adventum Comitis.

Status belli.

Curg-

Curacaam maris Septentrionalis Inſulam, arce & præſidiis tenebamus. Prælii cum Lodovico de Borgia, Hiſpanorum præfecto, victore Belga, recens & illuſtris fama. Americæ continentis oram omnem claſſibus uſq; infeſtabant Societatis duces. Caſtellis, oppidis, Frederici, Auriaci, Ameliæ, Principum, nomina impoſita ſub aliis ſiderib⁹ fulgebant. Ab hoſtium copiis & inſultib⁹ diurnis nocturniſq; quies nulla, in ſaccharorum machinas flammis graſſantium, & circumjecta populantium. Fumabant paſſim noſtrorum quoq; incendiis urbes, pagi & ergaſteria Portugallorũ, mari navigia & claſſes, ſæviente & facem tollente belli vindictâ. Cum Luſitanorum & Barbarorum aliis bellum, cum aliis pax nobis erat. His in ſocietatem & fœdera allectis, relligio, aræ, foci, jura, conſuetudines ſalvę fuere. oppreſſis promiſſæ vindiciæ, mercantibus commercia, ſociis fides. Verum non ſemel rupere ſacramenti reverentiam Luſitani, metu magis, quam in Regem affectu. Omnium addictiſſimos Tapuyas experiebamur, quorum armis copiiſq; cum Portugallenſibus, Iandovio duce, pugnabatur. Pacati quoque Gojanæ populi, Belgarum imperia admiſerant. Omnes adventu noſtrorum, non ſecuritatem ſibi, ſed ultionem Hiſpanis parari gaudebant. Summæ rerum præerat, in Pernambucenſis præfecturâ, Senatus, politicus dictus, non ſolum

Curacaa.

Status politicus.

lum Reipub. ibidem, legibus Europæorum, rector, ſed & belli conſiliis mercimoniiſque præfectus. Minorum quoq; Magiſtratuum, quib⁹ fortunæ litigantium commiſſæ, ſontiumq; ultio, exercita poteſtas. At leges non in bono uſu erant, corruptis incolarum moribus, etiam regentium quorundam. QVIPPE conditione loci mutata pejorib⁹ flagitiis agitur. Peſſimus quiſq; diffidentia præſentis Reip. mutationem pavens, Luſitanorum gratiæ adrepebat, nulla fidei cura, ſed ſpe impunitatis. Plebes acri annona vexabatur, vaſtantibus proxima hoſtibus. cui malo obviam ibat Societatis, quanto poterat impendio & diligentia. Militiæ cura penes Sigiſmundum Schuppium erat, multis & egregiis facinoribus conſpicuum. maritimis imperabat Ioannis Lichthartius. non tam fortunæ beneficio, quam ſuo merito magniſq; in hoſtem auſibus notus. Tribunitia dignitate Artiſolkius, militaris ingenii vir & operum præclarus. Clades Adriani Patris inter graviſſimas ſurgentis imperii ruinas numerabatur. Iôlus ſtudiis rudis, impetu ſtrennuus, penituſq; Hiſpano nomini infeſtiſſimus, captis hic illic hoſtium ratibus, ovanti ſimilis, nulla non Occidentis ſpatia militari gloria implebat. In Serinhæmenſi provincia, Terra Nova, Tapeſerica, Alagois & alibi, variis caſibus, & diſpari eventu præliabantur dicti duces, Schuppius & Artiſolkius, cum Camero-

Sigismvndvs Schvppivs.

Ioannes Lichthartivs

Christ. Artisoskivs.

C. Iolvs.

merone & aliis hoſtium præfectis. Domi is animorum inter Societatis rectores habitus fuit, ut Braſiliam & parta propugnandi ac imperium proferendi omnib⁹ ſtaret ſententia, ſerioq; deliberarent, cui Principem ibidem locum decernerent, quem tantæ provinciæ capacem agnoſcerent. Apud hos frumenta, arma, rates, pecuniæ in uſuram acceptæ vel accipiendæ, reditus & cetera publicorum fructuum & munerum aſſiduè agitabantur. ut & Africana commercia & Nigritarum in Americam tranſportationes. Nec ſegnior Hiſpaniarum Rex, obſtare Belgarũ auſibus, amiſſa repoſcere, laborantia munire, validis uti parabat. Ingens novis rebus argumentum non prudenti ſolum ſed & audenti duci paratum. Magna loquar. Belli hujus tanta fuere molimina, ad annum uſq; milleſimum ſexcenteſimum triceſimum & ſextum, ut Potentiſſimorum Regum conatus vincant, & rerum magnitudo apud invidos & ignaros fidem in periculum adducat. Navium ingens numerus, octingentæ & ultrà (ita rationaria habent imperii) ad bellũ vel mercatum in Occaſum, Africam & aliò miſſæ, quadraginta quinque milionibus florenûm & ultra ſtetere, ſi navium precia, ſtipendia, annonam penſes. Hoſtibus ereptæ quingentæ & quadraginta ſeptẽ fuere. quæ damna ſex milionibus cenſa. E ſpoliis ad uſus publicos rediere miliones plus quam triginta,

Momenta geſtorum per Societatem Occidentalem, uſq; ad Ann. CIↃ IↃ Ↄ XXXVI.

Navium numerus.

Erepta hoſtibus.

Spoliorum ſumma. ginta, quæ ſumma longè excedit illã, quam Paulus Æmilius Romanorum ærario intulit. Hæc tamen ipſa, ut Vellejus habet. *omnium anteactorum comparationem amplitudine vicit.* *Damna illata hoſti.* Iactura eorum, quæ Hiſpano terra periere, nec tamẽ nobis acceſſere, milionib⁹ plus ſeptem penditur. Impenſæ regiæ, impedita vectigalia, annuiq; reditus, ſummam viginti & octo *Precia mercimoniorum.* millionum explent. Erogati in mercimonia, quæ in Guineam, Novum Belgium, Capitis viridis littora, Sierram Leonam, fluvios Senegalam & Gambiam transferri fructuoſum videbatur, milliones ſex & novies inſuper centena florenorũ millia, quæq; excurrunt. In quem cenſum nondum venere immenſæ opes, quas Braſiliæ aliorumq; locorum neceſſitates abſorpſere. Reportata in Belgium eodem temporum tractu è Guinea & Novo Belgio fuit tanta auri, eboris, ambari, tergorum bubulorum, & pellium precioſarum vis, quæ milliones valuit quatuordecim, ſuper ſexies centena florenorum millia. Hæc præſens ætas ſuſpicit attonita, & futura, à rerum memoria remotior, ſtupebit tanta commoda privatorũ ſtudiis Fœderatorum terris acceſſiſſe, tantum opulentiæ, & gloriæ Hiſpano deceſſiſſe. Nec tamen tantæ opes pares fuere penſandis tot expeditionũ ſumptibus; ut inter hæc potentior videri potuerit Societas & hoſti ſuo terribilior, iſto navium & armorum apparatu, quàm opulentior.

Hic

Hic ferè rerum Americanarum & Braſiliæ ſtatus fuit, cum Naſſovius imperium capeſſeret. Eò omnium votis deſtinabatur, militiæ Europææ, ſub AURIACO, expert' & ob recuperatam non ita pridem ejus quoque cura & induſtria Arcem Schenkianam, quæ ad Rheni divergium Inſulæ Batavorum tutelaris eſt, publico Reipub. favore involutus. Accedebat familiæ ſplendor, Cæſaribus ſanguine, Regibus connubio innexæ. adhæc ducis authoritas, fortitudo, fides, felicitas, aliaq; virtutum & honorũ multiplicata, quæ rapiendum Imperatorem, nõ per longas deliberationes quærendum imperabant. Etiam habitus illi erat & decora corporis forma, non ea ſolum, qua flos ætatis comendatur, ſed ex dignitate in præſentem congruens imperii amplitudinem. Iam antè eques, expeditionis in Palatinorum adverſus Marchionem Spinolam ſub Frederice Henrico Naſſoviæ Comite pars fuerat, Germaniæ Principibus opitulaturus. Vexilla geſſerat, centurio cohortem duxerat, auctâ mox ſub Erneſto Friſiæ Gubernatore, dein Mauritio Arauſionenſium Principe & Hollandiæ, Zelandiæ Friſiæque præfecto, militari dignitate. ſub Celſiſſimo verò Principe FREDERICO HENRICO, Fœderatorũ jam ſupremo vindice, claris obſidionibus Grollæ, Sylvæ-Ducis, Venloæ, Trajecti ad Moſam (ubi irruentis in ſtationem ſuam Papen-

Naſſovii decora.

penheimii impetum fortiter ſuſtinuit & repulit) & Bercæ ad Rhenum, ſe conſpicuum fecerat, ut poſtquam omnes militiæ partes in veteri Orbe expleſſet, novas in Novo Orbe auſpicaretur. Comitabatur opinio eaq; vera, Braſiliam ei provinciam dari, nullis in hoc ſuis ſermonibus aut rogatu, ſed quia dignus & par credebatur. Nec errabat hic fama, ſed optimum eligebat. Quæque laudum ejus conſummatio eſt, iis ipſis virtutibus effecit, ut Societas Imperatorem à Germanis potius mutuaret, quam è ſuis legeret. Collatum à Societatis rectorib⁹ Braſiliæ imperium, ratum habuere Fœderati Ordines & Auriacus, iis legib⁹, quæ ex Ducis & gentis Naſſovicæ honore ac populi uſu eſſent: imperaret ſupremi ducis appellatione & poteſtate, terrâ mariq;: quæcunque armis acquiſiviſſent Belgæ, vel ſpe tenerent, imperii ſui eſſe crederet: quæ ad ſalutem publicam facerent & ſacra, civium ordinem & diſciplinam, bella, fædera, jura curaret: male poſita moveret, ne quid Reſpublica detrimenti caperet, caveret: præfecturas militares in caſtris ſui juris eſſe putaret diſtribuere in promtiſſimos: domi & per hyberna ex paucis, quos ſignâviſſet Senatus, ſeligeret: etiam de civilibus honoribus muniiſque decerneret: ut & de munitionibus extruendis, demoliendis, transferendis, ubi opus: de ſede Imperii & Senatus: de Braſilienſium

Præfectura Braſiliæ confertur Illuſt. Comiti.

Ratã habent Potentiſ. Ordines & Auriacus.

ſium & incolarum laboribus ac ſtipendiis : defunctis Senatoribus & primariis belli ducibus alios ſubſtitueret, Rectores auctores eſſent. Hæc aliaque fide publica ſancita fuere, ut tantorum negotiorum ſupremis adminiſtris promiſſorum, Duci officii, regula conſtaret, adſtrictis in conſcientiæ metum partibus. Promiſſa primum Comiti claſſis navium triginta & duarum, qua abiret, tentaturus Novi Orbis fortunam. Verum Rectores, contracta audendi cupidine, in duodenas poſteà convenere, quæ militum bis mille & ſeptingentos veherent. Ne vero cunctatio longa, magnorum moliminum comes, in damno eſſet, Naſſovius operum & laborũ promtus, imparata adhuc, ut fermè in talibus, claſſe, imparato milite, quî cum in Americam trajiceret, quatuor duntaxat navib⁹, adoleſcente Autumno, è portu Texelæ ſolvit, ſummo omnium ordinum conſenſu ac ſpe, anno Chriſtianorum trigeſimo ſexto ſupra milleſimum & ſexcenteſimum. Navi, quæ ducem vehebat, Zutphaniæ nomen inditum. militum non ultra trecenti & quinquaginta erant, quibus vix adverſus Morinorum inſultus tutus videbatur. Abeuntem votis fauſtiſque comprecationibus proſecuti ſunt Patriæ Patres, Auriacus, Societatis Curatores, & civium optimi quique, utpote in inuſitatum fortunæ & prudentiæ civilis pariter & militaris exemplum

Abitus in Braſiliam.

An. CIↃ IↃ CXXXVI. XXV. Oct.

Vota publica proſequuntur Comitem.

iturum. Divulgatâ tam glorioſæ expeditionis famâ, Omnium vox erat: hoc duce novas tantis rebus affulgere ſpes: hunc alterius Mundi deſtinam fore: ab hoc armis robur, imperio dignitatem quæri: nihil illo moderatius prudentiuſque: didiciſſe noſtratium bellis militiæ aſpera & incerta: modeſto milite non feroci pugnaturum: hoſtibus terrori fore ob famam, Germanis ſuis charum ob cognatam gentem, Barbaris placabilem ob lenitatem & manſuetudinem.

Sorlingæ Caſſiterides Ptolomæi creduntur.

Poſtquam ſerenis lucibus, propitiis ventis Fretum Britannicum enavigaſſet, inſulis Sorlingis vicinior, (Caſſiterides Ptolomæi ſunt) turbatum ſæva tempeſtate mare itineris initia magnis incom̄odis flagellavit. obſervatum, tranſmarinas expeditiones iratis ſæpenumero Superis ſuſcipi. hoc Agamemnoni, Æneæ, Xerxi, Germanico, Cæſari aliiſque inſolita molientibus accidiſſe. ſive quod adverſis conſecrari debeant nova imperia: ſive diſcriminum metu coerceri dominationis ſtudium. Conſultantibus de occupando primo quoque portu Navarchis, Comiti, licet maris inſueto, diſplicuere moræ. urget iter, nihil intermiſſa navigatione.

Tempeſtate in Britanniam truditur.

Sed auctis procelloſo mari, quod ob rigorem vicini Septentrionis horridius eſt, periculis, obſecuta formidini prudentia in Falmudam receptum ſuaſit. Iam enim aquas ceperat Zutphania, ut vix emergeret. nec minus

BOSTON MEDICAL LIBRARY APR 8 1921

minus turbidum pelagus altis fluctibus jactabat Argonautas, ut in Sorlingarum penè vada & ſcopulos impingerent, ventorum adverſantium furore. Hic dum commodiora navigandi tempora expectantur, Sereniſſima Britanniarum Majeſtas Carolus I. accepto nuncio, hærere in portu Britannico Comitem, Falmudæ Gubernatori & Nobilibus vicina loca incolentib⁹ mandat, omnia erga Naſſovium humanitatis munera fungerentur, & quæ ad ejus refectionem facerent, curarent. abunde hoc & comiter præſtitum. Et licet auguriorum ac prodigiorum fides in gente noſtra penè exoleverit, nec curent prudentiores caſibus fortuitis temere miſcere Deum, omen tamen notatum fuit duplex, non omnino adſpernendum. Primum, ubi Morinos prætervehebatur, piſcis marinus è mari intra navis foros exſiliens, Aſellum majorem vocant, ad diſcrimen minoris, qui Callarias. Alterũ, perdices quinque è Britannico littore in navem Comitis & eam cui à Pernambuco nomen, delapſæ, nauticorum voluptas & ſpontanea præda. quæ læta ominantium conjecturâ maris ſimul ac terræ obſequia favoremque promittere credebantur. Et forte benignitas Numinis, quia tangitur Principum affectione, his quoque rationibus, & rerum imminentium ſpeciebus, prodere vult, quæ impendent. Talia olim fuere ſerpens ad Bagta-

Falmudæ moratur.

Omina.

dam pugnante in Africa Regulo, aquilæ Dejotaro regi ſalutaris aſpect⁹: corvi tres Graccho occinentes, in Gallia lupus vigili gladium è vagina auferens, aliaque infinita, quæ prout ſecunda aut adverſa acciderunt, magni faſtigii viris ad gloriam vel ignominiam, ſalutem vel ruinam, vertere ſolet ſuperſtitioſa credulitas. Dies excurrére quadraginta, quibus tempeſtates ad navigandum idoneas non habuit. nihilominus in navibus ſuos continebat, & nullam prætermiſit occaſionem profectionis: donec deſævientib⁹ procellis, ſecunda navigatione ad Inſulas Capitis Viridis provectus fuit. Caput Viride inter Africæ promontoria celebre, arborib⁹ viridib⁹ conſitum eſt, unde illi nomen. multis Aſinariū Ptolomæi eſſe creditur. Æthiopiæ, ut ait Oliveira, principium eſt, & ultra centum leucas ad promontorium uſq; Sierræ Leonæ extenditur, totumque hoc ſpatium Præfectura Capitis Viridis appellatur. terminatur utrinq; fluminibus, illinc Gamba, hinc Senaga noſtrorum mercatu claris. Crebra inter proceres & regem de imperio contentio eſt. quiſquis ſuperior vindicta crudeliore ſe tuetur, ſive optimates è medio tollat potentior Rex, ſive hunc optimates. Regiæ opes ex procerum pendent nutu & liberalitate, qui equis, vaccis, capris, legumine, alias egenum & inopem, donant. Occidentem verſus medio Oceano jacent

Inſulas Cap. Viridis appellit.

An. CIƆIƆ CXXXVII. Cal. Ian.

Capitis Viridis & inſularum deſcriptio.

Inſulæ

Inſulæ decem, quas à vicinitate vocant *Inſulas Capitis Viridis*. ſuntque primum repertæ, Anno M CCCC XL à Lodovico Cadamuſto Genuenſi. Quidam has putant eſſe veterum Gorgones ſive Heſperides. Abundant capris & ſalinis, unde & Saliferæ noſtratibus dicuntur. Hiſpani etiam milium Zaburrum in iis colligunt. Quum primum invenirentur, prorſus incultæ erant, humanumque nullum uſquam veſtigium. qui primi conſcenderunt, columbas manibus prehenderunt, aut ſcipionibus ſuis humi ſtantes & hominum inſuetas occiderunt. Primaria inter illas & maxima eſt S. Jacobi, plena variis arborum generibus patenſque in longitudinem milliaria ſeptem. ubi ſalis magna copia, aquæ dulces, teſtudines innumeræ, tam grandes, ut teſtæ clypei magnitudinem æquent. Superior hac magiſque in Boream vergens eſt inſula *Bona viſta*, ſive Boni viſus, quam ita dixere, quod gratulabundi huc primum appliciuiſſent Luſitani. Inter minimas eſt, quam *Mayam* appellant, quæ ſalinis quoque nobilis ab Hiſpanis frequentari ſolet, rara habitatoribus; niſi forte Nigritas aliquot profugos, aut Portugallos ob nefas exules habeat, quos illic perire leve damnum. Apud hanc dies ſex commoratus Naſſovius ob aquationem, mox famoſam mundi Lineam attigit, quæ in partes æquales cœlum ac dierum noctiumque ſpatia

Ad Majam inſulã moratur ob aquationem.

Iſleo de Mayo.

Tranſit Æquino-

ctialem lineam. tia diſpeſcit. Hic paribus intervallis fortitudo Naſſoviorum ab Vniverſi terminis diſtans, utriq; ſe hæmiſpherio oſtendit, grandi honoris ac rerum ubique gerendarum aut geſtarum libramento. *Braſiliam appellit.* Multum maris brevi emenſus, adulta Batavis hyeme, Braſiliæ littora, ubi Pernambucum eſt, appulit, *An.* CIƆ IƆ CXXXVII. *Ianuar.* XXIII. lætus quod adverſa maris trajectu proſpero penſaviſſet. Appulit unâ Adrianus Duſſius, quem prope Inſulam Maderam ſibi junxerat Comes triduo poſt Matthæus Ceulius & Carpentarius, qui, quod navi veherentur rimoſa, in S. Vincentii Sinu coacti fuere ejus refectioni aliquandiu immorari. Hos excepit poſtridie Cal. Mart. Ioannes Giſelinus, multum procelloſo mari jactatus. omnes futuri Secretioris Concilii apud Comitem Senatores & tibicines imperio. Felix, temporis brevitate, trajectio, ea anni tempeſtate hic ſtitit Naſſovium, quæ gerundis rebus idonea erat. Incidit quippe adventus in menſes bello & campeſtribus motibus commodos. Nec fuit aut Luſitanis, aut Portus Sancti Gubernatoribus, ob ſubitum appulſum, tempus, ſubmittendi ſuppetias in Comitem, & hoſtile quid moliendi.

Excipitur à ſuis. Exſcendentem primores loci populuſq; excepere, vultu, officiis, oratione, obſequia teſtati, plurimi aucupantes gratiam, ut ferme ad nova Imperia. Eas circumſtantium concurren-

curren-

currentiumque gratulationes, ut communis benevolentię teſtimonia, non hilarius, quam modeſtius admiſit. Poſt hæc oſtenſis in Senatu commiſſis ſibi à Fœderatis Ordinibus, Principe, ac Societatis rectoribus, Imperii ac capeſſendæ gubernationis litteris, primum id ſibi negotii dari voluit ſagaciſſimus Imperator, ut quantum militum noſtratium ſociorumque in armis & præſidiis eſſet, cognoſceret. Id prudentiæ ratus PARARE prius bellum, quam exercere, & metiri quantum queas, ne fruſtra tentetur facinus, aut præceps audacia cœptæ gubernationis famam diminuat. Etenim compertum, ex præparato copias bella magis ſuſtinere, quam violentas & tumultuarias collectiones. Militũ vis omnis in geminos ordines diſtributa. quorum unus præſidiariorum eſſet, alter campeſtrium in hoſtem iret. Præſidiis ſepoſiti fuere ſexcenti & bis mille, qui per Caſtella Reciffæ, Afogadorum, Promontorii Auguſtiniani, Tamaricæ & Paraybæ diſtributi. Bello capeſſendo ſervati in duos diviſi exercitus, unum majorem invadendo hoſti, in quo cenſi nongenti & bis mille: alterum minorem ac vagis motibus deſtinatum, cujus numerum ſexcenti fecere. Hi hoſtem alibi occuparent aut diſtraherent, ac invigilarent occaſionibus. Mox annonæ & commeatus curam habuit, hac in re Romanam diſpoſitionem imitatus. Inquiſitum ſedulò, quantum panis bis cocti,

Prima Naſſovio cura, inquirere in Militiæ ſtatum.

Præſidiis ſepoſiti.

Bello ſervati.

Commeatum.

ϲti, laridi, leguminum, carnium, caſei, vini in navibus & conditoriis eſſet, ut ſine quibus intractabilis eſt miles & diſciplinæ impatiens. Etiam armorum cenſum iniit, quæ tela & Arma, tormenta, machinæ, pulvis, quæ naves & inſtrumenta nautica, regione maritima & portuoſa. Illud notatum reperio, funalium militarium parcitate laboratum fuiſſe, culpamque in Europæos iſtarum rerum curatores rejectam. At juvit ſe ingenio inopia, funeſque nova arte ex arborum corticibus concinnavit. at, quia in ignem non durabant, minus probos. Ea quoque, ut dicam quod res eſt, annonæ fuit penuria, ut poſtquam caſtris in bimeſtre proſpectum eſſet, demenſo in militem ſatis anguſto & tenui, vix ſuperfuerit, quod ſatis eſſet alendis præſidiis. quibus parcius vivendum fuit & in fraudem genii. Hinc querelæ & murmura militum jejunantium, quæ ducum leni oratione & liberalibus promiſſis compoſita vix quievere. Nec enim, ſueti ad ſatietatem nutriri noſtrates, inediam ferunt, quam aliunde è confragoſo & paupere terra veniens miles facile tolerat. Ne tamen aut hoſtis de anguſtia annonæ noſtræ edoctus audacior in nos iret, aut ipſe miles in caſtris percelleretur, edicto veniam ſingulis fecit Comes, deportandi ad caſtra quidquid vellent commeatus, ſimulata eum in modum rerum omnium largitate. Qua cura apud ſuos defunctus,

Arma.

Prudentia Comitis.

ctus, hoſtium loca, copias & molimina perdidicit, more Imperatoris Punici, cui omnia hoſtium, non ſecus quam ſua, nota erant. Compertum per exploratores eos Portus Calvi terras & Arcem tenere, unde emiſſæ prædatoriæ manus vicinas noſtrorum terras populationibus & rapinis infeſtabant. uſq; adeo, ut ne tuta quidem eſſet à Recifta ad Olindamitio & reditio. Quin deſertis pagis, ob hoſtium metum, ſub arces ſe noſtras ad tutelam receperant Braſiliani. Militares copiæ in Serinhainenſi agro vix in hoc ſufficiebant, ut irrumpentem hoſtē repellerent, ne in intima penetraret. Nec deerant illi ſua in ſylvas refugia, per occultos & cœcos calles, facili ipſi & æquo ad fraudes Luſitano, nobis difficili. Et cum exigi finibus non potuerit, incendiis, ſpoliis, cædibus patuerunt noſtra. Quamobrem, indicta publica ſupplicatione, ne ſine ope divina quidquam aggreſſus videretur, viſum Comiti abſque mora hoſtem adoriri, & imperium ab armis belloque auſpicari, firmandæ potentiæ & oſtentandæ hoſtibus fiduciæ, quæ principatus, apud exteros præſertim, ſtabiliendi primæ adminiſtræ ſunt. Hoc ad Societatis gloriam & ſuam maxime pertinere arbitrabatur, ſi cum dignitate opprimi ſtatim Hiſpanus poſſet. Belli dilatione robur illi acceſſurum & diſciplinam, ſe in vecordiæ aut lentorum conſiliorum ſuſpicionem adductum

Comes ad bellum ſe accingit.

ctum iri. Copiæ omnes terreſtri itinere in Serinhæmum ivere, excepta Comitis prætoriâ, iiſque centuriis, quas Carolus Naſſovius & dux Houſius ſingulas ductabant. Cum enim recens conſcripto milite conſtarent, nec lentis caſtrorum progreſſibus ob longiorem viam pares crederentur. eò ad Comitem navigavere. Hic in *Vnam* cum exercitu movit & ſuſperato fluvio, quem exigua manu tutari facile fuiſſet hoſti, in Barram-Grandem promovit. ut claſſem, quæ triginta tribus navibus vectoriis & liburnicis commeatum & apparatum omnem bellicum ferebat, operiretur. Pedeſtrium militum è Belgis coacti fuere trecenti, navalium ſociorum octingenti, Braſilianorum ſexcenti, quibus addita equitum turma. Hac manu, quam multitudine hoſtis ſuperabat, recta in Hiſpanos itum. His imperabat præfectus Comes Banjola, magno armorum uſu inclytus & belli Belgici ſub Marchione Spinola experimentis clarus, cui præter indigenas, Nigritas (Afrorum populi ſunt) & Luſitanos, militum erant quater millena. aggeribus ripas præmuniverat. quibus, de adventu Naſſovii certior factus, ilicò ceſſit, ſive armorum diffidentia, cum tamen milite prævaleret, ſive pelliciendis ſub ejuſdem portus propugnaculum noſtris. Ad amniculum, qui miliare ab Arce aberat, in monte caſtra poſuit, duorum millium manu.

Vna vel Huna fluvius & pagus.

Barra-Grande.

In hoſtem movet.

Ea



A. Fluvius.
B. Arbôum ſtrues ad fluvÿ. ripam impediendo transitu
C. Agger caſtrenſis hoſtium.
D. Hoſtium agmina ex Braſilianis Luſitanis et Nigritis.
E. Braſilianī hoſtes
F. Fuga hoſtium
1. Prætòria cohors Comitis.
2. Sclopetarÿ.
3. Braſiliani ab utroqȝ montis latere per ſylvam abeuntes.
4. Prima acies.
5. Tribunī Artischotskius.
6. Comes. 7. Turma Equit.
8. Tormenta maiora.
9. Prælium. 10. Exercitus
11. Acies poſtrema Admiraly et nautica plebs.
12. Caſtra nocturna Comit.

Ea duplici aggerum ſerie præcinxerat, obſtructis viarum anguſtiis, quas arborum ſegmentis & truncis longe lateque exciſis oppleverat. Conſilium erat, hîc Belgarum impetum ſiſtere, utque ipſe proximior Arci hanc armatis copiis tueri, & hæc ipſum poſſet. Veſperaſcente die Comes noſter, naturâ loci perſpecta & hoſtium ſitu, in monte oppoſito caſtra fecit. illi leviculis præliis, nullo ſuo commodo, laceſſivere ad pugnam Belgas, totam interim noctem occupati munienda ſepimentis ſtatione. Mane, vix albeſcente luce, exploſis in Hiſpanos aliquoties machinis minoribus, minus audaces terruimus. Acies hoc ordine inceſſit: duæ centuriæ ex Belgicis, & Braſilienſium tres juſſæ à latere dextro per ſylvarum abdita viam facere, & ſuper objecta, quod arduum, eniti: totidem à latere lævo, invadendis ſimul hoſtibus. Naſſovius decorum ſe promtumque in armis oſtendens, cum prætoria cohorte, quam ſibi applicuerat, in fronte erat. quod plurimum referre intelligeret, cujus ductu auſpicaretur illud agmen, ex quo victoriæ omen capiendum eſſet. noviſſimum agmen Schuppius & Artiſoſkius ducebant, qui recentes clarique rerum hic geſtarum fama, militum quoque ſtudiis fovebantur. Sic tribus locis triplici militum manu hoſtem aggreſſi, pugnandi illi poteſtatem fecere. Banjola ſclopetarios mille

Velitationes cum hoſte.

Aciei modo.

in obvios excutere juſſit, deſideratiq́; è noſtris ſex, ſaucii triginta ſex. Nos evulſis palis & perruptis, quæ obſtabant, per ferociam ſeptis, utrinque hoſtem adorti, latera fortiter impulimus, & poſt acrem collato gradu pugnam Hiſpanos terga vertere cöegimus. Quibus plana magis evenerant, facilius irrupere; quibus impugnandi aggeres & ſuperandæ ſtrues & concædes erant, major fuit labor & periculum, ut qui certioribus ſupernè ictibus patebant. Partib⁹ ſpes virtuſque æmulatione accenſæ, incitante illam utrimque ignominiæ demendæ cupidine. Cecidere hoc conflictu hoſtium quadringenti, qui ſparſi palanteſque cæſi disjectis armis viſebantur. reliquis ſub arcis ſe tutelam recipientibus. Interemti captiq́; aliquot, qui militia eminebant. tanto verô hoſtem furore inſecuti ſunt Belgæ & Braſilienſes, ut vix imperio ducis ad ſigna revocari poſſent. Comes primam victoriam ſequentis occaſionem arripiens, per ima collium ſub ipſam Arcem victorē militem perduxit. Banjola, munitis in monte ſtationibus, totum diem in noſtros, ut & illi, qui arcem tenebant, jaculatus, ſtrepitus multum, damni parum fecit. Eopſe die miſſi à Comite Schuppius, & Lichthartius, ille militum, hic navalium ſociorum dux, ad occupandam Inſulam, aſſerendo commeatu & re frumentaria, ut commodius ſupportari poſ-

Hoſtem munitionibus pellit.

ſet.

ſet. Dux Hiſpanus convaſatis de nocte impedimentis loco movit, relictis tormentis æneis tribus. in Arce morari timuit, ne ſe ejus deditione illigaret. nec noſtros prohibere ab obſidione auſus fuit, attritis copiis. Naſſovius poſtero die circumſpectis iterum, quæ hoſtium erant, comperit abiiſſe. & dum propius munimentis, quibus inhæſerant non diu, admovet, occultis illa ignib⁹, quos abiens ſero veſpere Banjola fraude paraverat, diſſiliere. at nullo Belgarum damno, quos tardior acceſſus præſenti cladi exemit. Ille in terram *Camaragibi* vertit, ut inde in Alagoas pertenderet. Inſtat hoſti miles noſter, vagum varia cæde conſumit. inter fugientium trepidationem, prædam & opima ſpolia reportat. Tunc fiduciam capit Dux Belga arcem *Povacaonam* provinciæ caput aggrediundi. non ignarus, uti initia belli eveniſſent, ſpem famamque in cetera fore. Sita eſt Arx in Pernambucenſi provincia, ad ripam fluminis commodiſſimi, & recipiendis onerariis ob altitudinem idonei. à Reciffa abeſt miliaribus xxv. In confiniis molas oſtentat ſeptem, iterque ſternit in Alagoas, Camaragibi & Antonii Grandis fluminum terras. Elapſo proximè biennio expugnaverat illam Lichthartius, acto in fugam Comite Banjola merſiſque in flumine Hiſpanorum pluribus. Verum non diu poſt Albuquerquius, aliud agitans, arrepta

Arcem Portus Calvi Povacaonã obſidet.

repta in conſilium occaſione, eam non difficulter recuperavit, ſcelere Sebaſtiani de Souto Luſitani, hominis ſummè perfidi, cujus operâ optimâ antè uſi fueramus. Hic cum credulitatem Picardi vigilum præfecti nefariis mendaciorum vinculis circumdediſſet, plus incommodi damniq; attulit noſtris, quam commodi aut ſalutis præſtiterat. Falſis namq; indiciis autor Picardo fuit, ut, motis ex Arce præſidiis, vacuam eam fecerit & invaſioni hoſtis oportunam. Quo facinore perfidiam ſuorum, magnitudine criminis, illuſtrem fecit, adducto quoque in certiſſimũ vitæ diſcrimen Dominico Calabari. qui Luſitanus, cum à Regiis partibus ad nos deſciviſſet, in arce captus, ſtrangulatuſque, jugulo defectionem expiavit, & diſſectos artus infidelitatis ac miſeriæ ſuæ teſtes ad ſpectaculum reliquit. Mauritius Societatis intereſſe arbitratus, eam ſubdi, abſque cunctatione ſtativa ordinat quatuor. primis ipſe conſedit. ſecundis gubernaror Sigiſmundus Schuppius, tertiis Artiſoſkius militum tribunus. quartis, qui mare vicario imperio tenebat, Lichthartius. Ab externo metu tutus, in ſingulis ſtationib⁹ ſuggeſta attollit, machinas locat, quibus in arcem ferociter & frequenter diſploſis, mutuas ab hoſte jaculationes damnaque excepit, concuſſis dirutiſque hic illic, quas feſtinatio aggeſſerat, terrarum molibus. Intereà acceſ-

Stativa ordinat.

acceſſus ſuos & latentiores aditus foſſorum laboribus gnaviter ducit, & cum operariis propius adrepit milite. prima luce, ſero veſpere, ſocium ſe periculorum operis addit. Occubuere, præter gregarios aliquot & primores, Carolus Naſſovius, calida juventa miles, majoriſque animi & ſanguinis, quàm fati, & centurio Ioannes Tallebomius. quibus glandium majorum ictu ſubita mors magnarum virtutum uſum invidit. A decima & tertia obſidii die, cum jam proximè foſſis inhærerent operæ, nec hoſti animus vireſque eſſent, ultra ſe defendendi, miſſis obſidibus, dedita Arx honeſtis belli conditionibus fuit, prima Comiti expeditionis Americanæ merces & amplioris potentiæ gradus & fundamentum. Præſidiariis conceſſa poteſtas, militiæ ritu armatis, diſcedendi & compendioſiſſimo itinere in Reciffam inſulam, inde in Hiſpaniolum, & Indiæ Occidentalis, quæ vellent, loca abeundi, vel in Terceram trajiciendi. Vnius ipſis, pro belli honore, machinæ & apparatus bellici non multum, facta copia. Naves, quibus trajicerent, à Comite impetravere, ea fidei pactique, quâ convenerant. Navigavere omnes in Inſulam Terceram, quæ inter Azores ſive Flandricas primaria eſt. Egreſſi ex Arce Gubernator Hiſpanus, Michaël Gibertonus, armorum propræfectus, bello Belgico clar⁹, centuriones octo, ſigniferi *Expugnat*

feri ſeptem, militum quingenti, Italicæ, Hiſpanicæ, Luſitanicæ gentis, præter ægros & ſaucios, glorioſam utilemq; victoriam fecere. ceſſere quippe in belli ſpolia machinæ bellicæ ex ære viginti duæ, è ferro fuſili quinque, mortaria quatuor (genus machinæ eſt pandum ac breve) glandium ferrearum & miſſilium magna vis, ut & funes incendiarii, aliaque Martis utenſilia, totumque Regis, quod illic erat, armamentarium. Nec minus vago exercitu propè Moribecam & S. Laurentium, occurſum fuit hoſtium in fines noſtros excurſionibus, exactiq;, qui irruperant, populatores, duce Jacobo Stackhouwero, qui cum hoſtili manu congreſſus, eam, pugnante fortiter Helmichio Vice-centurione, fudit fugavitque. Sic parta circum agris major quies & ſecuritas fuit. Pugnantium profectò ducum omnium memoriam exempli intererat ad poſteros nominatim extendi, ſi mihi æque promtum fuiſſet nomina ſcire, ac admirari virtutem.

Banjolam perſequitur.

Fugientem Banjolam ponè preſſit Mauritius, victoria utendum ratus. nec diu fuit, cum tota Pernambucenſii Provincia minus tum animoſum & validum exegerit. ſed operæ precium fuerit, ad Hiſtoriæ præſentis, & rerum hîc geſtarum, & porrò gerendarum lucem, Præfecturæ hujus ſitum locaq; ſtrictim indicaſſe. præſertim cũ & Comitis hic & Senatus politici ac ſupremi illuſtrior

Præfectura Pernambu-

ſedes

ſedes ſit, & præcipua crebraque navium ſtatio. Inter Braſilienſium colonias Pernambucenſis è maximis eſt. ut quæ ſexaginta juxtà littus miliaribus porrigitur, inter Franciſci, fluminis celeberrimi, oſtia, & Itamaricæ præfecturam. Peculium eſt Duarti, ſive Eduardi, Albuquercquii, Luſitani, cujus hic nomine imperitabat Frater Matthias Albuquercquius, qui Olindam venerat, paulo antè quàm noſtri ea potirentur. Sedes pagiq; Portugallis habitati undecim notantur. Prima eſt Olinda metropolis, ad maris oram, pulchris ædibus templiſq; nuper conſpicua. Situs, ob colles, quos ambitu ſuo complectitur, inæqualis adeò eſt, ut vix humana induſtria muniri poſſit. In ejus parte editiore eminuit Ieſuitarum Cœnobium, ſtructura elegans & redituum locuples, à Rege Sebaſtiano conditum. proſpectu amœniſſimo primum ſe, ex alto adnavigantibus, oſtentabat. Iuxta hoc aliud conſpiciebatúr Capucinorum, ut & ad littus Dominicanorum & in Superiore urbis regione Monaſterium S. Benti, natura & opere validum; præter Monialium ædem aliaſque. Baſilicas habuit geminas, unam S. Salvatoris, alteram S. Petri appellationibus venerabiles. Oppidanorum cenſebantur millia duo, exceptis Eccleſiaſticis & mancipiis. Hi ad ſigna revocabantur quatuor, diſpari, ut ſolet, numero. Civium ducenti circiter opibus præſtabant

cenſis deſcriptio.

Pagi ſedeſque undecim.

Olinda.

& fulgidiore cenſu. Ab hac Auſtrum verſus, inter fluvium Biberibi & Oceanum, extenditur, ferè uno miliari, longus anguſtiorque & arenoſus terræ trames, ligulæ aut coſtæ inſtar, quem, ut & alibi, provida Numinis cura huic oræ adverſus maris inſultus objecit. Ubi terminatur, pagus fuit, *Reciffa* dict⁹, ſive Receptus. forte ab hoc, quod intra hunc & alium terræ ſimilem tractum oblongum, quem Reciffam Lapidoſam vocant, recipi naves poſſint & ſoleant, accipiendis exponendiſque oneribus. Frequentibus incolis habitabatur, & qua parte medium hunc tractum Arenoſum interſecat mare, majorum navium ſtatio eſt, ob inſignem pelagi altitudinem. E regione hujus, ubi deſinit Reciffa lapidoſa, hic illic mari pervia, Turris fuit ex aquis exſurgens, Caſtelli maritimi nomine, ad diſcrimen ejus, quod in Reciffa terreſtri aut arenoſa cernebatur & caſtellum terreſtre vocabatur, Luſitanis S. Georgii. Poſt deſertam Olindam, in Reciffæ pagum ſe recepere civium & mercantium plærique, qui ædificiis illam inſignibus ornavere. donec ejus fulgorem præſtringere cœpit Mauritiopolis. ſepimentis cinctus à noſtris, qua parte fluvium adſpectat, robur non leve accepit, cum is, relabente maris æſtu, pervius fit pedibus. Hæc Olindæ facies fuit, antequàm eam expugnaſſent Belgæ. qui munimentis novis hos terrarum Receptus ut &

Inſu-

Inſulam Antonii Vazii inexpugnabiles fecere. Fulget jam hæc Inſula Palatio Comitis, Friburgo, ad uſum ej⁹ & Imperii decus ſumtibus ipſius, magnificè exſtructo, ut & urbe MAVRITIOPOLI & pontibus ad miraculum in gemino flumine jactis. Secunda ſedes fuit Garaſu, pagus verius, quam oppidum, à littore remotior, è regione Itamaricæ inſulæ, quinque ab Olinda miliaribus. Olim tenuioris fortunæ Luſitani incoluere, mechanicis artib⁹ vitam tolerantes. at poſtquam noſtris partibus acceſſit Olinda, etiam opulentiores huc commigraverunt. Expugnavere hoc oppidulum noſtrates, calendis Maij Anni triceſimi ſecundi ſupra milleſimum & ſexcenteſimum, captumque incendiis & militari direptione deforme fecere. Tertia fuit Reciffa jam dicta. Quarta Moribeca, mediterranea magis & Auſtralis, quinto à Reciffa miliari. Quinta S. Antonii, ſeptem vel octo à Reciffa miliaribus, Auſtrum verſus, ſecus promontorium S. Auguſtini. Sexta Michaëlis de Poyuca, incolis frequentiſſima, decem à Reciffa miliaribus, ubi machinæ ſacchareæ tredecim magnam ſacchari vim quotannis edunt. Sita eſt ad amnem cognominem, qui ad latus Meridionale promontorii Auguſtiniani in mare ſe exonerat. Septima pagus Serinhæmi ampliſſimus & amœniſſimus, ubi duodecim machinæ, quæ ſingulæ ſex aut ſeptem millia arobarum ſac-

Inſula Antonii Vazii.

Garazu.

Reciffa.

Moribeca.

S. Antonii

Poyuca.

Serinhæmum.

chari feliciter exequuntur. Pendet Aroba XXVII aut XXVIII libras noſtrates. tredecim à Reciffa miliaribus abit. Octava ſedes Gonſalvi de Vna, viginti à Reciffa miliaribus, machinas exercet quinque. Nona Portus Calvi XXV à Reciffa leucis, machinis operatur ſeptem vel octo. Hic Arx Povacaona eſt, Mauritiana victoria illuſtris. Decima pagus Alagoæ Borealis, XL miliaribus. Vndecima Alagoa Auſtralis, totidem ferè diſtans. Vicis etiam aliis minorib⁹ Braſilianorum degitur, quos *Aldeas* vocant. Ædificia, quib⁹ ſacchara coquuntur, numerata fuere ſeptuaginta & ultrà. Eorum aliqua amplitudine pagos adæquant, ob operariorum, circumquaq; habitantium, frequentiam. Tantum ex illis ſacchari quotannis colligi perhibent, quantum onerandis navibus octoginta vel nonaginta ſufficiat. Non vanis autorib⁹ habeo, uno die ex Olindæ portu ſolviſſe naves ſaccharo onuſtas quadraginta, relicta adhuc in conditoriis ea ſacchari copia, quæ ad totidem navium vecturam ſatis eſſet. Nec poſſunt illa confici ſine Nigritarum opera, quorum numerus ingens ex Angola aliiſq; Afrorum portubus huc tranſvectatur. Conſtat ex commentariis & diurnis notis, ad annos viceſimum primum, ſecundum, tertium, ſupra ſeculum decimum ſextum, quadriennii ſpatio è ſolo Angolæ portu in Pernambucenſem Præfecturam tranſ-

Vna.

Portus Calvus.

Alagoa Borealis. Auſtralis.

Aldeas.

tranſvecta Nigritarum millia quindecim, quadringentos inſuper & triginta, maximo Regis Hiſpaniarum compendio. Montibus vallibuſq; lætiſſimis hæc regio diſtinguitur, cannarum ſacchari feraciſſima, etiam ligni Braſilienſis optimi. Nec minus paſcu⁹ quoque eſt ager, & pecore abundans, ut, quod de Campania ab Italis olim dictum fuit, ſumen Braſiliæ dici mereatur. Hæc topographica ſunt, & quia notiora, minus egent ſtylo. inſiſto geſtorum narrationi.

Proviſis, quæ ad propugnaculorum munitionem & robur faciebant, Schuppius cũ copiis & equitatu in Allagoas miſſus fuit, in reliquias hoſtium inquiſiturus. Ipſe Comes, ut fatigatum itinere militem levaret, conſcenſis in Barra grandi (ſinus eſt ſpatioſus, mille & ultra naviũ capax, Portui Calvo vicin⁹) navibus, ad promontorium Sergoæ appulit, non longe ab Allagois, hoſtem inſecutus ad flumen uſque Franciſci. Hæc inter, indigenarum plurimi, armis noſtrorum & excurſionibus proximi, in tutelam recipi ſupplices petiere, quod & impetravere. nec enim cũ privatorum calamitatibus, ſed hoſtium vi contendere generoſum credidit Naſſovius. quo facto accidit, ut in ſua redirent incolæ, Belgas fortunarum ſuarum tutores, non hoſtes experti. Propè Corregippam cognitum indiciis, Comitem Banjolam Openedæ quem habebat militem, in oppo-

Schuppius in Alagoas abit. Banjola fugit.

Flumen S. Franciſci trajicit.

oppoſitam fluminis Franciſci ripam lembis tranſmittere. Quare mandatum Schuppio, ut eò ſe cum copiis baliſtariorum Braſilianis & equitum turma conferret, turbandis Hiſpanorum cœptis. verum ſerius adventans, dum poſtremus trajiceret lembus, ſpoliis ſolummodo pecuniariis & vaſis argenteis militum cupidini litavit. Equidem victa, præter opinionem & Banjolæ, & incolarum, celeriter Arce, quam quadrimeſtri obſidioni parem putabant, indigenæ rebus ſuis conſulere tempeſtivè nequivere. Comes, ubi Openedam venit, (oppidulũ eſt ad S. Franciſci ripam,) ſex à mari miliaribus, cum idoneum judicaret locũ, faciendis in hoſticum progreſſibus, Arcem ibidem in rupe de ſuo nomine condi juſſit, ut & aliam ad fluminis oſtia, hoſte & incolis ſe in Seregippam Regiam recipientibus, quæ viginti quatuor à fluvio Franciſci miliaribus abeſt. Huic oſtium eſt patens, qualis fere Moſæ eſt latitudo in Batavis, ad Delfenſem portum. aquæ motu feruntur concitatiſſimo. Tum imperatum Auſtralem ripam incolentibus, uti cum jumentis omnib⁹ in Borealem tranſirent, ne pabulatum eò, ut ante, iret hoſtis.

Comes Openedam venit.

Caſtrum Mauritii ab ipſo impoſitum ripæ S. Franciſci.

Atque his fere expeditionibus exacti hîc menſes brumales & ver primum fuere. quarum felicitate firmati militum animi & Comiti ademtus hoſtium contemtus. Quæ perſcripta ad Potentiſſimos Belgii Ordines

&

& Societatis rectores, auſpicata Comitis imperia omnibus fecere, & inſertum publicæ famæ, encomiis multorum domi foriſque extulere. Ipſe datis Openeda ad Celſiſſimum Principem Auriacum, Fœderati Belgii Gubernatorem, litteris, de his, quæ pridem geſſerat, in huncmodum ſcribit:

Litteræ Comitis ad Principem Auriacum.

Ex quo per Tribunum Artiſoſkium ea omnia, quæ felici ſatis Marte pro Societate, in externis gentibus, hactenus confecimus, perſcripſi, propero agmine in hoſtem perrexi, oportunum ratus inſtare ſucceſſibus & favori Numinis. Ille in Alagoas profectus nec adventus noſtri patiens, trajectis, quæ intercurrebant fluminibus, planè fugienti ſimilis, Openedam uſque, oppidulum ad ripam fluminis S. Franciſci, penetravit. ubi moræ quoque omnis neſcius, ſequentium formidine, ne in periculum exercitus ſui reliqua daret, flumine ſuperato, ſuſque deque habuit quicquid apparatus bellici in citeriore erat ripa. Et niſi, dejectis à tergo pontibus, quos refici neceſſe erat, remoram injeciſſet nobis inſequentibus, omninò ſpes erat, uti ipſe militarium Dux Banjola in manus noſtras incidiſſet, cum magna armatorum manu. Quos enim præmiſeram ſclopetarios equiteſque, tranſducentem poſtremos ſuorum videre, prædam non contemnendam ex impedimentis nacti. Vbi evaſit, cum copiis, quas reliquas habebat, in Omnium Sanctorum præfecturam & Vrbem contendit. Nos Præfectura omni Pernambucenſi repuliſſe hoſtem contenti, hîc victoriam & primi belli vota ſtitimus. Locum hunc

 promo-

promovendo in hoſtiles terras bello oportunum arbitror, præſertim ubi in arctum ſtringitur flumen, inſignis aliàs latitudinis. Hanc ob cauſſam Caſtrum validius impoſui ripæ, ſex à littore miliaribus, cujus ichnographiam præſens exhibet tabella, certus aliud minus ipſi oſtio imponere. Non alibi illuſtrius Flumen excellentiuſque reperias. ea quippe eſt amplitudine, ut quibuſdam locis trajici glande tormentaria librarum ſex nequeat : ea aquarum velocitate & impetu, ut longè ab oſtio, truſi in aperta Oceani latices, dulcedinem ſervent : ea altitudine, quæ cubitos æquet octo, duodecim, quindecim. aditu difficile eſt, ob arenas, quibus obſidentur oſtia. facillimè ſubeunt Liburnicæ noſtrates Openedam uſque & altiùs. Diverſa huic fluvio ab aliis indoles. Per brumam, reſtagnantibus aliorum aquis ex perenni pluvia, nequaquam ripas egreditur. æſtate, deficientibus aliorum aquis, proxima quæque inundat, Cauſam percunctatus ex Portugallis, accepi, in mediterraneis locis, centies ſex ſeptemve à mari miliaribus, magnam nivium & glaciei vim colligi, qua per calorem æſtivum liqueſcente, intumeſcunt aquarum alvei. Eſt hîc locorum gens effera, barbara & inconditis prorſus moribus, de anthropophagorum genere, quam Tapujas vocant, quorum ſeptingenti altero à caſtris meis miliari conſedere, miſsis è ſuis, qui pacem orarent, & ſocia adverſus Luſitanos arma. Corpore erant robuſto, grandi & benè habito. idioma linguæ iſtiuſmodi, ut nec à Luſitanis, nec à Braſilianis, aliiſque, qui penes nos erant Tapujis, intelligi poſſent. Geſtibus tamen & manuum motu animi

ſenſa

ſenſa mutuùm expoſuimus. illud potiſſimum, ut fluminis tranſitu prohiberent Luſitanos trans fluvium degentes, & hoc conantes trucidarent. intellexere & per horribiles voces annuere poſtulatis. Poſteà munuſculis leviculis donatos dimiſimus, lætos novæ gentis congreſſu & humanitate. Omninò futurum arbitror, ne poſthac auſint trajicere flumen hoc hoſtium prædones, & graves eſſe finibus. Vlterioris ripæ agros terraſque vaſtare ſtat ſententia. juſſi ſunt indigenæ in Borealem ripam familias armentaque ſua trànsferre, ne hoſti pabula vel ſponte vel coacti ſubminiſtrent. Dum inſequor ad leucas LIII, *tale ſolum omne comperi, ut amœnius temperatioriſque cœli dari vix putem. nec calor diurnus eunti gravis fuit, nec frigus nocturnum, licet horreſcente interdum corpore. Pandunt ſe locorum plana, decem ſubinde miliarium amplitudine, quæ torrentibus rivuliſque lene fluentibus irrigantur, vagantibus hic illic & pabulantibus gregatim animalibus. quorum greges & agmina mille quingentorum, quinque millium, ſeptem millium, numerum habebant. Stupui, nec invenire hæc fidem apud me potuiſſent, niſi hiſce oculis uſurpaſſem. ſolùm incolarum indiga tellus, colonos implorat, qui deſertam colant & inhabitent. Scripſi ad Novemdecim viros, ut Germanorum profugos, patriæ extorres, boniſque exutos, huc tranſmitterent, ituros in fœcundas frugum terras & læta imperia. Idem Celſitudini tuæ curæ ſit & cordi, nec enim abſque colonis utiles eſſe poſſunt terræ Societati, nec pares impediendis hoſtium excurſionibus. Quod ſi hac via non ſuccedat res, laxari optem Amſteloda-*

menſium Ergaſteria, dimitti damnatos ad triremes, ut dum ligonibus hic terram vertunt, improbitatem deterant, priorem infamiam honeſto ſudore eluant, nec reipub. moleſti, ſed utiles efficiantur. Iamq; majora polliceri videbatur ſic ſatis felix reipub. ſtatus. miles naveſq; in promtu. Duces in omnem fortunam parati & agiles. Imperator expeditus. Portus Sanctorum votis omnium petebatur, ſed annonæ penuriâ & apparatus bellici, quorum pertinaci & aſſidua flagitatione plorant chartæ omnes & tabulæ, inhiberi victoriarũ egregios ſucceſſus & ſpes Comitis, plures querebantur. Nec mirũ flagitaſſe illa impenſius Braſiliæ rectores, cũ tranſmarino militi annonæ & armorum ſollicitudo, quantumvis anxia & præpoſtera, vitio verti non debeat, ob pelagi & ventorum incerta, ut ſatius ſit providis eſſe & Prometheis, quã Epimetheis. Nec Societatis Adminiſtris præſtare ſemper, quæ ſperabantur, facile fuit, ob publicam inopiam, ob diſſentientes ſententias, privatas miſſitationes, aliaq;. Scripſiſſe Comitẽ & Senatores lego: *Primis eventibus metũ aut fiduciam gigni: inſtandum nunc optimè cœptorum famæ: fortunam rebus agendis ſe præbere: hoſtibus occaſionem tempuſque dari colligendi vires: Regna parantibus celeritate opus eſſe; alias prætervolare opportunitates: gladios ſibi à Societate porrigi, ſed neceſſariorum defectu uſum impediri: terribiliores ſe fore, ſi inopinatis & imparatis ſuperveniant, quàm ſi exſpecta-*

Litteræ Comitis & Senatorũ ad Societatis Rectores.

ſpecta-

ſpectati pugnarent: mitterent ſupplementa, arma, victualia: militem vel miſſione vel fato minui: ſine armis invalida eſſe bella, ſine annona militares. Farinæ nonnihil ſufficere agreſtes, ſed non quantum ſatis alendis claſſibus. pecora haberi poſſe, ſed in recentem uſum, non in expeditionum maritimarum moras & tempora: ſola Comitis reverentia modeſtū eſſe exercitum, cetera querulum & inquietum: exſpectare ſe legumina, funes incendiarios, tympana & buccinas, ciendis viris & accendendo Marti; etiam inſignia aut baltheos è byſſo coloris aurantii, acuendo & dignoſcendo militi. ſi mittere illa negligant, rem omnem in caſum dari, & periclitari in extero orbe, inter benè maléque affectos, Societatis æſtimationem. Quæ ſane bella turientem populum arguebant & plenos animi Rectores.

Per id temp⁹ bellis intento Comite, multa domi prudenter ex uſu publico à Senatoribus decreta, quæ ad ipſum, cum res exigere videbatur, relata, in caſtris rata habuit. Cives & coloni, quotquot ſe aliquot retrò annis in Olindam & Reciffam mercat⁹ cauſa receperant, qui ſui juris nec publicis muniis adſtricti erant, in centurias quatuor conſcripti ſunt, ſub ſuis ducibus & ſignis; ut inſigni ſapientia, quos eodem die aut hoſtes, aut dubiæ fidei habuiſſet, cives & amicos habuerit. His ſiquidem fidendum magis rebatur, quam nullo juramento adſtrictis. quibus facile eſt, repertis auctoribus, animos ſumere, & nova imperia excutere. Ex- *Domeſtica.*

actiones publicæ magno ære redemtæ. Legibus matrimonialibus, iiſdem, quæ in Belgio vigent, adſtricta inordinata connubiorum licentia tulit voluptates ſufflaminari. Nec enim à vetitis conſanguinitatis gradib⁹ abſtinebatur, & conciliatores matrimoniorum adibantur Sacerdotes Pontificii. Facta, ob conſcientiam, Iudæis venia, feriandi ab excubiis, die à mundi natalibus ſacro. Ne Chriſtianorũ quoq; Dominicus novis Chriſti & piorum natalibus ob Reſurrectionem illuſtris, vilis profanuſq; haberetur, juſſum. Multi alii mali mores, cum ad pernicioſam veſaniam iretur, ſublati. Neq; ſegnem dedere operam præfecti reipub. convertendis ad fidem Chriſtianam Braſilianis. Aperti in eum finem ludi formandis puerorum moribus & ſanctioris doctrinæ ſucco imbuendis. conceptæ ſanorum verborum formulæ, & breviaria, & conſtituti, qui ea interpretarentur. Luſus, quibus civium fortunæ flagellantur, côerciti. Facta inſuper unicuiq; poteſtas in Olinda, quam pro deſerta habuerant priores, novas domos condendi, & collapſas reſtaurandi. interdictumq; ſeverè, ut à transferrendis aliò ruderibus, lignis, lapidibus, ferramentis, abſtineretur. Placuit quoq; Senatui, Nigritas, quotquot ibidem degerent, ſub haſta divendi, ſive captivitatis jure noſtri eſſent, ſive emtionis. Quanquam enim in Chriſtianorum inter ſe bellis

captos

captos vendi, & ad operas ſerviles urgeri ſævitia habeatur, quod Romanis olim, & ante hos Theſſalis, Illyriis, Triballis, Bulgaris familiare: non tamen inter ſuæ religionis populos factitant Mahometiſtæ. licet inter hos & Chriſtianos religione diſpares iſtiuſmodi venditiones obtineant. Navium quæ per hæc tempora vel è Belgio advenere vel rediere, vehendis mercibus, re frumentaria, armis, aliiſque, numerum & nomina recenſere velle, anxii nimis foret, & minutiora quæque exequentis ſcriptoris. Hoc unum referam, appuliſſe hac tempeſtate ad Reciffæ littora Gallorum navem, cui mercandi pugnandique adverſus infenſos poteſtatem fecerat, ſub Regis Chriſtianiſſimi auſpiciis, Eminentiſſimus Cardinalis, Armandus Richelius. Verum uti humaniter admiſſi fuere ejuſdem Navarchi, ob fœderati Regis reverentiam & amorem; ita pellectis, malo more, ad ſe, qui pro nobis hic militabant, Gallis, abire à litore juſſi ſunt. Hic Ille Richelius eſt, regnorum Galliæ, & arcanorum ejus, ſub Ludovico Rege nuper arbiter. qui totius Europæ labores & negotia capaciſſima menta complexus, non Francorum ſolummodo fortunam, ſed & vicinorum Regum Principumque ſtabilire aut concutere viſus fuit. Nec ſilentio prætereunda diligens quorundam è Senatu induſtria & alacritas. qui ad imperii cuſtodiam illud

Senatus Secretioris

& Politici laudatio. illud maximè facere credebant, ſi qui rebus regendis præeſſent, iiſdem & gerendis adeſſent potius, quàm ut aliorum moderamini creditis armis, ipſi ſegnibus domi votis ſuam publicamque fortunam opperirentur, & proſperum quodcunque, ut alienum acciperent, adverſum, ut ſuum ſibi imputari paterentur. Fuere his ſtudiis laudabiles Giſelinus, Ceulius, Duſſius, Carpentarius, aliique, qui itineribus, arcium reſtauratione, annonæ & armorum cura, militum in hoſtem claſſiumque immiſſione, non indigna tantis negotiis nomina fuere. Tunc metallicæ quoque ſpes mercantes erexere, &, ut anguſtis rebus fieri ſolet, ſperata ubique lucra fovebant ſuaviſſima auri imaginatione cupidam Societatem. Miſſi in Couhaovenſes fuere Albertus Smientius & Paulus Semlerus, qui Luſitanorum & Braſilianorum adjuti operâ fodinas ibidem ſcrutati, invenere argentiferam, quæ cum opulenta videretur, poſtea fefellit exſpectationem. Erant & aliæ per Albuquercquium celebres, è quibus magnā maſſæ metallicæ vim ipſum eruiſſe fama erat. ſed nondum illæ noſtris repertæ. Etiam ferebantur per Luſitanorum ora, fodinæ Copaovaenſes, ut & illæ ad promontorium Auguſtini. Terræ Novæ fodinæ, metalli inopes, lapidem dabant, ſolo fulgore magna mentientem. Nec dubitem ego, Luſitanos illuſiſſe noſtrorum

avari-

avaritiæ, & occultarum opum vana venditatione captaviſſe publicam benevolentiam. Nec enim, qui tot annis tenuerant Braſiliam, neglexiſſent penetrare in iſta arcana, aut auri argentique fodinas ſervaſſent intactas feræ Belgarum egeſtati.

Adventantibus pluviis menſibus & hoſte quatuor Præfecturis pulſo, Naſſovius munitis fluminum acceſſibus, & inſtructis præſidio Arcibus, adverſus Barbarorum & Hiſpanorum populationes; in Reciffam, primam præcipuamq; hujus tractus Belgarum coloniam, è caſtris reverſus, conſtituendæ Reipub. animum applicuit, & legib⁹ civem; vitia, quæ graſſari novarum dominationum primordiis ſolent, pœnis cöercuit. Vti enim priores potentiæ viam aperuerant, ita luxuriæ poſteriores. Quippe, nullo per hæc tempora Præſide, remotis longe ſupremis tantarum rerum moderatorib⁹, facile à virtute deſcitum, & languente diſciplina ab armis ad voluptates, à negotiis ad otia converſi indigenæ & noſtrates, impietate, furtis, peculatu, homicidiis, libidine, famam gentis ſuæ turpiſſimè maculaverant. ut Hercule opus eſſet, qui Augiæ hoc ſtabulum purgaret.

Redit in Reciffam MAVRITIVS.

Ordinat Rempublicam.

Flagitium quodcunque ludus & jocus erat, vulgato inter deteriores epiphonemate: *Vltrà Æquinoctialem non peccari.* quaſi non omnium locorum & populorum eſſet ho-

neſtas,

neſtas, ſed Septentrionalium tantùm, & quæ mundum dividit linea, virtutem à vitio ſecerneret. Sed hæc omnia novi Imperatoris ſeveritas & prudentia, multa corrigentis, multa rigidè punientis, ſuſtulit & emendavit. ut plures bonos feciſſe, quàm inveniſſe credi potuerit. Juſtitia, æquitas, modeſtia, ſepultæ ac ferè ſitu obrutæ, oppidis pagiſque redditæ. Sacris reverentia, Senatui autoritas, judiciis horror, legibus ſua reſtituta vis. plures emendatæ & latæ utiliter. parta ſecuritas civibus, certum cuique rerum ſuarum dominium. Faciendi ſingulis, quod officij ſui erat, aut rediit voluntas, aut impoſita neceſſitas. honores dignis, pœnæ indignis & nefariis paratiſſimæ. Quin adunatis gentibus diverſis, Belgis, Luſitanis, Braſilianis, veluti unum populi corpus fecit, ſurgentique imperio valida incrementorum fundamenta conſtituit.

Legibus roborat.

Primo ſemeſtri ſeveris ſuppliciis in peſſimos animadverſum, & incuſſo metu omnibus, pœna paucorum fuit. mitiſſimi aliàs ingenij ducem coëgit ad inſolita & acerba deflectere peccandi enormitas, ex hac ſalutis publicæ periculum: uti crudelem medicum intemperans æger facit. Qui politici vel etiam Eccleſiaſtici ordinis, dedecora videbantur Societatis, domum remiſſi, ſuffectis aliis aut hinc accerſitis. quos, tumultuante licet malè feriatorum fece, conſtanti aucto-

In peſſimos anim. advertit.

Indignos removet.

auctoritate vindicavit. Conſtituti per præfecturas, oppida, pagos, magiſtratus, Electores dicti, prætores & Judices, qui civilia curarent & criminum cauſas, legibus hîc receptis. Etiam qui orphanorum res curarent, & ægrorum in domiciliis publicis miſererentur. Indignabantur multa boni moris præcepta Luſitani, quibus per hæc tempora frequens fuerat pecuniis redimere flagitiorum peſſima. Etiam hoc effectum, ut militum cuiq; & res Societatis adminiſtrantium adſignatum fuerit ſuum victus demenſum. quæ res, maximâ annonæ caritate, inſignem utilitatem publico attulit, at invidiam non levem Comiti apud ſuos conflavit. uſque adeò, ut in apertam ſeditionem erupturæ viderentur querelæ, niſi circumſpectâ authoritate gliſcentes motus compeſcuiſſet. Molæ ſacchareæ collapſæ & ab operariis vacuæ, fiſci jure noſtræ, licitatæ & venditæ, aliæ viginti, aliæ triginta, aliæ ſexaginta, aliæ ſeptuaginta, quædam centenis florenorum fuere millibus. unde ad Societatem rediere vicies centena floren. millia. Munimentis neglectis paſſim, nec adverſus vim hoſtilem validis, reſtitutum robur ſuum & decus, dirutis iis, quæ minus neceſſaria videbantur. Perſcriptum præfecturarum rectoribus, ſalutari Comitis conſilio, uti Braſilianis poteſtatem facerent, in ſuas ſedes pagoſque revertendi, cum anguſtè degentibus noſtris,

Magiſtratus conſtituit.

Orphanotrophia.

Noſodochia.

Victus demenſa, ob annonæ caritatẽ, militaribus aliiſque definit.

Molas fugitivorum Luſitanorum magno ære vendit.

Arces reſtaurat.

Nõ neceſſarias diruit.

Braſilianos in ve-

teres ſedes & Aldeas remittit. non ſatis ipſis eſſet agrorum, conficiendæ, qua victitant, farinæ; ideoq; alimoniæ noſtræ egerent. præterquam quod otio remiſſi jam agricolis graves eſſent & populatores terræ, quam à populationibus vindicare debebant. Accedebat & illa cauſa, quod ipſorum laboribus gratis uterentur Belgæ, & ob hoc infeſtiores nobis redderentur. *Barbaros humaniter habet.* Profectò inſigne & rarum ſe juſtitiæ & æquitatis erga Barbaros exemplum præbuit, omni eos beneficiorum genere proſecutus, decreta laboribus ipſorum digna mercede, meritis & officiis remuneratione. Etenim miſeratus magis ſortem non Chriſtianorum, quàm indignatus, humanitate complexus fuit, quos non poterat fidei & relligionis amore. Stipendia eorum & donaria ita moderatus fuit, ut neque luxuriam irritaret, neque aliam, quàm honeſtam paupertatem, vivere pateretur. Nam ut EGREGIVM eſt hoſtem dejicere, ita non minus laudabile, infelicis ſcire miſereri, & ea beneficia conferre in victos, quæ victores non dediſſent. Nec manſuetudinem illam & benignitatem quatere potuerunt aliorum minus humana conſilia, qui durius habendos Barbaros cenſebant. Etenim tum demum inter exteros homines minimum ſe odij habiturum credebat, cum plurimum humanitatis, cui ex ipſo homine nomen, habuiſſet. Et ſanè dum hæc ejus erga ipſos benevoentia

tia ſpecioſè latèque patet, lucidiora quoque & alacriora ipſorum erga ſe ſtudia & officia reddidit. Poſtulatis Luſitanorum, quotquot imperia noſtra agnoſcebant, & gentis ſuæ res moderabantur, ex æquo & Reipub. bono, & Fœderatorum decori convenienter, reſponſum: Sacra ſua & religionem illibatam ſibi haberent; nullâ in aliorum ſacra jurandi lege adſtricti, conſcientiarum libertate gauderent, ut quæ divini juris ſit, non humani: curæ fore Comiti & Senatui, ne quid detrimenti templa ipſorum paterentur, niſi fortè externa vis neceſſitatem imponeret, ea ad civium tutelam muniendi & milite præoccupandi: Præfectum ſacrorum Ordinum ab Epiſcopo Bahienſi ne expectarent; nec enim novorum motuum, gliſcente imperia, flabella & peſſimarum in Rempub. machinationum autores accerſendos eſſe: minus prudenter id ipſum ab iis flagitari, qui fidem obedientiamq; Comiti juraviſſent: defunctis Monachis novos necdum ſurrogarent, cũ per ſuperſtites peragi ſacra poſſent: privilegia ab Hiſpaniarum ipſis Regibus indulta, rata haberi non poſſe, niſi de illis propius conſtet, quæ illa & qualia: Luſitaniæ legibus & jure, apud Hiſpanorum hoſtem populum, ipſis vivendum non eſſe, ſed Cæſareis & Romani Imperij legibus, iiſque, quæ apud Hollandos, Zelandos, Friſioſque obtinent: Domici-

Ad poſtulata Luſitanorum reſpondet.

lia, quæ in Olinda quiſq; propria haberet, ut ſua poſſideret: fundis inædificaret, modò impoſita ædibus onera pari cum noſtris lege ferret: Ob neceſſitates belli, & exhauſta impenſis ærariа, non poſſe impræſentiarum ex decimis Clerum ali, cōmodiora fandi & impetrandi tempora expectarent: Mancipia, quotquot à dominis ſuis aufugiſſent, autoritate publicâ redditū iri, modò poſt juratam nobis fidem id auſi fuiſſent: Sin autè, ea reſtitui ſine ſumma rectorum perfidia & ſcelere non poſſe, cum & belli ſtudiis & aperiendis hoſtium terris latebriſque & ſaccharorū machinis ac conditoriis utilem Societati operam navaverint: nefas eſſe hos ipſos dominorum ſævitiæ & exquiſitiſſimis ſuppliciis, tanquam piaculares victimas, objici: præterquam quod ob mutata aliquoties dominia, primis dominis reddi non poſſint: licentiam concedi indigenis & uxoratis & fide publicá adſtrictis, lat' gladio accingendi, adverſus Nigritarum agreſtia tenentium aſſultus: quotquot, impetratis à Comite veniæ litteris, redire Olindam & ad ſuos volent, iis ex arbitrio ejuſdem & Senatus, domos, agros, prædia, ſua fore: de militum graſſationibus & agrariis excurſionibus jam decretum eſſe: Veniam impunitatis concedi non poſſe, niſi de delictis & reis propius conſtet: pari eos lege & modo cum noſtris in ſolvendis portoriis, tributis & vectigali-
bus

bus habendos: ſingulis hebdomadibus duos dies faſtos dijudicandis ipſorum controverſiis à ſupremo Senatu dictos eſſe: denique, nihil æquè cordi eſſe Societatis rectoribus, quam ut Luſitanorum, fide ſe & debita obedientia probantium, fortunæ, res, mercimonia, ſub nova hac & externa Belgarum dominatione, porrò floreant vigeantque. Quo reſponſo leni & moderato hoc effectum, ut æquius de noſtrorum imperio ſenſerint victi, locuti fuerint honeſtius, paruerint lubentius. Nec diu poſt in eandem ferè ſententiam ad ſimilia poſtulata reſponſum iis, qui in Paraibæ territorio res ſuæ nationis agebant. Multa alia decreta de decimis ſaccharorum & farinæ in præfecturis Pernambucenſi, Itamaricæ & Paraibæ, etiam de piſcationibus maritimis, ponderandis mercibus, fluminum & aquarum hîc illic trajectibus; ex quorum factâ publicanis venditione grandes collectæ pecuniæ, annuæ vel ſemeſtres. Fraudibus adhæc injuriiſque mercantium obvium itum, revocatis menſuris ponderibuſque ad formam & normam fori Amſtelodamenſis. Cumque omnia poſt religionem ponenda duceret, etiam illa, in quibus ſui imperij decus conſpici voluit; ab exactiſſimo ejus cultu remotos nequaquam oculos habuit, non ignarus, pro ejus imperij incremento & cuſtodia excubare Numinis indulgentiam, in quo

Decreta varia de decimis, piſcatione, ponderibus, &c.

MAVRITIVS, *quæ Religionẽ attinent, ſedulò curat.*

Pietatis momenta omnia ſeria cura obſervantur. Nec obſtitere diſſidentium ſtudia, quo minus tenor illi ſuus obſervatioq; conſervaretur. Quamobrem prima ipſi cura fuit, ut ſacrorum noſtrorum adminiſtri per provincias conſtituerentur, qui cũ poſcendum aliquid à Deo eſſet, verba præirent; cum imbuendi vera relligione rudes, docerent; cum ſolvendæ Deo gratiæ, ſolverent pro univerſis; cum obſignandus piis divinus favor, porrigerent incurrentia in oculos ſacroſancta gratiæ ſigna. His additi, qui pueritiam formarent, & cæcutienti paganiſmo præferrent rudimenta fidei, & melioris doctrinæ ſcintillis diſcuterent profundæ ignorantiæ tenebras. Hoc ut fieret ordinatè & ſpe pij fruct⁹, aliter Paganos, aliter Iudæos, aliter Pontificios habendos cenſuit ipſe & Præcones publici. Paganis eximendos plurium Deorum ſuperſtitioſos cultus, & unius Numinis veneratione erigendas mentes. Iudæis eximendam inveteratam, de Legis Moſaicæ æterna obſervatione, opinionem, ut & de regni Hieroſolymitani reſtauratione: perſuadendam Jeſu Chriſti Filij Mariæ, tanquam promiſſi & nati dudum Meſſiæ, reverentiam & fidem. Pontificiis oſtendenda ſubnatorum in Eccleſia errorum tempora, adimendum de unius ſummi Præſulis in terris Auctoritate, eaque falli neſcia, ſenſum. Ita potentiæ Societatis benè atque con-

conſtanter famulata eſt Comitis pietas, tam publicæ religionis aſſertione, quàm aliarum circumſpecta toleratione.

Deliberationes de transferenda imperij ſede in TAMARICAM.

Magna id temporis Tamaricæ inſulæ laus erat & apud Braſiliani imperij in Belgio primores commendatio, ut jam de transferenda in illam Imperij ſede multus ſermo eſſet. Verum ſignificavere illis Comes Senatoreſque, incommodam fore illam tranſlationem, inutilemque: luſtratum à ſe locum inſulæque omnia. vaſta apparere cuncta & incondita, raros habitatores, domicilia vix ulla. hîc, ubi Reciffa eſt, frumentarias ædes, armamentaria, & mercium conditoria reperiri. illic magnis impenſis exſtruenda hæc eſſe: Reciffæ ſedem amæniorem, fertiliorem & munitiorem, facilem aditum maximis navigiis dare, portu commodiſſimo & laudata ſtatione. Tamaricenſem fluvium non niſi minoribus navibus ſubiri poſſe, ſolo circum ſterili & inculto, portu vadoſo & navium plurium naufragiis infami. Aëris ſalubritate aliiſque naturæ beneficiis pares locos cenſeri: Eſſe illic aquarum dulcium copiam, ſed & hic per Nigritas è Biberibi fluvio ſemihoræ itinere apportari illas poſſe, quin & puteos hîc eſſe, qui per obſidionis tempora aquas ad potum ſufficiant. Lignationes quoque dari, licet majore ſumptu. Quare veteri ſe loco continuere & aulæ & Curiæ Braſilianæ Rectores.

Præfertur Reciffa Tamaricæ.

Exſcenſio Lichthartij in præfecturam Inſulanam, ſive Capitaniam Iſleos.

Verum (ut bellica memorem) Lichthartius dux acerrimus & peritiſſimus, qui inſtructis navibus majoribus & Liburnicis littora Portus Sanctorum dudum legerat, ut prædam opperiretur, poſtquam ad Auſtralem ejus oram, & Sinum Camaniu reficiendæ rati ſe recepiſſet, hoſtiumque domicilia, prædia, agroſq; flammis vaſtaviſſet, ut Portus Sanctorum civi annonam ſubverteret, in præfecturam *Inſularum*, ad urbem cognominem, appulit, paſſus tridui tempeſtatem. Et licet de adventu certiores eſſent incolæ, centum & quinquaginta militum manu exſcendit, inque hoſtem prælium parantem fortiter & intrepidè ivit. Quo ad primum impetum in fugam acto, factaq; in obviam munitioné impreſſione, ea potitus poſt acre certamen fuit, cæſo è ſuis centurione Normanno aliiſque. Inde ad oppidum progreſſus, vacuum illud mercibus, ſupellectile & habitatoribus repperit. ab excidio ejus, cum prodeſſe illa inops non poſſet, abſtinuit, & ſine aliquâ manubiarum gloriâ Pernambucum rediit, machinis ſolummodò ferreis è munitione iſta in naves tranſlatis. Sita erat urbecula in monte, qui in parte continentis prominentiore, peninſulæ ſimili, aſſurgebat, ædibus è lapide non inconcinnis, templis quatuor, æde Ieſuitarum & Cænobiis decora. Navem vectoriam, quæ oleum vinaq; è Portugallia advexerat, in ipſo portu,

injectis

injectis flammis, nec ſuam eſſe paſſi ſunt oppidani, nec noſtram.

Per hæc tempora nunciatum Naſſovio fuit, *Minam*, validiſſimam in Afrorum littoribus Arcem, Regis Hiſpaniarum præcipuum ibidem robur ac præſidium, à Belgis occupatam. quæ victoria gloriæ gratiæque multum Naſſovio, Societati plurimũ commodi viriumque, ob mercantium inibi tutelam & ſecuritatem, attulit. Quamobrem indicta per Præfecturas omnes publica gratiarum actione, Deo, præcipuo victoriæ autori, litatum: juſſique mox locorum præfecti tormentorum & ſclopetorum exploſionibus, ſemel, iterum, tertiùm, gaudia ſua teſtari. Hæc cum Comitis conſilio & ductu ſuſcepta ſit expeditio, morari me in ſe vult pauliſper, donec bellum hoc acre & breve recenſuero. Arx iſta in Æthiopum ſita terris, vulgò Caſtellum S. Georgii, quinque ab Æquatore gradibus, Arctum verſus, in ipſo Guineæ littore, natura loci expugnatu difficilis habita fuit, utpote in rupe ſtructa, è qua exciſis muris & ſuperimpoſitis ſaxis grandibus munitur. Quatuor propugnaculis valida, duobus mare, duobus continentem adſpicit; hinc maritimo, inde terra adventanti hoſti terribilis. Ad latus Occidentale monticulus illi impendet, è quo tormẽtorum violentiæ patet, à ſacello S. Jacobi nomen ſortitus. ad montis pedem pagus eſt

Expeditio in MINAM *Africæ arcem.*

S. George.

Ejus deſcriptio.

S. Iago.

in longũ excurrens, Nigritarum ſedes. Quà Orientem reſpicit, Sinus eſt recipiendis navigiis commodus. Hac ſe Arce Luſitani defendunt adverſus noſtrates, alia arce, Naſſoviâ nempe, tutos. Illorum mercatores centum & x x millia ducatorum quotannis Hiſpaniarum Regi pendebant, ea lege, ut ſolis ſibi jus eſſet commercia iis tractibus exercendi. Anno, qui ſuprà milleſimum & ſexcenteſimum viceſimus quintus fuit, vano illã molimine tentaverant Societatis rectores, quamvis numeroſum ſatis militem expoſuiſſent. quem palantem & ſupinè ſecurum ac æſtu fatiſcentem tanta celeritate oppreſſit Nigritarum non magna manus, ut quos venire non ſenſerant, videre ſe vix crederent. Commiſſa eſt atrox in noſtros cædes potius, quàm pugna, nullo viriliter repugnante. In fugam acti duces militeſque, pavore velut cælitus immiſſo, pecorum inſtar mactabantur, augente ſtragem trepidatione. Miſeranda ubiq; facies erat & internecioni ſimilis, tamq; vehemens Barbarorum nemini parcentium impreſſio, ut plures natandi imperiti fœdiſſimo interitu mari mergerentur, alij arma vecordi formidine abjicerent. nullo Æthiopum impetũ, quem illi pro virtute habent, ſuſtinente. Cumq; precia victorum capitibus impoſuiſſent Luſitani, arcis cuſtodes, occupatis hac laniena & carnificina Nigritis, evaſere brevi mora non-

Arx Naſſovia.

Ante hac fruſtra à noſtris tentata fuit Mina

Cædes Belgarum.

nonnulli. Tanta ſiquidem Belgarum militum conſternatio erat, ut præſenti exitio quenquam ſubductum miraculo fuerit. cecidere quadringenti & quinquaginta, duces, gregarij, navales, omnes capite truncati & ſine nomine corpora. Quamobrem dejectis deſperatione & pudore noſtratium animis, & Regulorum amicitiam ſimulantium, & irritis nominib⁹ concordiam jactantium, cognita perfidiâ, quæ propinquo ſummæ rei diſcrimine patebat, inglorij diſceſſimus, edocti cautius hîc mercari & præliari. Ea clades negligentiâ præfectorum accepta; culpamq;, pro more belli, in alterum quiſq; rejiciebat. Qua tempeſtate rerum in Braſilia potiebatur Mauritius; tractus Africani gubernator Belga, Nicolaus Yprenſis, vir non prætereundus, per litteras Comiti expoſuit, optimis occaſionibus & certiore ſpe denuò Arcem tentari poſſe, modò auxiliares copiæ armaq; ad bellum hoc neceſſaria tranſmittantur, Comes, ocioſo ob pluvios menſes milite, hoſte extrà limites noſtros longiùs fugato, cum militarium ſe parte carere poſſe, ſine Reipub. detrimento, judicaret; veritus quoq; ne otium, res diſciplinæ militari inimiciſſima, corrumperet militem; ex Senatus Supremi conſilio, Tribunum Iohan. Coinum amandat. qui navib⁹ novem, milite, armis, commeatu inſtructis, ſuperato mari Æthiopico, Guineæ littora

Nicol. Yprenſis Comiti ſcribit.

Dux expeditionis Iohannes Coinus Africam appellit An. CIↃIↃ C XXXVII, menſ. Jun. XXV.

felici navigatione appulit, poſtquam è littore Pernambucenſi ſolviſſet XXV menſis Junij anno CIↃ IↃCXXXVII. Nec mora, per litteras Nicolaum Yprenſem Guineæ & Angolæ gubernatorem, Moreæ commorantem, certiorem de adventu ſuo fecit: *adeſſe ſe Mauritii Comitis, Braſilienſium Præfecti, totiuſq; Senatus juſſu, copiis centuriiſque militaribus inſtructum, ut deſtinata peragat: poſtulare ab ipſo, ut commoda exſcenſionis in hoſticum loca commonſtret, modumq;, quo conceptum facinus exequi conſideratè poßit: de tormentorum vehiculis, quorum penuria laborabat, ſibi proſpiceret: Nigritas omni officiorum genere, luculentis promißis præmiiſq; ad Societatem belli invitaret: Anglorum, ſi qui in littoribus ſtarent, rationem haberet; cauſſas adventus alias prætenderet. deniq; ſacro ſilentio, optimo tutiſſimoq; rerum gerendarum vinculo, rem omnem involveret, ne per loquaces aut infidos diſpaleſcant cœpta: ſe in Albinæ & Achinæ ſtationibus aut Moreæ reſponſa exſpectaturum.* Dum circa littora cum ratibus oberrat Coinus, reſponſi cupidus, ſcaphæ littorales Nigritarum octodecim ſe noſtris applicuere, ſciſcitantium in merces Belgicas, quas elephantinis dentibus ipſis permutare erat animus. At cum ſibi merces eſſe inficiarentur Belgæ, adducta in dubium amicitia fuit, cui ocyus fidem fecere, lapſu guttularum maris in oculos. quod & fecere Nigritæ, ritu juramenti Barbaris his familiari. Ad Abinæ & Achinæ ſtationes provectis

Abina &

ctis Belgis, iterum Æthiopum lintres, ſive Canoæ adnavigavere, mercandi cupidæ. Illi moras quærere & differre negotiationes in triduum aut quatriduum. At Æthiopes, advocata in conſilium ſuperſtitione, à Titeſſo, tutelari ſuo Idolo, accepiſſe ſe ajebant, eſſe in procinctu naves grandiores ſeptem, quarum appulſu vileſcerent noſtratium merces. Coinus non credulus illis, aliudq́; animo agitans, iterum ad Moreæ Gubernatorem litteras dedit, ejuſdem ferè ſenſus, Qui ſe ad ſtationem Commendenſem affore reſcripſit, ubi convenére, læti quod ex communi conſilio decernere gerenda promptum eſſet. Milite in littus expoſito ad promontorium Corſicum, prima cura Coino aquationis fuit. inde ſemihoræ ſpatio progreſſus ad fluvium devenit & monticulũ planitiemq́; gramine luxuriantem, locandis caſtris idoneam. Hîc refecti Dux mileſque, duarum horarum ſpatio ad alterũ montem pervenere, Arci proximum. Nigritarum Reguli undiq́; novis cœptis turbati & futurorum incerti, pacem obtulere, quæ victâ Arce, rata eſſet, non victa, irrita: rebus in ancipiti poſitis & ipſos ancipites fore ac ſecuturos nullum, Hiſpanorum metu; parta ſecuritate, victorem. Et tamen pactis ipſorum ſtandum non eſſe, didiceramus recenti exemplo, ob inſitam genti levitatem, quæ in Afris notata jam olim fuit à Romanis ſcriptori-

Achina ſtationes.

Commendo.

C. Corſſo.

Nigritarum Reguli pacẽ petunt.

Aciei noſtræ ordo.

ptoribus, in Numidis, Pœnis, Iugurtha & Hannibale ducibus. Militum noſtrorum octingenti erant, navalium quingenti. Omnes terno ordine ivére. Primo ibat centurio Gulielmus Latanus, ſecundo vigilum præfectus Iohannes Godlatius, tertio, qui triariorum erat, Tribunus Coinus. Jamq; propius ad Arcem acceſſerant noſtri, intrà tormenti jactum, non longè à pago Æthiopib⁹ habitato, cum è ſylvarum latebris Nigritarum mille agmen noſtris circumfuſum, tanto irruit impetu & clamore, ut internecionem moliri viderentur. cæſis quippe Belgarum plurib⁹, & reſectis, ex gentis more, eorum, quos ſtraverant, capitibus, non indubia mortis hoſtium ſigna circumtulêre. Et niſi ab exercitato & veterano milite robuſtũ hoc perſtitiſſet agmen, etiam ſequentes turbaſſet primorum calamitas. Laborantibus opem tulit Godlatius, Nigritis ad ſclopetariorum funeſtas jaculationes imperterritis, & cedere neſciis. tantus quippe inconſultò irruentium furor fuit, ut corpora ad ictus aperta ipſis baliſtarum tubis proximi objecerint. Ea verò in occiſos ferocia fuere, ut ſuper ipſa ſe noſtrorum cadavera mactari ſinerent, & intenti trucidandis Belgis, ſua colla eidem periculo ſubdere, quàm à cruentis ſpoliis abſtinere, maluerint. Cecidère è noſtris Latanus centurio, cum vicecenturione, & ſignorum directorib⁹ tribus, gregarij ordinis

Coinus prœliatur cum Æthiopibus.

dinis quadraginta circiter, miſſilibus icti. Nec diu poſt, ex eadem gente, in extrema obſtinati magno & terribili clamore in Belgas novis animis irruêre, ſuſque deque habitis baliſtariis; quorum glandib⁹ fuſi complures receptum aliis, miſerandis ſuorum exemplis, ſualêre, langueſcente poſt primam rabiem temeritate. neq; ex eo tempore parem oſtentavere fiduciam. ſed ſub arcis mœnibus ſecuritati ſuæ plus ſtuduére, circumſpectam potius timiditatem, quàm effrenem & inconſultam audaciam profeſſi. Nec terrebantur ultrà Belgę Æthiopum tartareis vociferationib⁹ & horrendis vultibus, ob panda labra, intermicante dentium candore, oculos flammeos, nares diductas & ira fumantes. utpote quibus inter Braſilienſes jampridem aſſueverant. Spirat indomitum quid & efferum gentis ejus indoles, & inconditis, ut olim Germani, teſte Cæſare, clamoribus prælia ſua auſpicantur. quod & uſitatum Perſis olim ac Macedonib⁹, & Pœnis. omnia ferociter agunt & præproperè, ut cunctatio ipſis ſervis ſervilis, ſtatim exequi regium barbaris quoq; videretur. Coinus invadendæ Arci intentus, viam ſibi per frondatores aperuit, in gemino monte geminam. earum una in littus ibat, apportando bellico apparatu; altera in ipſa montis faſtigia, qui Arci proximus. ubi locato milite & machinis, quatere illam & terrere cuſtodes

Æthiopes clamoribus prælia ordiuntur

More Macedonum. Perſarũ, Pœnorũ, Germanorum.

Arcem obſidet.

ſtodes cœpit. Hæc inter Æthiopes noſtrarum partium è Commendo, (pagi nomen eſt) in pagum Minenſem, qui Arci ſubeſt, movére, velitationibus commiſſi cum Minenſium Æthiopibus. Sed mox retrogreſſi, abegére omne Minenſium pecus, ad Belgas acceſſuri, niſi flumine intercluſi fuiſſent. Quare, lecto per littoralia itinere, in mediterraneis conſedére. intereà, diſpoſito in monte mortario, glandes duæ in Arcem directæ, breviore lapſu fefellére jaculantem, obſeſſis in nos detonantibus. quorum machinis icti cecidére navarchus Hubertus & navalium unus. Tum è latebris ſuis & ſtatione denuò prodiére Commendenſium Æthiopum agmen, in Minenſium pagum impetum facturi; ſed tormentis repulſi abduxere ſuos. Coinus poſtquam arcem impetiiſſet crebrius, per tympaniſtam deditionem ſollicitat in Solis occaſum, monetque illá accelerarent, ne tempore excluſi omnium vitas præcipitarent, ſe abſque mora extrema tentaturum. reſcripſit Gubernator, non eſſe ſibi fiduciam id audendi, inconſultis militiæ ducibus civibuſque: poſcere ſe ad deliberationes tridui temp⁹, nec ultrà. Tunc ſecundò dedi arcem petiit Coinus, & deliberationi finem dixit diem craſtini, ſeverè imperans, uti militem Æthiopaſque ſuos in ſtationibus detineat, nec prodire ad faciendam vim ſinat. ſe paria facturum. Ve-

Dedi poſtulat.

rùm

rùm cum fugiente die clauſiſq; portis admittere tympaniſtam ea veſpera nollet arcis præfectus, Coinus, milite omni in montem deducto, novis animis in obſeſſos ivit, exploſis mortariis, quorum glandes emiſſæ fruſtrà & innoxiæ fuere. Juſſi quoque tubicines, quotquot aderant, inſonare claſſicis ſuis auſpicatũ & familiarem Fœderatis Belgis cantum, Guilielmi Arauſionenſium Principis laudibus dictum, quo ſegnis aliàs & remiſſior miles ad bellum acrius excitatur. Poſtero die perrexere tormentorum furores Arci graves eſſe. cum adeſſent, qui heſternas litteras dari poſtulavere, & difficiliorem fuiſſe Gubernatorem in admittendo tympaniſta, ob labentem veſperam, excuſantes dixere. At Coinus vultu ad indignationem compoſito, diſcerptas litteras ajebat, nec integrum ſibi denuò per litteras Gubernatoris pertinaciam experiri: mentem ſuam de deditione ipſe exponeret & ſcripto ſignificaret. Venere extemplò Delegati, quibuſcum paciſcendum. quo tempore Nigritæ Commendenſes vim parantes Minenſibus paganis, juſſi ſunt ab armis & facienda vi abſtinere. Obſeſſi leges deditionis, quas conceperant ipſi, obtulere Coino, quibus rejectis, conſenſere in Coini formulam, datiſque obſidibus tribus, Arcem cum milite ſubiere Walravius Malburchius centurio & annonæ procurator. Pacta, ſi militiæ honoratioris uſum ſpectes, de- *Deditur Arx.*

An. CIƆ IƆ CXXXVII, Auguſt. XXIX.

formia ſatis fuere, cum ferendæ longius obſidioni pares fuiſſe crederentur, ob foſſas, quib⁹ arx cingitur geminas, altas pedes XXV, & mœniorum coronas. augebat obſidij laborem ſitus loci iſtiuſmodi, qui levibus excubiis cuſtodiri poſſet, neq; cuniculis ob petroſa adiri. Illa hæc fuiſſe comperi: omnes abſque interpellatione, maleficio, injuria, incolumi vita & corpore exeunto: Educendi uxores liberoſque, illæſo muliebri & inermi ſexu, facultas eſto: Veſtimenta ſua quiſque ſecum aportato, non auri, argentique vel rudis vel cuſi quicquam: mercimonia, mancipiaque omnia, duodecim exceptis, quæ obſeſſis indulget victoris facilitas, hujus ſunto: Vtenſilia ſacra, aliaque templorũ ornamenta, ſecum auferunto, præter aurea & argentea: Luſitani, Mulatæ, cum familia omni, com̃eatu quantum ſatis inſtructi, in inſulam S. Thomæ navibus noſtris tranſvehuntor: Transfugæ Hermanno venia eſto: Hoc ipſo die Gubernator militeſque ex arce egrediuntor, claves omnemque apparatum bellicum merceſque reliquas victori cedunto. miles inglorius exito, abſque vexillis, non accinctus gladio, non pilis in os inſertis, non accenſis funibus incendiariis, alioque adhibito caſtrenſi & laudato ritu. His peractis ingreſſi arcem Coinus & Nicolaus Yprenſis, ea ordinavere, quæ ad arcis tutelam ſecuritatemque facerent. Æthio-

Conditiones.

pum,

pum, qui cum conjugibus liberiſque è pago Minenſi in arcē ſe receperant, reperti quingenti. qui dimiſſi omnes, exceptis mancipiis, quorum reliqua erant centum & quadraginta. Luſitanorum familias, cum impedimentis vaſiſq; omnib⁹, templum habebat, quod ipſis pro azylo. Monti, unde in arcem poteſtas, impoſita turris caſtrenſis ad defenſionem. impoſiturus validius majuſque munimentum fuiſſet Comus, niſi ſumptus veritus, hæc ſcire primum Fœderatos Dominos & Societatis adminiſtros placuiſſet. quare ichnographiam caſtri exſtruendi ut & Arcis Minæ obſeſſæ victæque faciem tabulis exhibitam tranſmiſit, & ſervandis, quæ vicerat, victualia poſtulavit. Repertæ in arce machinæ ex ære fuſili triginta, nitrati pulveris pondo millia novem, majores pilæ ferreæ octingentæ, minorum vaſcula decem, lapideæ trecentæ, baliſtæ Hollandici moris ducentæ, enſes Hiſpanici triginta ſex, præter ligones, ſecures aliaque ejus generis, ſitu pleraque & rubigine fœda. Egreſſis præſidiariis & in Inſulam S. Thomæ avectis, relictus ad Arcis cuſtodiam fuit Malburchius cum militaribus centum & quadraginta. Ejus viri fortitudo ac vigilantia cum ſupra invidiam eſſent, ſibi jure meritoque gubernacula poſcebant. NEMPE celari illuſtrior militum virtus nequit, & cognita non amari. *Spolia.*

Atque his quidem ſex dierum ſpatio con-

fectis, ea quæ ad Arcis defenſionem ſpectabant, ritè ordinavit Coinus, æquè pulcrum eſſe judicans, Arces vincere & victas reſtaurare. Dein in Braſiliam victor rediit cum claſſe & copiis, incuſſo in Afrorum terris Æthiopibus terrore, & diffuſa virium noſtratum & belli famâ per vaſta & tranſmarina Barbarorum regna. licet non tam robore corporum, quàm animorum vigore & fiducia incrementa hæc acceperit Braſiliana res. Majore itaque ex parte Mauritij prudentia in admiratione tacita reponatur & Belgarum aliis, hujus generis, hoc eſt belli tranſmarini exemplis, detur ad ſimilem gloriam aditus. Plurimis ſiquidem & maximis aliorum Ducum laudibus victoriæ hujus celeritate & celebritate comparandum facinus fuit. quibus non erit ingratum, ſi militis hujus alacritas & victrix feſtinatio narrationis noſtræ parti adhæſerit. Coinum ob res ex honore publico præclarè geſtas, occurſu, gratulationibus, & machinarum exploſionibus ſui excepere. Nunc ſub AVRIACO Principe propræfect⁹ rei tormentariæ, Miſnicam nobilitatem, unde natus, Africanis triumphis & Europeæ militiæ dignitate illuſtrat. Illud tuâ intereſt, ſcire, Lector, cum primùm coaleſceret in unum corpus Societas Occidentalis, quæ anteà in plures mercatus & mercantium collegia diſtincta fuerat, in partem ejus pertracta fuiſſe, non ſolum commercia illo-

Mauritij laus.

Coinus victor excipitur.

illorum, qui ad inſulam S. Dominici, Cubam, aliaſque navigabant, ſed & Africana, quæ per paucos ibidem non levi emolumento mercantes agitabantur, navium ferè viginti itione & reditione. Has haud procul littore in anchoris ſtantes exiguis navigiis Æthiopes adibant. aurum, ebur, ebenum, res precioſiſſimas, coralliis, ferramentis, ſpeculis, forficib⁹, rebus viliſſimis, ſed genti iſti in deliciis, permutantes, Diomedis & Glauci exemplo. ideò quæ in his oris in Belgarum erant poteſtate, ad præfecturam quoque Mauritianam & Braſilianam Curiam tũ temporis referebantur. At ille, cujus jam mentionem injeci, vetuſtiſſimus mercandi, mercium permutatione, mos fuit, & ſimpliciſſimus. Id Trojanis temporibus factitatum, cum exercitus Achivorum ære, ferro, bovinis tergoribus, bubus, ipſiſque mancipiis vinum ex Lemno emptitaret. Pallas in Ithacam profecta, ſe veniſſe ait, ut æs Temeſinum lucidiore ferro permutaret. Lycurgus Spartanorum Rex emi ſingula non pecunia, ſed commutatione mercium ſancivit, Etiam Britanni olim nummum refutabant: res dabant, & accipiebant: mutationibus neceſſaria potius, quàm preciis parabant. Fuit & hoc Barbaris aliis familiare; non tamen ob hoc barbaris. Quid, quod hunc mercandi morem naturæ magis & humanæ indigentię congruum Ariſtoteles pro-

Quo jure traductũ à Mauritio bellum in Africã fuerit.

Iliad. 7.

Odyſſ. 1.

Iuſt. l. 3.

Solinus cap. 35.

Politic. lib. 1.

nunciet; præterquam quod, ubi is obtinet, minus ſerpant in Reſpublicas malorum à diſſitis gentibus contagia, cum mercium rerumque difficilior ſit tranſportatio, pecuniæ facilior. Quamobrem ad Belgas interiores, pugnante hic Cæſare, non ſæpè mercatores commeabant, atque ea quæ effœminandos animos pertinent, importabant. Nec ad Nervios, illo teſte, aditus mercatoribus erat. nihil vini reliquarumque rerum ad luxuriam pertinentium. inferri patiebantur; quod his rebus remitti virtutes exiſtimarent. Nunc ad Belgas tum interiores tum mari proximos (feliciore an infeliciore ævo quis dixerit!) non ſolum creber mercantium aditus, ſed mercandi ſtudio in omnes ſe mundi plagas diffundere amant, ſive res cum rebus permutandæ ſint, ſive redimendæ nummo, ſive ipſum aurum aliis rebus permutandum. Itaque vanas haſce Plinij voces habent, exclamantis: *Vtinam poſſet è vita in totum abdicari aurum, ſacra fames, ut celeberrimi autores dixere, proſciſſum convîtiis ab optimis quibuſque & ad perniciem vitæ repertum.* De Nigritis, quia ſæpiùs ſe ſcribenti offerunt, hoc expoſuiſſe conducet, populos eſſe ejus partis Africæ, quæ poſt Barbariam, Numidiam, Libyam, quarta eſt, & Nigritarum terra vocatur, nomine aut ab incolis, qui nigri ſunt coloris, aut à flumine Nigro, qui mediam regionem permeat, & Nili inſtar

Ce Bello Gall. l. 1.

lib. 2.

Nat. hiſt. lib. 33. cap. 2.

Nigritarum deſcriptio.

ſtar agros vicinos fœcundat. A Septentrione Libya, à Meridie Oceano Æthiopico, ab Occidente Gualatæ, ab Oriente Goagæ regnis clauditur. Aër, ad Guineæ littora, noſtratium corporibus noxius eſt, ob caloris intemperiem & pluvias, quæ putredinem gignunt & vermes. Nigredinem à Solis aduſtione eſſe, minus vero ſimile, cum promontorii Bonæ ſpei incolæ nigerrimi ſint, Hiſpani Italique, pariter ab Æquatore diſtantes, candidi. Nec minus torret Sol ad Fretum Magellanicum, ubi candent, quam in Africæ extremis, ubi nigricant. Qui ſub Preſbytero Ioanne vivunt, ſubfuſci ſunt. in Ceilonio inſula & Malabaricâ regione nigerrimi, pari tamen intervallo à mundi Linea ſemoti. Quid, quod per univerſam Americam, etiam ea loca, quæ Solis via includuntur, nuſquam nigri reperiantur, præter paucos in loco *Quareca* dicto. ut potius ad terræ & cæli aërisque occultas qualitates (ignorantiæ, proh dolor, humanæ aſyla) aut hominum innatam & à parentibus acceptam temperiem, aut utrumque, referenda cauſa videatur. præſertim, cum mixtis inter ſe candidis Nigriſque naſcantur ſubfuſci, caſtigata candidiore colore nigredine, ob ſeminum confuſionem. quales Mulatas vocant Hiſpani. Romani Hybridas vocaſſent, quaſi imparibus editos parentibus & velut ſemiferos, è feris & manſuetis natos. quo *Mulato qui.*

ſenſu Suetonius in Auguſto Themeſinum quendã Epicardum vocat Hybridam, quod ex patre Parthico & matre Romana natus eſſet. Gregoras Gaſmulicum genus appellat. Meminere horum Populorum Plinius, Strabo, Stephanus. illi Nigritas, hic Negretas vocat, fluvium Negretam. Creſcit hic, ut & Nilus, menſe Iunio, totos dies quadraginta. quibus aquis merſa regio navigabilis eſt. Hinc pingui illuvie & cæno obducta, miro rerum proventu luxuriat. Claudiano Niger Gis & Gir vocatur in Paneg. Stiliconis, *Et Gir notiſſimus amnis Æthiopum.* & apud Sidonium Appollinarem fortè legendum: *Indorum Ganges, Gothorum Phaſis, Araxes Armeniæ, Gis Æthiopum, Tanaiſque Getarum.* pro eo, quod nunc legitur, *Tagus Æthiopum*, qui in Hiſpania quærendus, non apud Æthiopas. Sermo his Nigritis varius, pro terrarum diverſitate, & religio quoque diverſa. Sunt in mediterraneis Chriſtiani, Mahumetiſtæ, Gentiles. Maritimi idololatræ ſunt. Alicubi Solem, Lunam, terram adorant. In hanc deſpuere ipſis piaculum. Cutem ſibi ipſi conſcindunt & poſteà unguento colorato pingunt, ipſis bello, nobis deformi ſpectaculo. Inter prandendum potu abſtinent. pranſi bibunt aquam vel vinum è palmâ. Sunt qui ſuperius labrum aperiunt, perque illud foramen & nares fruſtra eboris adigunt, hoc ipſo, ut ſibi videntur, pulchrè ſpecta-

Niger fl.

Mores nigritarum.

ſpectabiles. Quidam etiam, pertuſo inferiore labro, linguam tanquam per os alterũ exſertant. alij ex ipſo interſtitio narium ebur aut conchas geſtunt. Oculum alterum rubro, alterum cæruleo colore tingunt. Fœminæ opulentiores ingentes annulos ex ferro, ære rubro, aut ſtanno cruribus nectunt. poſtremùm in putida & ſordida barbarie mirificè ſibi placent. Magno Hiſpanorũ & Luſitanorum quæſtu tranſvehi ex his oris ſolent in Braſiliam & Occidentalem Indiam. in illam, elaborando potiſſimum ſaccharo. in hanc effodiendis metallis. laborum tolerantiſſimi parvo victitant, & in naturæ inclementiã & miſeram ſervitutem nata mancipia magno ære penſantur.

Dum hæc in Africa geruntur, Comes Banjola duobus circiter militum millibus, ad Seregippam Regiam, bellùm trahens verius, quam inferens, modicis agminibus immiſſis, terras agroſq; noſtros & molendina infeſtabat, urendo, vaſtando, rapiendo. qua de cauſa conſilium cœpit Comes, depellendi iſta ſtatione Comitem Hiſpanum. Sed cum gravi corporis morbo attineretur, viribus febris continuæ trimeſtri pertinacia fractis, Tribuno Schuppio, viro militia acri & provido, hanc rem demandavit, & evocatis, quæ ad ripam fluminis Franciſci, Alagoas, promontorium Auguſtini, in ipſa Reciffa & Moribeca, feriabantur cohortib⁹, in hoſtem

Comes Banjola ad Seregippã del Rey graſſatur.

Expeditio in Seregippam Regiam duce Tribuno Schuppio, Comite Naſſovio

febre attento. movete imperavit. additus illi belli Comes & arcanorum particeps Ioannes Giſelinus, Secretioris & Supremi Concilij Senator. Iamque in armis erant militum bis mille & trecenti; Braſilianorum, quos è pagis ſuis exciverat Comes, quadringenti, & nauticorum ducenti & quinquaginta. quibus ad bellum neceſſaria egregia ſedulitate paraverat Giſelinus. Lichthartius navium mariſq; propræfect⁹ juſſus fuit cum claſſe circa Sanctorum Sinum oberrare, ut hoſtem à mediterraneis avocaret. qui ſuſpicat⁹ hæc cœptare Mauritium, ut viam ipſi receptumque ad ſuos à tergo intercluderet, ubi Naſſovium militem flumen trajicere accepit & adventare propi⁹, reduxit exercitum in Turrim Garciæ de Avila. *Torre Garcia d' Avila.* qui locus quatuordecim ab urbe S. Salvatoris miliaribus verſus Boream recedit. tantaq; celeritate rapuit militem, ut nec noctu nec interdiu quietem daret. Inaudiverat, jam adeſſe Belgicas copias & ſupra Seregippam viginti miliaribus in Auſtralia penetraſſe. Schuppius moto priſtinis ſedibus Banjola, oppidulum ipſum Seregippam, molas hoſtium, arborumque fructiferarum ordines, funditus everrit, & facta vaſtitate, militem incredibili velocitate ad ripam Franciſci revocavit. *Seregippam deſerit Banjola.* Hic ex Comitis præſcripto, poſitis ad Auſtralem fluminis oram caſtris, ſubſtitit aliquandiu, ut abactis armentis, famis certiſſimæ incommodis hoſtem

ſtem premeret, quod & factum à noſtris militari conſuetudine non ſegniter. pecorum nacti millia tria, in ſua quiſque præſidia receſſit. Quàm hæc regio armentis abundet, ex eo colligere eſt, quod moranti hic Banjolæ mactata fuerint quina millia, abducta in futuros militum uſus octona millia. nobis terna millia mactata, præter illa, quæ in ulteriorem ripam tranſmiſſa fuere.

Seregippa armentis abundat.

Sub idem tempus, quo Naſſovius famam & terrorem belli Afris intulit, perlata ad Comitem fuere nuntia, de expugnata per FREDERICVM HENRICVM Arauſiorum Principem, in Belgio Breda, validiſſima Brabantiæ urbæ, quæ ipſa, ante duodecim annos nobis erepta, ceſſerat Hiſpaniarum Regi, victore Ambroſio Spinola Marchione & Severini Principe. Erant huic urbi propugnacula quindecim, colles præcelſi jaculandis ex alto pilis duo: humiliores munitiunculę ad mœniorum pedem tres: ſeps ſpinea: foſſæ paſſuum alibi ſeptuaginta, alibi centum & viginti. foſſis injecta munimenta quatuordecim: adhæc lorica altitudine pedum quinque: cui interpoſitæ munitiones cornutæ quinque & his objectæ aliæ ſemilunares, foſſa altera & extra hanc lorica externarum munitionum velut cingulum. Denique Arx mœnibus, aggeribus, pontibus, armamentario, gemino aquarum circumductu, munita, tormentis in omnes acceſſus

Nuntium devicta in Belgio per Auriacū Breda.

An. CIƆ IƆ C XXXVII.

Ejus deſcriptio.

 diſpo-

Modus vincendi aliusquā fuerat Spinolæ.

diſpoſitis terribilis. Modus vincendi diverſus planè fuit ab eo, quò vicerat Marchio Spinola. Hic fame illam expugnavit, quia armis vinci poſſe deſperabat. Auriacus valido Marte eam aggreſſus, vim ſupremam adhibuit, moræ impatiens. Spinolæ motus maximarum fuere impenſarum, pauciorum funerum. Auriaci plurium funerum, minorum impenſarum. ut alterius cruenta, alterius incruenta victoria fuerit. Auriacus feſtinandum rebatur, armato hoſte, & ob menſes æſtivos, aptos invadendis noſtrorum finibus. Spinola à mora minus ſibi metuebat, ob brumam, minus aptam inferendo bello. Illius obſidionem difficilem fecit obſeſſorum acerrimè pugnantium fortitudo. Hujus comportandi è longinquo commeatus neceſſitas. alter, ut tutam redderet obſidionem, auxiliares è Germania Cæſaris cohortes advocavit. alter ſolito milite contentus, minore motu vicit. Quod ſi ſumptuum ſpectes magnitudinem, plus Regi ſuo nocuit Italus, quàm profuit. Nos utilius bellum geſſimus, recepta urbe minore impendio, ſed ad Reipub. ſecuritatem perutili. Illud mirari habuit Europæus orbis, Cardinalem Infantem, tum regiarum provinciarum Præſidem, nova imperii famâ fulgidum, inſtructo quem habebat exercitu, nondum perfecta caſtrorum circumvallatione, acceſſiſſe ad ea, ſpectaviſſe coram, auſum

ſum nihil. cum noſtros continuis inſultibus fatigando trahere obſidionem in promptu eſſet. Quin ingentem Bredæ jacturam Venloâ & Ruræmundâ min⁹ firmis oppidis penſatam. Nec hoc leve, toto obſidionis tempore, nō potuiſſe per hoſtem intercipi commeatus, tantaque celeritate cinctam aggeribus fuiſſe urbem, ut adventanti poſt pauciſſimos dies hoſti, impervia viribus judicarentur caſtra. Denique, ſeptem, ex quo admoverat militem Auriacus, hebdomadibus expugnatam urbem, inter Europæas munitiſſimam, quam vix undecimo menſe vicerat Spinola. Eſtque hæc illa urbs, quam olim Illuſtriſ. Princeps Mauritius, bellorum ſuorum tyrocinio, occultato ceſpite ceperat. Tunc dormienti urbi illata fuére ſigna; nunc vigili. tunc arida glebâ vicimus; nunc viridi. tunc totam cepimus impetu; nunc mora & paſſibus. Non deerat tunc Ithaci alicujus aut Sinonis fallax audacia, nec nunc Achilles, qui robore expugnaret. Tunc temporis equi Trojani officio fungebatur vectoria navis. nunc, fraudum neſcii, oſtendimus, Naſſovios utroque modo vincere poſſe. Momentum victoriæ hujus ex commodis æſtimabatur. Nam dum hoſtium erat, Hollandiæ, Gelriæ, Zelandiæ prædatrix incubuit, ut nec Vahali, nec Moſæ nec Scaldis æſtuariis tutæ fuerint navigationes. Vna Sylvam Ducis inter & Bergas ad

Zomam

Zomam poſita, ſociarum urbium aditus dirimebat, & civitatibus arcibuſque vicinis grandis præſidii neceſſitatem imponebat. Audivere hæc in alio orbe, ſub aliis ſideribus, Barbari, iiſdem auſpiciis & armis vinci Bredam, quibus victam ſenſerant Olindam, Salvatoris urbem, Portum Calvum, aliaſque arces cis Æquinoctia formidabiles. ut hîc applaudentibus communi felicitati Belgis, illic gloriæ noſtræ ignotis linguis faverint Braſilienſes. Naſſovius ſolennem Victoriæ diem nuncupavit, quo Numinis benignitati gratiæ redderentur. ne rerum noſtrarum ſenſum eximere abſentium animis videretur aut locorum intercapedo, aut ſubnaſcens in Novo orbe Belgarum fama. Simul imputati Deo bellorum Occidentalium proſperrimi ſucceſſus, & nuper Banjolæ victoria.

Solennem diem victoriæ Bredanæ nuncupat Comes, ut & ſuis triũphis.

Interea temporis, qui Siaram incolebant Braſiliani, pacem petivere, & auxilia ſua adverſus Luſitanos obtulere, rogantes Comitem, uti Caſtrum ibidem à Portugallis inſeſſum ſuæ faceret poteſtatis; gentemque ſuam ab ipſorum injuriis & dominatu vindicaret. parva manu hoc confici poſſe, ſumptuumque bellicorum ſolatia ex mercibus, ambaro, goſſypio, cryſtallo, gemmis, lignis, ſalinis, aliiſque, quæ regio iſta ſuppeditat, haberi poſſe. In rei ſuamq; fidem obſides reliquere filios duos, è ſuæ gentis primoribꝰ.

Incolæ Siarenſes pacem petunt & auxilia adverſus Luſitanos implorãt, ſua offerunt.

Decre-

Decreta expeditio, paratæ naves, arma, annona, miles, duce cœpti Georgio Garſtmanno, viro, militarium rerum prudentia, adverſus inopina belli firmo. Quanquam enim longius à finibus noſtris remota eſſet dicta arx, à Pernambuco multis miliaribus ſemota & Boream verſus; viſum tamen Comiti militem Liburnicis aliquot eò tranſvehi, tum ut hoſtem ulterius à confiniis arceret, tum ut Braſilienſium plures in hoſtili ſolo Societati conciliaret. expedire id videbatur, ob diuturna in Portugallos odia, & quia obſequiis erga nos eſſent facillimi, & loca omnia hoſtium vireſq; perſpecta haberent. Etenim NON LEVES rerum ſucceſſus ab offenſis ſperati ſemper. latentibus apud partes, ſub fidei & amicitiæ ſpecie, iis, qui nocere ſuis poſſunt; nec coaleſcente unquam ſolida fide inter offenſos & offendentes. Garſtmannus in Siaram delatus, Regulum Braſilianorum Algodojum de adventu ſuo certiorem fecit, & expoſito milite ac per littoralia ducto, indigenas in occurſu habuit, candidis vexillis pacem præferentes. Cum Regulo locutus, ſuppetiiſque animoſior, (ducentos quippe in ſubſidium è ſuis adduxerat,) caſtrum, ex aggeſtis ſolumodo ſaxis, non ferruminatis, ſtructum, impetiit & tenuit. hoſte ſe machinarum exploſionibus & minorum baliſtarum modicè tuente, paucis cæſis, pluribꝰ captis. inter quos fuere militiæ

Expeditio in Siaram duce Garſtmãno.

Occurrũt Siarenſes.

Garſtmãnus caſtrum expugnat.

litiæ gradu conſpectiores. tormenta tria & nonnulla belli inſtrumenta victoriæ lucra fuere. Siara hæc inter Braſiliæ Septentrionalis Præfecturas eſt, non niſi decem aut duodecim miliarium ambitu, paucorũ incolarum, qui arcem ipſam tenebant. portum habet majorib⁹ navigiis minus idoneum. nullo inſigni flumine irrigatur. ſolum ad radicem montis, cui impoſita Arx, amniculus labitur è continente. propè arcem, Præfecti Luſitanici Domus eſt, quam ſparſis aliquot domiciliis cingunt Luſitani incolæ. nihil hic adverſus hoſtiles inſultus validi. ſacchari cannas fert, ſed molis nullis illud exequitur. Barbaris circum cum Portugallis diſcordiæ & lites perpetuæ. Qui hæc loca adierunt An. cIↃ IↃ c ix, perhibent, hic viſos homines vaſto corpore, deformi vultu, prolixo capillitio, auriculis perforatis, & in humeros penè pendulis, cutim nigro colore tinctos, præterquam ab oculis ad os. quibuſdam labrum inferius, aliis & nares fuiſſe pertuſas, quibus lapillos & oſſicula ad ornatum indiderant.

Siara deſcriptio.

Quales olim Indigenæ.

Reverſus Pernambucum dux Gartſmannus unam ex Liburnicis deſideravit, quæ an naufragio an alio caſu perierit, incertum. Hæc alibi geſta Comiti & Societati glorioſa fuere. Pernambuci rerum civilium cura publicaq; mercantium cōmoda Rectores occupabant. deſtinatæ in Curiæ ædificationē

Domeſtica

pecu-

pecuniæ. Reperta in montium fodinis metalla in Belgium tranſmiſſa fuere, ut inſtituto per rerum metallicarum peritos rigidiore examine, de probitate & valore conſtaret. Præmia conſtituta iis, qui Nigritas bello captos adducerent, in virorum ſingulos regales viginti, feminarum, ſex. Pecorum hoſtilium abactorib⁹ decimæ indultæ. Qui vectigalium & portoriorum exactoribus fraudem parabant, nec merces ex vero f tebantur, aut ſilentio ſubducebant, acri decreto coërciti, indicta in diurnas fraudationes mulctâ, in nocturnas graviore, & ſi officiales eſſent, capitis diminutione. Adverſus prædones & incendiarios, paſſim terris noſtris ab hoſte immiſſos, viſum fuit per territoria diſtribui militum agmina, ſuis ducibus diſtincta; adhibitis quoq; ad hanc rem Luſitanis & Braſilianis. qui dato ad motus hoſtiles ſigno, machinæ majoris exploſione, ilicet armati adeſſent, vim arcerent, inferentes caperent. Cumq; rei frumentariæ inopia laboraretur, edicto cautum, ut quotquot Nigritarum opera uterentur, plantandis annuatim Mandiocæ radicibus adſtringerentur, ſolita anni tempeſtivitate, Januario & Auguſto menſibus. Ne verò cauſarum forenſium ſummis judicib⁹ creſceret in immenſum labor, vetitæ appellationes minoris momẽti. Homicidis, humani generis hoſtib⁹, ſcriptæ leges & pœnæ, quales ratio juſq; divi-

POLITICA. De captis. De vectigalium fraudatoribus. De prædonibus. De re frumentaria. De appellationibus. De homicidis.

num pariter & gentium ſcripſit ſemper. Etenim cum virtutibus certari oporteret inter gentes, certabatur ſceleribꝰ, quoſq; optimos eſſe oportebat, reperiebantur peſſimi, Rebus ſacris præfecti concionatores, ſua gravamina (id rebus nomen) per Claſſes, hoc eſt ordines & cœtus, collecta, Senatoribꝰ Olindæ exhibuere. qui pietatis cauſam nō ſegniter agendā rati, præſertim inter barbaros & rigidioris diſciplinæ ignaros, inter æmulos quoque religionis zelo populos Pontificios ac Judæos, providè ad ſingula reſponderūt, in hunc modū: In inceſtuoſos, flagitii convictos, ſeverè animadverſum iri: vacationem à ſervili opere mancipiis concedi die Chriſtianis ſacro: prohibituros ſe, ne Paraybæ rectores publicos Pontificiorum proceſſus & ad pompā deambulationes, per compita inſtitui ſinant, ſed templis & templorū periſtyliis claudant: novorum abſq; Senatꝰ permiſſu templorum ædificationibus iiſdem interdici: ut & nuptiarum ſive matrimoniorum per preſbyterum conciliationibus, non præmiſſis publicis, ex more noſtro, denunciationibus: etiam obeundis ſacris apud reos, judicium voce damnatos: templum ſibi ſeligant Olindæ, religionis Reformatæ exercitiis: Judæis ſua ſacra, ſuos ritus permitti intra privatos parietes, prohiberi cultū publicum: operam ſe daturos, uti illicitæ Nigritarū voluptates & fornicandi mœchandique

Eccleſiaſtica.

Reſcripta ad Eccleſiaſtarum poſtulata.

dique libido, ruentis fortunæ comes noviſſima, frenentur: deniq; velle ſe, ut in poſterum novarum molarum domini, quoties auſpicari iſtos labores cum bono Deo volent, divinam benedictionem non ex ore Sacerdotis Pontificii, ſed Reformati doctoris requirant. NEMPE, ad ſtabiliendam potentiam religionis quoq; præjudiciis juvamur, & quam quiſque elegit, idoneum arripit inſtrumentum, quærendæ ſecuritatis, nō hominum ſolummodo ſaluti, ſed & dominationi. Nec minus curata ſedulo mercimonia, ſaccharorum emptiones, & lignorum ejus ſoli, ſeu hoſti erepta, ſeu empta precio, ſeu è ſilvis noſtris exciſa forent; ut & Nigritarum venundationes crebræ, auri Americani in patrias terras tranſvectatio, navium è Belgio advenientium merces, aut mari quaſſatarum refectiones, aut abeuntium futura onera & neceſſitates variæ; militantium indigenarum ſtipendia, præmia, vict⁹ demenſa, navium ſubvehendis armis, & commeatu in omnes Braſiliæ tract⁹, modo hos, modo illos, perpetuæ miſſitationes, itiones & reditiones, Magiſtratuum per præfecturas omnes vel deſignationes vel abſente Comite electiones, Eccleſiaſtarum rogationes; pauperum, pupillorum, ægrorum ſolatia, civium per ſingulas civitates deſcriptiones, & quæ alia innumera terra mariq; in præſentem Reipub. ſtatum confici ſecundum præ-

ſcriptum à Societate ordinem, oportebat; harum, inquam, rerum aſſidua materies & agitatio Senatum politicum diſtringebat.

Comitis in Parayba & Fluminis Grandis præfecturas profectio. An. CIƆ IƆ C XXXVIII

Comes à longiore morbo ſibi militiæq; redditus, & adverſus regionis, alias ſaluberrimæ, incommoda firmatus, corpore in externi & tranſmarini aëris proprietates jam conſentiente, in Paraybæ & Fluvii Grandis præfecturas, longo eoq; terreſtri itinere profectus fuit, ordinaturus provincias, urbes, pagos; caſtris à munimentis, milite, armis, commeatu proſpecturus. Sed quoniam in has provincias tranſitum facimus, earum indolem ſitumque & proventus neſciri nefas, cum bellis noſtratium & mercatui uberem materiam ſuppeditaverint.

Parayba deſcriptio. *Parayba* inter quatuor Præfecturas Boreales eſt, nomen ſortita à flumine cognomine, qui illam, ut & alius Mongoapa, irrigat. Tamaricenſem coloniam proximè excipit. Olim Galli tenuere. his pulſis Luſitani. poſtremum Belgæ.

Flumina. Pagos non alios, quam Ingeniorum ſive Molarum ſedes habet. quæ ob frequentiam operariorũ pro pagis ſunt. In ripa fluminis, ad latus meridionale, oppidulum eſt, *Philippæa, nunc Frederica.* Philippæa, à Philippo Rege ſic dicta. nunc mutatis partib⁹, Fredericopolis aut Frederica, à Frederico Arauſionenſi Principe. Proxima fluminis plana ſunt, remotiora montib⁹ vallibuſq; interjectis ad omnem amœnitatem conſpicua.

Proventus. illa ſacchari cannas ferunt,

haec

hæc mandiocam, ſacchara exteris in delitiis ſunt. mandioca indigenis alimentum. è radicibus ejus in pulverem redactis, farinam conficiunt, quæ pro farre ipſis & pane eſt. agros eam ferentes, *Roſſas* vocant Luſitani, agricolas *laboratores* & cultores *Roſſarum*. Verùm uti farina hac victitant, qui tenuioris ſunt fortunæ, ita opulentiores tritico, quod vel è Luſitania, vel aliunde adportari ſolet. Fruct⁹ alios quoq; ſubminiſtrat, milium, ſive ſegetem Turcicam, Patates, Ananazes, Cocos, melones, pepones, mala aurantia & citria, Bananas, Pacovas, Marconias; Cucumeres, vel in hominum, vel aliorum animalium uſum. Silveſtria ſunt Cajuſia pyra, ſucci plena & innoxia, quæ mediis calorib⁹ avidè manducantur. Ceterum in imo pyro faba quædam extuberat, cortice amariſſimo, prædulci medulla, ſi torreatur. Pyro refrigerandi vis eſt. faba calefacit. Verum ex omni fructuum genere palma tribuitur iis, quos Ananazes appellant. Planta eſt humilis, cuj⁹ è ramis pinea nucamenta dependent præmollia. hæc ſuo tempore in fruſtra diſſecta, gratiſſimo ſimul odore ac ſapore nõ recenti duntaxat edulio ſunt, verum etiam in longum tempus adſervantur è ſaccharo. Adhæc videre eſt complures arbores fructiferas, quas percenſere nimis longum ſit, piſceſque & aves coloris eximii & quadrupedum ſpecies plurimas, ſed fermè ſilveſtres,

Saccharum *Mandioca* *Fructus alij.* *Cajous.* *Ananazes.* *Animalia*

partim notas nobis, partim ignotas. in quibus utiq; apparet, quàm miris modis ac variis divina ſapientia ſe explicet per vaſta terrarum ſpatia. Pſittacorum inſignis varietas, quibus pluma diſcolor ornamentum, at apta voces humanas reddere lingua precium confert. tanta horum hîc frequentia, ut glomerato volatu, velut nubis atræ obtentu, diem obſcurent. Incolarum alii libertate ſua gaudent, ut Luſitani, Belgæ & Europæorum quilibet, etiam Braſilienſes indigenæ: alii ſervitutem ſerviunt, iique vel Braſiliani vel Nigritæ ex Angolenſi regno, vel Capite Viridi, precio empti & huc tranſvecti. Vicis habitant, non in noſtrorum morem connexis & cohærentibus ædificiis, ſed diſcretis, ſive incendiorum metu, ne ſerpant, ſive imperitiâ ædificandi. Cœmenti apud illos & tegularum uſus, non ferri. Domum fabricaturi primũ ſtylos & ſublicia erigunt. hos tabulato inſternunt, ſupra quod tectum attollunt, vel ex tegulis vel ex foliorum Cociorum tegmine. Hic vivitur. ima pro conditoriis habent. latera virgis ligneis claudunt, quas calce ferruminant, citra ſpeciem aut delectationem. Ipſa civitas ædificiis nonnullis è lapide nitet, quibus anguli & feneſtrarum margines è candido marmore ſurgunt, reliqua parietum informi lapide conſtant. Corpora minus procera Europæis, nec ad labores firma. Pagis habitant

Incolarũ fors.

Pagi hic

Paray-

dia Inſula, ab imperitorum & vulgi errore eſt. nec enim omne ſaccharum Cantum album; nec quod album, id omne candidum. aliud quippe Cryſtallinum eſt, cryſtallo ſimile, quod ex Finali ſaccharo fit: aliud ſubruffum, quod nunquam clareſcit & ex Thomæo conficitur, cauſſæ ſuæ non diſſimile. Penidinm fit ex pyramidali vel Thomæo, etiam ex miſcellaneo. commendatur candidiſſimum, rariſſimũ, & temperatè calidum.

Invaſere hanc Præfecturam & expugnatis arcibus Societati addidere duces, Schuppius, Artiſoſkius, Hinderſonius aliiq;, Anno milleſimo ſexcenteſimo triceſimo quarto. Illi proxima Boream verſus eſt Colonia *Fluminis Grandis*, quæ nomen quoque ſuum fluvio illuſtri debet, cujus penitiora amœniſſima, aditus verò ob vada & minus profundum mare, difficillim⁹. Barbari *Poteingi* vocant. Navigatus fuit Gallis, qui, fœdere cum indigenis juncti, hic ſedem fixerant. Gallos Luſitani pepulere per Felicianum Cecam Paraybæ præfectum, ſubactis quoque, præliis aliquot, Barbaris. Ceſſit regio noſtratibus, capta arce, Anno milleſimo ſexcenteſimo triceſimo tertio, duce expeditionis Matthia Ceulio, pugnantibus fortiter quà terra, quà mari, laudatiſſimis belli ducibus, Byma, Cloppenburgio, Vrieſio, Lichthartio, Garſtmanno, Mansfeldioque. Et licet natura loci, ob vicinum quo pulſa-

Paraibam noſtri vicere Anno CIↃ IↃ C XXXIV.

Præfectura fluminis Grandis deſcriptio.

tur mare, munitionibuſq; invicta illa crederetur, armis Belgarum ſe vinci paſſa, nihil fortitudini impenetrabile eſſe, ſuo exemplo fidem fecit. In rupe poſita ipſi flumini incubat, lapideo muro & præalto cincta, machiniſq; bellicis in omnem vim inſtructa, ut & adiri difficulter & modico præſidio defendi poſſit. Anteà, cum Regis eſſet partium, ab auguſtis trium Regum vocibus nuncupata, adſcito Ceulii nomine, in poteſtatem ſimul & appellationem Belgici Senatoris tranſiit. utiq; mutatis imperii rectoribus, parum fuit mutare rerum vocabula. Commorantem ad fluminis Grandis ripam Naſſovium, legati adiere, à Tapuiarum Rege miſſi, cum munerib⁹, arcubus, ſagittis, ſtruthionum pulcherrimis plumis, quibus ad bellum ituri inſigniuntur. quæ pacis & ineundæ concordiæ blandimenta ac benevolentiæ pignora, decenti comitate accepit, & dignè magnificeq; habitis legatis. conjunctaque amicitiâ, munera rependit, veſtes lineas, induſia, cultros, tintinnabula, vitra, corallia, hamos, clavos, ignotam ipſis aut raram ſaltem ſupellectilem. qua ſupra modum gaviſi diſceſſere, polliciti, ſe Regi ſuo perſuaſuros, uti Comitem ipſum accedat & ſalutatum veniat. In Paraybæ territorio Arcem *Cabo Dello*, Catharinam, collapſam reſtaurari juſſit, & foſſa profundiore ac latiore & lorica inſuper muniri. Eam, mutato

Arx Ceuliana.

Legati Tapuiarum Comitem adeunt.

Munuſcula ſua offerunt.

Caſtella reſtaurat.

cum

cum imperio nomine, Margaretam Naſſovius, à ſororis nomine, vocavit. Aliam arcem Borealem S. Antonio ſacram, pro derelicta habuit, ob impenſas grandes, relicta ſolummodo ad tutelam loci caſtrenſi turre. Munitiunculam *Reſtingam*, palis ſudibuſq; à milite cingi imperavit; nec nõ oppidi Paraybæ cœnobium aggere, adverſus hoſtium ſubitos inſultus. demandata hæc cura Eliæ Harckmanno Paraybæ Præfecto, viro ſupra virtutes plurimas & ingenij, quod acre illi fuit & à Belgicæ poëſios ſtudiis erectũ, egregias dotes, vario navigationum diſcrimine & rerũ maris uſu ſubacto, fidei in dominos ſuos prorſus inviolatæ & laboris indefeſſi. *Eliæ Harckmanni laus.*

Intercurrente tempore non defuere fortunæ bellicæ, quà terra quà mari, ſui caſus: commiſſus navali pugna cum Hiſpanorum aliquot navibus Navarchus Scapius, mari plurimum pollens, inter Sanctorum portum & turrim Garciæ d'Avila ferociter dimicavit. unam, quia prævalida erat & milite machiniſque munitiſſima, miſſam facere coactus, aliam in littora & vada protruſit, tertiam victoriæ ſpolium habuit. Ipſe accepto vulnere ſibi deformis, patriæ utilis ac glorioſus apparuit. In ea reperti literarum à Luſitanis ſcriptarũ faſciculi, Hiſpanorum in nos conſilia & cœpta, diverſis indiciis, aperuere. Erant qui referrent, in Liſbonæ flumine Galeoticas naves decem, in Gadibus vigin- *Prælium navale inter Scapium & Hiſpanos.* *Luſitanorum Literæ interceptæ.*

viginti ſtare, ad quas acceſſio fieret triginta vectoriarum. Quorundam opinio erat, claſſem hanc in Braſiliam parari: aliorum, ſimulari à Rege, Principum more, hanc neceſſitatis cauſam, ut hoc obtentu pecuniarũ à plebe compos fieret; cum Luſitanorum intereſſet, illam recuperari: ideò exacta à Rege nova onera, quintam bonorum. quæ commoviſſent populum, uſq; adeò, ut regios exactores aggreſſi, pluribus locis trucidaverint: His motibus graviſos Caſtellanos rigidius imperium, rebellionis ſpecie, in Luſitanos agitare: Regem ipſum cum exercitu affore compeſcendis Eboræ ac Alantæi & Algarucenſium populis. Erant, qui jam compoſitos tumultus memorarent. à plebe turbas eſſe, primores quietos: futurum brevi, ut claſſis in Braſiliam ſolveret, reſtituendis rebus: illi imperaturum fuiſſe Comitem Liniarez, verumtamen veneno affectũ contabeſcere: Ocquendum in Gades abiiſſe, curandæ claſſi: penes hunc fore imperium. Nec tamen hæc valde Comitem movebant, cum in brumales menſes adeſſe iſta claſſis nõ poſſet, ceteraq; in incerto eſſent, ob impeditum Gallorum bellis Regem; qui, ut habebant illæ ipſæ litteræ, venationi addictior, jacturam terrarum ſuarum & urbium, triumphante Gallo & Batavo, projectis voluptatib[9] redimeret. Commodum ergò putavit, hærentibus Hiſpanorum cœptis, præſentia

Mauritius nova

aucu-

aucupari, Societatis imperio incrementa novis auſibus quærere. Nec minus in votis habebat, ut dictam claſſem in mari occuparet. ej⁹ clade quietam fore Braſiliam, ſacchareis mercibus & mercatui opportunitatem. In hunc finem naves plurimas ſibi à Rectoribus mitti poſtulabat, quas vincendis hoſtibus, reportandis mox ſaccharis utiles, à duplici officio commendabat. Nec deſtitit hoſtis, licet Auſtralia fluminis Franciſci teneret, nocere noſtris. Nauticos aliquot, qui in terram exſcenderant ad piſcorum capturam, captivos in Turrim Garziæ de Avila abduxit, lemboq; in Septemtrionalem fluminis oram trajiciens, militem noſtrum, in Cororipa vagantem ſecurius, oppreſſit. Quin ulterius progreſſus ad fluvium S. Michaëlis, peragratis Alagois, Vnæ & Portus Calvi terris, populabundus ivit, adſcitis in Societatem prædonum manipulis. Luſitanos miti⁹ habebant, Judæos Belgaſq; pari ferocia. In hos, licet parca domi eſſent præſidia, miſſus Picartius, diſtinctis agminibus compita viaſq; publicas pervagatus, terrore ſui in ſilvas propulit palantes graſſatores, nullo militiæ ordine adſtrictos, ſed, quam ſors offerret, prædæ intentos. Naſſovius confecto in Paraybam itinere, velut conſors quoq;, ob cognatum ſanguinem, ejus gloriæ, quæ AVRIACVM, ob victam Bredam, non levibus præconiis per populos vehe-

cœpta agitat.

Hoſtes trans flumen S. Franciſci graſſantur.

Picartius in prædones cum manipulis mittitur.

Redit à Parayba Naſſovius.

vehebat, *miſsis trans Æthiopicum & Septentrionale pelagus, tabulis, tantæ illi victoriæ laudem gratulatus fuit, ob urbis momenta, obſidionis celeritatem, labores, diſcrimina, ſalvumq́ in communis fati periculo Principem.* Addebat: *effluxiſſe ſibi æſtivos menſes, magnarum rerum inopes, ob annonæ & militarium parcitatem: hac propter in Parayſbam ſe & Fluminis Grandis provincias ingenti diverticulo iviſſe, emenſis terreſtri itinere* CXXXV *miliaribus, ut invalida firmaret, collapſa paſsim reſtitueret: appuliſſe Reciffam naves duodenas, quæ cibariorum ut & utenſilium belli attuliſſent ſic ſatis, at in ſupplementa non niſi milites ducentos. Nec minus fixum ſibi eſſe, tentare Salvatoris urbem, eo, qui ad manum eſſet, milite: qui ad ſummum terna millia & centenos aliquot compleret, exceptis mille ducentis Braſilienſium: ſpem eſſe, poſſe commeatum urbi intercipi, cujus illam inopia laborare, non levi auditione acceperat: Banjolam cum mille & trecentorum manu, & Braſilianæ gentis quingentis, ad Villam Veilham conſidere ac rerum gerendarum occaſionibus inſidiari: paratum hoſtem, (ut ſpargebatur,) acie & ferro nobiſcum decernere, quod & optent ſui.* Quare bellum hoc grandius & majoris operæ animo agitare cœpit, nempe de expugnando Sanctorum omnium ſinu ejuſq; metropoli, quâ potiti olim virili audaciâ, mox penè muliebri væcordiâ, ſolutis in laſciviam cuſtodib⁹, excideramus. Promiſſa ad hanc expeditionem fuerant frequentibus Directorũ ad Comitem litteris, auxilia.

Expeditio in Portum omnium Sancto.

Quæ

Quæ cum tardarent vergeretq; anni tempus bellis idoneum, Comes (animi magnitudine, quàm, quæ tunc præſto erant, virium, major) excito è prẹſidiis omnib⁹ milite, cenſum iniit trium mille & quadringentorum gentis Belgicæ & Braſilianorum mille. Hos jungi Belgis voluit, ratus inter eos & Belgas virtutis æmulationem futuram. didicerat, aliter domi, aliter foris bella geri. domi eo milite pugnandum, quem vires patriæ ſubminiſtrent. foris hoſtem etiam per ſuos vinci poſſe, qui, diuturni & ferocis imperii impatientiâ, externa auxilia avidius amplecterentur. At quanquam probè ſciret, iſta ſe manu ſuſceptæ expeditioni parem non fore, hoſte potentiore; tamen à cœpto non deſtitit, erectus quotidiana auxiliarium è Belgio copiarum expectatione. Nec minus incitabant Comitem Europæi, urgebantq; indeſinenter, uti curas conſiliaq; omnia in dicti Sinus oppugnationé converteret. Hîc præcipuum Luſitanorum refugium eſſe, hîc Hiſpaniarũ Regis robur decuſq; maximè ſpectari; nullibi plura ſaccharorum molendina, nullibi uberiorem prædam fore: hac victoriâ brevi Braſiliam omnem nobis ſubdi poſſe; nullam urbem præmium victoribus dignius, & certi⁹ hoſti damnum allaturam. Ex ipſo Sinu & Salvatoris urbe facta Comiti indicia, militem præſidiarium ob non ſoluta ſtipendia querulum, in res novas inclinare:

rum, ſive BAHIAM.

Rationes Expeditionis.

Banjolam & Sinus gubernatorem gerundi belli opinione diſtrahi: prono in nos eſſe affectu incolas & ad fortunæ nutum noſtros: Comitis erga Luſitanos moderatione, clementia, benignitate ſubverti eorum animos & indies pellici: hoſtem armorum & commeatus penuria invalidum. His animoſior, & ne crederetur aut fortitudini ſuæ ac ſuorum aut belli fortunæ prorſus diffidere, gnaruſq; non ſemper pugnari viribus ad æquilibrium paribus: non ſemel exigua ſpe manuq; maxima diſſipata; incertam belli aleam experiri maluit, quàm inviſo otio Societatis commoda gloriamq; remorari. Interea ſperabat aut cœpta aut durante obſidione, affore Europæorum auxilia. Veruntamen ne in externum bellum abiturus, hoſtium irruptiorib⁹ aut inteſtinis motib⁹ oportunas faceret provincias ſuas, ea quæ ad ſecuritatem illarum facerent, domi ordinata fuere. In Reciffa cives ſub quatuor ſignis ducibuſq; ad cuſtodiam loci militavere, addita illis militũ merentiũ centuria, tribuno Nicolao Riddero. ſingula in centũ & triginta capita cenſebantur. In Parayba urbi Fredericæ data ad tutelam fuit civiũ cohors, cui centũ & quinquaginta inerant. in Tamarica Inſula & oppidulo Schuppii alia, non niſi quadragenos numerans. Sic aliis quoq; locis littoralib⁹, prout ferebant res, quæſita & impoſita præſidia.

Jam menſes pluvios inchoabat Aprilis

annum-

annumq; triceſimum octavum ſupra milleſimum & ſexcenteſimum aperuerat, cum habitis antè ſupplicationibus publicis, quæ rebus agendis pia initia ſunt, naves ad obſidionis neceſſitatem viginti duas, frumento, armis, aliiſq; belli impedimentis inſtruit. cætera ex hoſte ſe meliùs paraturum ſperans. Nec mora. adſcito in conſiliorũ ſocietatem Giſelino, Secretioris & Supremæ Curiæ Senatore, ſolvit è Pernambucenſi littore, favente Æolo, die Aprilis octavo provectuſq; in altum, feliciſſima navigatione, ſexto die, ex adverſo Sinus Sanctorũ ſtetit. quod iter, ea anni tempeſtate, niſi quatuor aut ſex hebdomadibus, confici ſolet. Additæ mox claſſi naves novem, quæ ante juſſæ fuerant eam navigationis ſuæ inire viam, ut veſperaſcente die in oculis haberent *Terram*, quam vocant, *Candidam*, ne à claſſis noſtræ conſpectu deviæ aberrarent. Ex alto terram petentib⁹, prima apparuit Turris Garciæ d' Avila, & illa S. Antonii. Poſtero die ſtabat Comiti ſententia ſubeundi Sanctorum portum. Verùm adverſum flantib⁹ ventis, horis aliquot circà oſtia fluminis Vermilii hæſit, obliquis curſibus iter conſultò moratus. Quod ipſum fefellit Sinus Sancti præfectum, qui ſuſpicatus omnem huc belli molem tranſlatam iri, & exſcenſionem parari, eò ocyus convertit exercitum, comitante cũ copiis Banjola. Ventis dein faventib⁹, ipſo meridie, in Sinus in-

An. CIↃ IↃ CXXXVIII

Giſelinus comes expeditionis.

Mauritius felici navigatione in Bahiã trajicit. tima prono mari devectus fuit, inter caſtrorum hinc, inde, & navium ac civitatis fulmina & tonitrus, ſævientibus undequaq; in claſſem nequicquam machinis. Stabat in anchoris claſſis ſub ipſis hoſtiũ caſtellis, Sole ultrà meridiem provecto; & velut in Belgarum molimina & motus intento. Mox promontoriũ arcis Bartholomæi nonnihil prætervectus claſſe, exſcendit, nullo obſiſtente, *Exſcendit.* miles, ſeſqui ab urbe miliari, loco commodiſſimo; ubi mons viſebatur nud⁹ patenſq;, nullis conſitus aut obſcurus frondib⁹, cujus valles recentib⁹ dulcibuſq; aquis irrigabantur. Hîc locatis caſtris, & expoſito ocyus apparatu omni bellico ac commeatu, è captivis cognovit, dimidio à caſtris noſtris miliari, anguſtias eſſe, tranſitu difficiles, nec niſi relapſo maris æſtu ſingulis pervias, ob paludũ humida & fallaces circum campos, qui progredi turmatim militem vetarent. Quare *Præmittit Tourlonium ut cognoſcat.* præmiſſus cũ trecentis baliſtariis Dux Tourlonius fuit, ut cognoſceret. qui hoſtem ibidem offendit, prope anguſtias iſtas, quas præoccupaverat, aggeribus ſe valloq; munientem. ideò abducere ſuos coactus, ob majorem hoſtium vim, ſitum loci & diſcrimina anguſti tramitis Comiti aperuit. Is nihil iſta moratus, ne conſultando agendi tempora effluerent, ex adverſo hoſtium, in monte aciem diſpoſuit, mediis inter nos hoſteſq; anguſtiis. Simul mandatum Iohanni Maſtio

navium

navium præfecto, ut navigiis quatuordecim recta urbem peteret, anchoriſq; extra machinarum jactum fixis, nova juſſa expectaret. nec aliud conſiliū Comiti, niſi ut alio & majore metu avocaret à tramite iſto hoſtem, qui metuens urbi à præſidiis vacuæ, deſertis anguſtiis militem properè in urbem rapuit. diſſidentib⁹ licet Tribunis, qui ſuadebant, prælio cum Belgis decerneret, potentiorq; minus potentem & itinere mariſq; incommodis fatigatum, prior invaderet. urgebant, noſtris refugium non eſſe, niſi ad littora, naves & mare; ſibi in urbem & urbis proxima. ideoq; faventiore ſe Marte & loco pugnaturos. Jamque, ſuperfuſo littoribus Oceano, Naſſovius hac die penetrare anguſtum tramitem prohibebatur. poſtera die promotis caſtris ad anguſtias contendit, perrupturus, ſi poſſet. Verùm & tunc eas, feſtino milite, rurſus inſederat dux Luſitanus. cū quo poſtquam minoribus aliquandiu tormentis pugnaſſet Comes, plurimoſque ſtraviſſet, ſtationem deſeruit. Nos occupatis & ſuperatis eadem veſpera anguſtiis, mirati ſuprà modum fuimus, væcordem Luſitanorū fugam, quibus tramitem iſtum pauco milite tueri perquàm facile fuiſſet. Progreſſi ulterius, vix ſemimiliari ab urbe, ubique hoſtiles copias, viis acceſſibuſque & fluviorum ripis incubantes, offendimus & repulimus. donec poſitis, ſub ipſis Vrbis externis munitioni-

Hoſtis anguſtias deſerit.

Occupat Comes anguſtias.

Stativa ad urbem locat.

tionibus, ſtativis, hoſtium vim opperiremur. qui ſub mœnibus machinis ſuis ex alto tutus, militem ad prælium, ut videbatur, diſpoſuerat. Verum ſua ſe continens ſtatione, tormentorum bellicorum diſploſionib⁹ crebris noſtros exercuit, & cohortem Braſilianorum, plus nimis ſecuram, nonnihil afflixit. Arcem Alberti è lapide ſtructam à Luſitanis deſertam occupavere Belgæ. Eâ ſtativis noſtris parta ſecuritas, ne à littore poſſent circumveniri & impeti. Hæc ipſa circumvallari juſſit Comes, & mox per protribunum Brandium, Caſtellum aliud S. Philippi, in littore poſitum, non multo milite, deditione accepit, quamvis quinque ſe machinis tueretur. Inſequenti die S. Bartholomæi caſtello potitus fuit, tredecim machinis terribili & inſtrumentorum militarium copia inſtructiſſimo. His Arcibus in poteſtatem noſtram redactis, patebat liber ad naves acceſſus, accipiendo commeatu, à quo, non niſi in octiduum, militi in terras expoſito proſpici poterat. Tunc ex mandato Imperatoris duo erecta tribunalia, ſive ſuggeſtus. unum ſuſtinendis machinis majoribus ſeptem, alterum minoribus (campeſtres vocant) duabus. Iis aggerendis dum occupamur, eruptiones fecit Luſitanus crebras, modò immiſſis præſidiariorum trecentis, modò quadringentis, ſed indemnes. Nos perpetuo pilarum è tribunalibus in oppoſitam

Arces capit. Alberti.

S. Philippi.

S. Bartholomæi.

Suggeſta attollit.

Arcem

Arcem Roſarum, quæ ad montis pedem erat, jactu, exegimus præſidiarios. Nec tamen ob proximum tribunal hoſtile, cujus ictib' patebat iſta Roſarum arx, occupari & teneri à noſtris potuit. ut inter partes nullius jam eſſet; gloriæ bellicæ materies verius, quàm victoriæ; & bellaturientium potius, quàm de alterius ſorte triumphantium, controverſa arena. Erat prætenſum Vrbis tutelæ opus Cornutum, in faſtigiis Cœnobii Carmelitarum, è quo in Arcem & nos ſævire tormentis promptum erat. Illud ipſum unius noctis labor, incredibili oppidanorum ardore, in quatuor pedum altitudinem aggeſſit, ut nec à noſtris lædi oppidani, nec hi in noſtros baliſtas fiſtulaſque torquere poſſent, ob maceriem in ſublime elatam & diremtis per eam partibus. Hoc cum ex re noſtra eſſet expugnari, datum negotium fuit quatuor centurionibus, militibus quadringentis, additis pilarum, quas Granata vocant, jaculatoribus viginti, & operariis ducentis. quibus à Comite militari ſermone ad audendum incitatis (norat utique tractare militares animos) dum in hoſtem ingentib' animis contendunt, incidére in abditam arbuſtis quadringentorum militum manum, qua cum ancipiti Marte pugnatum, pari ferè utrinq; clade. Hoc agmine perrupto novus ſurrexit labor ab excubitoribus ducentis. qui ſtatim à pugna projectis degeneri *Acriter dimicatur.*

metu armis, fruſtràque vitam orantes, furore militari oppreſſi cecidére. Veſpera ſublunis erat, cum facto in Cornutam munitionem impetu, poſt bihorii acrem & ſtatariam pugnam, adſcenſum noſtri tentavere, ſed conatu irrito, hoſte huc omnem belli vim conferente, & tanquam de ſummâ rei decertante. præmonitus à transfuga credebatur, cum tam validis excubiis nunquam ſua antehac tutatus eſſet. Jam miſſæ jactæque in illam fuerant, mira militum alacritate, pilæ ignivomæ plus quam trecentæ, Luſitanis pari eam fortitudine animoq; tuentibus, utpote in qua de urbis ſalute dimicabatur. Quin hoc omni ſtudio agebant, ut eruptionibus frequentibus, nam milite prævalebant, viam noſtris à latere intercluderent, quibus non ſegnı⁹ reſtitum, ſubmiſſis centuriis quatuor, Duce Hinderſonio. qui cruentis illam conflictibus acerrimè propugnabat, plurib⁹ utrinque deſideratis. Tunc cæſis Centurione Houwino & caſtrenſium operum architecto Berchemio, dum in occupandis hoſtium tormentis & trajiciendo in hoſticam ſtationem milite toti ſunt, inclinavit belli fortuna, & minus æqua Belgis, agendi quæ oportuit occaſiones optimas eripuit. Occubuere ſtrenuiſſimi & veteris militiæ duces, Abrahamus Ebrechtus, Bowardus, Hollingerus, militumque nonaginta quatuor, magnarum animarum pro decore publico pro-

Impetus fit in Opus Cornutū. Sed fruſtrà.

Caduntur Houwinus centurio & Berchemius archite ctus caſtrenſis. Etiã Ducem alij.

prodigi. Cœpta luce, ſparſim ſtrata jacebant cæſorum hoſtium corpora, noſtris intermixta, ut fugerant, ut reſtiterant, conſpicua. quamobrem pacta eodem die ad breve tempus armorum quiete, vacatum humandis mortuis utrimq; fuit. noſtrorum cadavera pleraq; intrà hoſtium vallos reperta, ſi non victoriæ, ſaltem fortitudinis & militaris fiduciæ gloriam à loco, quo ceciderant, meruere. Ex eo Imperator oppidanus, edoct⁹ à captivis transfugiſque de exercitus noſtri militumque paucitate, & perfectis jam, quæ dudum incœptaverat, munimentis, ipſe militum numero longè ſuperior, promovit in nos, & exſtructis in montium verticib⁹ ſuggeſtis, in ſtationes Belgarum impunè jaculabatur. nec opis noſtræ erat, iſta impedire, ob interjectas paludes, quas operib⁹ ſuis caſtrenſi linea vel aggere annexuerat. Hinc ea caſtris nata calamitas, ut tormentorum ictibus indies ruerent multi, vulnerarentur plures. Non per intervalla, ſed continuis, noctu & interdiu, furoribus, excutiebantur in patentes ſtationes machinæ. quæ pernicioſæ aliàs, tum nocebant magis, ob pluvium aërem, quo tuguriolis ſuis claudi militem, nõ falſo hoſtis conjectabat. licet pars magna relictis ſtativis terrarum ſe & ſilvarum latebris adderet. Etiam, quæ à Comite in mediterranea loca miſſa fuerant militum agmina, modo quingentorum, modo ſexcentorum,

impediendis oppidanorum pabulationibus, & abigendo pecore, redibant vacua, ob longè potentiores hoſtium manipulos & tutelares commeatuum copias, quibus tuti pecus ſuum gregatim in urbem agebant. Accedebat & hoc incommodi, quod remotis à littore caſtris quarto miliari, facilis fuerit transfugis in urbem tranſcurſus, per quos de caſtrorum ſitu, viribus, cœptis, inſtrui potuere. Quamquam verò omni cura hoc ageret Naſſovius, ne urbi commeatus mari ſupportaretur, factum tamen, ut ſubirent naves frumentariæ noctæ obſcura & tempeſtuoſa, quæ ut nos hoſti, hoſtem nobis eripuit. Tantæ ſiquidem exortæ fuere tempeſtates, ut amiſſis una nocte anchoris duodecim maximo inter ſe diſcrimine nō ſine naufragii periculo colliderentur rates. Quamobrem gnarus Imperator noſter, non ſemper votis ducum reſpondere bellorū eventus, aut hominum uſque conſiliis obſequi divina, diviſo ſæpe Jovis cum Cæſare imperio; cum Senatore Giſelino aliiſque militiæ terra marique præfectis, præſentis belli faciem, caſtrorum ſtatum, rerumque momenta omnia rigidè expendit: diſparem ſibi fuiſſe & eſſe cum hoſte copiarum numerum: attrito exercitu vix ſupereſſe bello apta militum millia duo ſupra quadringentos, ac Braſilianorum nongentos: his copiis nec poſſe ſe tutari ſua, & hoſtem invadere, caſtellis muni-

Cauſa ſolutæ obſidionis.

munitionibuſque pluribus tutum, nedum impedire rerum neceſſariarum in urbem importationes: patere munitiones ſuas hoſti altiora inſidenti: hinc certiſſima ſuorum funera & cædes: anni tempeſtatem pluviam morborum inter ſuos peſſimam eſſe parentem & nutriculam, extinctis cohortis prætoriæ duce Iohanne Wendovillio, & centurione Iſraele Twynio, ac gregariæ turbæ plurimis: accidi indies militum numerum, nec ſuppetias præ manibus eſſe: hoſti contrà creſcere robur & exercitum concîtis undiq; ad arma indigenis, uti ex ipſorum tranſfugis & interceptis litteris planum erat: Gubernatori in præſidiis eſſe millia peditũ duo, Caſtellanæ partim, partim Luſitanæ gentis: Comitem Banjolam mille quadringentos in auxiliũ adduxiſſe & Braſilienſium octingentos: civium in armis cenſa terna millia, armatis etiam Eccleſiaſtici ordinis viris & ſtudioſis: equitum inſuper illi eſſe turmas duas, præter Nigritarum & Mulatarũ mancipia & ex agris coactos populos, omnes ab armis inſtructos: pluribus defendi facilius poſſe, quæ poſſidentur, quàm expugnari à paucioribus. Adhæc ſubibat conſultantibus, præcipuam Braſilienſis militiæ vim inutili cunctatione in hoſtili ſolo conſumptam iri, quæque noſtra eſſent alibi, modicis præſidiis firmata, hoſtium ſtratagematis inſultibuſque oportune eſſe; ideoque cauta ma-

gis ex conſilio, quam proſpera ex caſu eligenda, nec ulli prudentiorum pertinaciam & deſperata conſilia probari. Quamobrem placuit cunctis tentatam potius obſidionem ſolvere, quam in majus diſcrimen & incerta caſuum præcipitare ſummam belli. ſatius eſſe, retinere poſſeſſa, quam vano molimine dubios eventus præſtolari & ancipitiis inſiſtere. CEDIT interdum generoſus animus neceſſitati & utilitatem publicam loquentem audit, fortunæ viribus inferior. ubi niſi rectioribus inhæreas conſiliis, incerta pertinacius ſequenti, concidendum eſt. Hæc ab affectu vacuis aut non obnoxiis facile perſuaſerim, minus malevolis, aut iis, qui virtutes Imperatorias ſolis ſucceſſibus æſtimant. ET EST noſtrum hoc fere vitium, ut quicquid votis complectimur, Ducem armis complecti poſſe putemus, & patere militi, quæcunque patent cupiditati. qui ſi illic ſimus, aliter ſentiamus. Notant hiſtoriarum ſcriptores, rarò ſine aliquo diſcrimine, revocari exercitum aut receptui ſignum dari. hoc tamen ſcitè ac militariter egit. Omnibus ad diſceſſum compoſitis & ordinatis, milite & apparatu bellico in naves recepto, etiam machinis hoſti ereptis,

Cautè diſceditur abſque ſtrepitu paravit abitionem. quam ne animadverteret intempeſtivè miles noſter, & inconſultius quid auderet imperaverat jam ante Comes, tormenta transferri è caſtris

ſtris in naves, tanquam alia ſubmiſſurus. quod & creditum militi. Per plures Inſulam proximam diripi imperavit, & Braſilianorum uxores, quîs cum ad bellum proficiſcuntur, hic attineri, ut diſceſſus ſuſpicionem animis ſuorum eximeret. Quin in ipſo abitus momento munitionibus roborandis, tribunalibus attolendis, aggeribus ducendis operarios occupavit, ne de receptu quicquam reſciſceret hoſtis, & per anguſta abeuntium terga invaderet. Latuitque hæc res Luſitanos, qui orta die in ſtativa noſtra, pari ut ante furore detonabant. donec hora circiter diei nona, nullo in caſtris percepto motu, jamq; ceſſante armorum & belli tumultu, munitionibus ſuis egreſſi, vacuos deſertoſque invenere Belgarum vallos. ubi accenſis tuguriolis effuſam lætitiam tormentorum ex urbe exploſionibus teſtati fuere. Eopſe die ſubſtitit in ipſo Sinu claſſis noſtra, ſpargendo per rates milite, miſſuſque in urbem tubicen, qui de redimendis captivis ſexaginta ageret. ſed fruſtrà, obſtinato hoſte, & lætis inſolentiore. illo morante adhuc in Vrbe Salvatoris, appulit Luſitana navis, machinis hinc inde decem, & copioſo milite ad bellum armata, quæ ſuppetias auxiliaque affore nunciabat. eo nuncio recreatus Gubernator, exempto metu & ceu parta ſecuritate ter tormenta excuſſit. Non fugerat claſſem noſtram iſta Luſitanica, verum

rum adverſante vento accedere illam propius prohibebamur, flagrantib⁹ in vanum ſpe prædæ navalium animis. Tunc compertum, falſis indiciis perlatum fuiſſe ad Comitem, de diſcordia inter Banjolam & loci præfectum. cũ hic omne militiæ jus belliq; adminiſtrationem Banjolæ ceſſerit; Epiſcopo anhelantem queruli militis inopiam pecuniis ſolante. Illud animum Naſſovii altiſſimè penetravit, non potuiſſe ſe auxiliorum defectu & mora, Patriæ, Societatis, ſuumque decus tam celebri expeditione vindicare. pro quo animam profundere, tot ſuorum glorioſis exemplis incitatus, paratus eſſet. Pactæ in illam impenſæ non fuere Societati graves, ut quæ partis nuper ſpoliis & Nigritarum quadringentorum preciis penſari potuere. At maximè fortiſſimorum Ducum & promptiſſimorum militum interitu indoluit. illud ſe commodi retuliſſe dictitans, quod oculis ipſe urbis & arcium omniumque locorum ſitum ac robur luſtraſſet cominus, & paratior jam eſſet novis præſidiis auxiliiſque reſumendi optimè cœpta. Tunc in futurum providus Imperator, veritus ſubnaſcentes è longinquo ſuggillationes, ut in conſcientiam rerum gerendarum advocaret Supremas Belgii Poteſtates, ad eas hæc per epiſtolam locutus fuit: *Traditum ſibi Braſiliæ imperium, ut parta tueretur, nondum parta adſciſceret. at nec defendi regna*

Impenſæ in expeditionem penſari potuerunt rebus captis.

Epiſtola Comitis ad Potentiſſ. Ordd.

poſſe

poſſe abſque milite & armis, nec proferri. ſine illo nullum eſſe bellicis conſiliis robur & invalida omnia. Atteri indies copias, aliis belli violentia exſtinctis, aliis morbis & itinerum incommodis abſumtis vel labefactis: aliis poſt tolerata ex honore belli obſequia & ſtipendia dimiſſis, & indies dimitti flagitantibus, ob gravem & infructuoſam militiam; quos ſub vexillis retineret, non largitione & ambitu, ſed per bonas artes, comitate & ſeveritate. pluribus adhuc præſidiis opus eſſe, vendicandis ab hoſtium injuriis & graſſatione iis terris, quæ longis ſpatiis à Serinhamo & Portu Calvo, ad ripas uſque S. Franciſci diffunduntur. Sic diſtrahi militares manus, imparesque reddi firmandæ Reipub. adverſus inopinas hoſtium invaſiones. Tentatam à ſe Salvatoris urbem, ſed majore fama & ſtrepitu, quàm uſu. non defuiſſe animos pugnantibus, ſed numerum. hujus exſpectatione plus ſe voto complexum, quàm viribus. à fortuna belli ſperaviſſe ſucceſſus, quos præſtare ſuorum vel cura potuiſſet vel luculentior ſors. Si rationes inire libeat, quantum à Societatis contuberniis collegiisque ſingulis militum, ex communi decreto, ſibi promittere habeat; deeſſe ad numerum iſtum ducentos ſupra mille. præter illos, quos juſſa Principis & primorum Societatis in alias expeditiones ſeponi voluerunt. Illorum miſſione etiamnum deſideria ſua exerceri. Equidem, *non ſatis eſt,* (verba Comitis ſunt) *decerni imperio huic utiliſſima, facto maturè opus eſt. celeritas in lucro bellantibus eſt, procraſtinationes periculoſæ. militares copiæ non habent remedium in neceſſitate, niſi antè conſcriptæ; ne*

abſum-

abſumptis prioribus, ſubſequentes inefficaces ſint. Culpare incuriam non poſſum, apud viros graves & Reip. ſtudioſiſſimos, poſſum tamen indigentiam, cui in re tanta extremis curis ſubveniendum, nō aliter, quàm in corporis morbis. Frequentiſſimæ calamitatum cauſſæ ſunt, ſecuritas, cunctatio, & ſumptuum metus. laboratur his malis inter neſcios vel conſcios. Illud expediat, ſuppetias majores mitti ſimul, non carptim, cum unita vis fortior ſit, quàm minutis diſtracta agminibus. Quaternis millbus opus in præſidiis. nec tamen numerum hunc explent, qui hic ſub ſignis ſunt. Quo ergo hoſtis impugnabitur milite! quo repelletur ſuperveniens! quo viæ aditusque præmunientur, adverſus palantum rapinas & populationes! Id voti eſt, & poſtulati mei, militum mitti terna millia & ſexcentos, qui additi iis, quos in præſidiis habemus, ſeptena conficient millia. qua manu dignum aliquid Societate geri poſſe, non ſpes ſolum ſed & fiducia eſt. à parcis auxiliis nec ſpes nec metus gignitur. magna in utrumq; impellunt animos. Non me latet, tot retrò annorum bellis lachrymare æraria, quæ impenſæ grandes exhauriunt, nec reditus parci & modici ſaturant. Verùm quia aggreſſæ res ſeculo & Batavorum virtute dignas eſtis, inſiſtendum cœptis nec deſperandum. Iacta eſt alea. Non Rubiconem, ſed Oceanum tranſivimus. aut omnis hujus imperii contextus diſſiliet, aut fulciendus magnis animis. velis remiſque opus, ut enavigemus has Syrtes, hæc novæ gubernationes Acroceraunia. Infames imperantium ſcopuli ſunt, diſcrtminum metus & impenſarum. Glorioſius arbitror,

Braſi-

Braſiliam magno ære redemptam parere vobis & totam vinci, quam quæ vicimus parcimonia & negligentia in præceps dari. In hunc annum ſi perdurabitis ferendis ſuppetiis, erit Reipub. parta ſecuritas, & ærariis vis. Si propitium Numen avertet meſſi calamitatem, exſpectare habet Societas in præſentem annum; ſexcentâ florenûm millia. qui reditus, aucta agrorum ſecuritate, ſua quoq; in annos capient incrementa. Neque pluis nobis virium eſt mari. Nam quæ advenere naves, adeò nauticorũ egebant, ut iis gubernandis trecentos militum imponere neceſſe habuerim. præterquam, quod quaſſæ fractæque refectionem pleræque poſcerent; nec ad inferendam vim, nec ad excipiendam idoneæ. His malis remedio fuerit, ſi naves majores octodecim adornent & ocyus tranſmittant Europæi Rectores, quibus & bellum inferri poterit hoſtilibus hîc terris, & revehi in patriam Braſilianæ merces, & obviam iri Luſitanorum, ſi quas fortè moliantur, claßibus.

Hæc ſcripſiſſe Comitem legimus, & quidem prudenter. cum Imperatoris ſit, etiam extra bellum in futurum conſulere, & cura ac proviſu perinde agere, ac ſi hoſtis ingruat & ante portas ſit Hannibal. At litteras Comitis reſponſum ab Europæis Rectoribus : *non ignorare ſe, incertos dubioſq; bellorum eventus: Bahiæ expugnationem votis facilem, armis difficillimam : majoribus copiis ad hoc opus Comiti fuiſſe. ſed interveniſſe ea, quæ id fieri impedirent : his malis remedia quæri à validore ærario. huic à Sociorum liberalitate animiſq;, his verò à Braſilienſium rerũ* *Reſpondent Europæi.*

ſucceſſu & felicitate. ut mutuis operis & Braſiliam juvare habeat Societas, & Societatem Braſilia, permixta utriuſq; ſalute & commodis: probari ſibi Comitis inſtitutum, de tuendo S. Franciſci flumine adverſus prædatores, ne perrupta hac partium & belli macerie, finibus agriſq; Belgarum populabundi incubent & ſacchareæ meſſi calamitatem ferro flammiſq; inferant: Optimis quoque conſiliis in hoc incumbi à Comite, ne Bahienſibus quies ſit & otium reſpirandi à privatarum miſeriarum ſenſu: ideò terrâ mariq; occupandos, ne noceant ipſi & de inferenda nobis vi cogitent: armatos metui, contemni inermes & inertes: præveniendum hoſtem, ne præveniat; id conſultius, alienas res metu verſare, quàm ſuas, aut, quod æquè apud bonos optabile eſt, nec timere perpetuò velle, nec perire. ſibi id primum, id ultimùm curæ fore, ut & militum & navium miſſione firmentur provinciæ. Gliſcebat tum temporis inter Societatis primores grandis controverſia, quæ Hollandorum potiſſimum & Zelandorum collegia commiſit: Vtrum nempe ex re Societatis foret, privatorum comerciis aperire Braſiliam, an per Societatem omnia geri, quæ mercatum & incolarum neceſſitates ſpectant. Sui utriq; ſententiæ erant autores. Quibus arridebat poſterior, Societatis Orientalis ſe exemplo tuebantur, & hoc argumento; majora exſpectari lucra, ſi ſola mercaretur Societas: cũ liberis ſingulorũ commerciis, in multos diſtrahatur quæſt⁹, & vilitas inducatur mercib⁹, ob mercantium frequen-

Controverſia inter Societatis Rectores: An expediat ſingulis ad mercatum aperiri Braſiliã, an ſervari publico.

quentiam. Colonias ſic confici fatebantur. at à coloniis nō levia incōmoda metui. poſſe populoſiores imperia tranſmarina excutere, aut filiam matre potentiorem reddi. Sic Tyro majorem evaſiſſe Carthaginem, Phocæâ Maſſiliam, Syracuſas Corintho, Cyzicum ac Byzantium Mileto, genitali ſolo. etiam ſentinam illis & fecem peſſimorū colligi ajebant. nec rempublicam ordinatā naſci, ſed colluviem facinoroſorū & perditorum. ſic effici, ut mixti meliores & egregius animi & morum quiſque degeneret. Hi ſpecie boni publici, privatas utilitates obvelare credebantur. licet nō deeſſent in conventib⁹ honeſta rerum vocabula, & probabiles ſententiæ, quibus cauſæ ſuæ authoritatem adſtruerent. Quibus prior placuit, inſiſtebant his: coloniis magis defendi extera imperia, quàm armis: illas, facta omnibus mercandi facultate, ſperari poſſe, nō ſi per ſolos Societatis adminiſtros res omnis gereretur, ut qui pauciſſimi eſſent: civium frequentia accreſcere reditus publicos. Adhæc non eſſe eas Societati opes, ob attritum ſumptibus ærarium & ægram fidem, quæ ſufficiant tantæ rei. multa poſtulante mercatu, multa bello, multa incolarum victu, amictu, aliiſq;. nec oſtentari è propinquo ſpem, unde iſta calamitas reſarciatur. Et tamen neq; bellum neq; mercatū ſine pecunia geri poſſe, quemadmodū nec corpora ſine nervis moveri. Naſſovius, ſen-

Coloniarum incommoda.

coloniarum commoda.

Conſilium Comitis.

ſententiam à Directorib⁹ rogatus, per litteras apud eos hunc in modum diſſeruit: Societatis ſalutem omnem à Rectorum unitate eſſe, à diſcordia perniciem: iſtis contentionib⁹ & deliberationib⁹ remedia quæri. at fatiſcente interim & pereunte Sagunthо. Non ignorare ſe, veritatis perpetuam ſortem eſſe, ut odium pariat, apud ſecus ſentientes. Sed fidem obſequio antiquiorem ſibi haberi, & juvandi ſtudium præferri gratiæ placendi. Et quanquam promtius ſibi ſit dicere, quid ſentiat, quàm quid ſuadeat, conſilia tamen ſe daturum abſque omni affectu. at interim deprecari invidiam inſperati fortè eventus; nec debere, cum conſulueris fideliter, ſiniſtros caſus imputari conſultori. Exaggerari, ajebat, immania, quæ ad privatos olim rediiſſent, lucra, quæ Societatis eſſe potuiſſent. ſed verſam ex illo mercaturæ & rerum faciem. Olim, cum primùm noſtra eſſet facta hæc Braſiliæ pars, in Directorum omnia fuiſſe poteſtate; jam per contractus quoq; privatorum. Olim repertum hîc in Luſitanorum conditoriis ſaccharorum multum, mercium noſtratium, quib⁹ opus Luſitanis, parum; ut grandi has emolumento, quadrupli & quintupli, cum ſaccharis permutarent Belgæ, præſertim metuentib⁹ tunc adhuc ſibi & ſaccharis ab externâ vi Luſitanis. Jam verò ſaccharorũ reperiri parum, quorũ pretia intendantur, parta terris hiſce majori ſecuritate, mercium autem Belgicarum affa-

tim. Vtilius ſibi videri, omnibus mercandi fieret ex æquo licentia. hac impeditâ excidere Societatem vectigalib⁹, portoriis, tributis navalium onerum. Prætereà, non poſſe à Societate comparari merces neceſſarias Braſilienſibus, niſi grandi ære; à quo in præſentiarum eam deſtitui, in comperto ſit. nec poſſe eaſdem diſtrahi cum lucro, ob privatarum mercium affluentiam. quas ſi redimere quàm maximè velit Societas, abſq; damno nequeat; ſi enim majore precio redimat, cũ jacturâ publicâ fore: ſi minore, privatorum. quibus tunc pronum erit occultare illas, nec empturis oſtentare. Inſuper, non poſſe deſerta & inculta Braſiliæ excoli, ſine colonis. nec hos eò invitari, non permiſſa unicuique rem faciendi poteſtate. à civium multitudine lucra exſpectari, ob ſingulorum & plurium neceſſitates. ſic futurum, ut, auctis habitatorib⁹, augeantur æraria, ſine quib⁹ arma haberi nõ poſſunt, uti nec ſine armis quies novæ genti. CALCVLVM utiq; cũ imperio ponendum, ſemperq; id agendũ regnantibus, ut ratio quæſtuum & neceſſitas erogationum congruant. Per colonos robur addi provinciis, diminui præſidia: tutiorẽ eſſe rempublicã & ſuis fidere. Luſitanos indigenas vix metu in officio contineri. ceterum Regi ſuo addictiores fluxæ eſſe fidei, & quavis occaſione mobiles. At colonorũ nõ eſſe ſpem, niſi ſit lucrorum. ſpe eſuritionis ne-

Mercandi licentiam ſingulis fieri ſuadet.

Neceſſitas Coloniarum probatur.

minem tranſire maria, vitæ pericula contemni, affulgente quæſtu. hunc præcidi ſingulis, ſola mercante Societate. Quin & illud urgebat Naſſovius, indigenarum ſe querelis indies premi. qui iiſdem conditionibus ſe victuros ſub imperio noſtro pacti fuerunt, quib⁹ vixiſſent ſub Hiſpano. nempe, ut molarum proventus venderent arbitrio ſuo, nõ aliorum. erepta hac libertate, malle ipſos aliò concedere, quàm hic laborioſam ſervitutem, ad nutum & licitationes Societatis, ſervire. Dum hæc diſceptantur inter mercantes, intercurſabant doctorum ſermones; Quot colonias tot arces & propugnacula imperiis dari. nihil tam validum, quàm earum deductionem. Iſtis vinculis, velut compeditũ, Orbem ſub Romanorum obſequio manſiſſe. ut quibus perſuaſum, frequentiam civium fundamentum eſſe omnis potentiæ & diuturni ſtatus firmamentum. Hoc conſilio Regem Hiſpanorum Novum Orbem coloniis impleviſſe. habitandum eſſe Batavis, ubicunq; viciſſent. quod de Romanis dixit Seneca. Vbi enim agros quiſque ſuos opeſque poſſidet, obligari ad imperantium defenſionem, niſi pelli velit, ſi & illi pellantur. Præterquam, quod plebs inops & domi Reipub. gravis, exhauriatur, militibus emeritis agrorum aliquid in præmium cedat. Ideò emittendam illam agminatim, cenſebant, ut apum examina per nova & plura al-

vearia diffundunt prudentes agricolæ. quin & illud objectabant deliberantibus, militiam lubentius expeti, ubi functis bello ſua eſſent diverticula, jumenta & agri & agrorum cultura. Neceſſe, quod quis metuat, ne potentior matre fiat filia, locis tam longinquis & patriæ opis indigis. In hanc Comitis ſententiam itum à Rectorib⁹ Societatis, & Fœderatis Ordinib⁹ fuit. qui edicto veniam fecere ſubditorum ſingulis, navigandi in Braſiliam & ibidē mercandi. ſoli Societati proprium fecere mercatum Nigritarum, apparatus bellici, armorum, & lignorum Braſilienſium. At exempti iſto indulto ipſi Societatis rectores & rerum in Braſiliâ adminiſtri, quotquot fide & ſacramento illi obſtringebantur. ne mercaturæ ſpecie ſordibus ac rapinis locus eſſet, neve per avaritiam, publicam rem in ſuam verterent. Quam ob cauſſam Thebani lege vetuerūt, ad Reipub. gubernationem admitti, qui non decenniū à commerciis abſtinuiſſent. mercibus eò ituris, & huc tranſvehendis, impoſita onera, prout ex re Societatis fore judicabatur. Hoc edicto excîti mercatores Belgæ, tam frequentes navigavere, ut mercium & rerum neceſſariarum copia gravis laboraret Braſilia, & querelæ veteres ceſſaverint aliquandiu. rem fecere primi, minus poſteriores, maximo mercimoniorum affluxu & diminutis preciis. Sed his decretis, quæ plurium

Probantur Comitis conſilia.

judicio ſaluberrima habebantur, aliorum poſtea diſſentientiũ chartis rixiſq; palàm cõcuſſis, diſtracti fuere ſtudiis Rectores, omniũ damno, nec ſine mutua contumelia. dum privatarũ provinciarum urbiumq; res potius agi, quàm publicas & hi & illi criminantur.

Hæc inter Societatis Optimates inſigni providentia omnia circumſpicientes, diurno nocturnoq; conſultandi ſcribendiq; labore, rerum Occidentalium ſummam è longinquo adminiſtrabant, regebantq; molem tantam. Cumq; memoria captæ ab illuſtri Heynio claſſis argentiferæ altius inſideret animo, ut quæ egenti tum ærario ſolatium fuit ingens, noviſſimumque, attrita Regis Hiſpaniarum fama & viribus: denuò conſiliũ cepere, idem audendi, & fortunam ſimili audacia, ſpe pari provocandi. Deſignatus huic operi fuit Cornelius Jôlus, à teneris mari fluctibuſq; innutritus, cœli ac ſali, quibus adſueverat, indole acrior, promptæ ad omne facinus audaciæ, quiete nullus, navalibus ſtudiis erectus & ſuus, ſilentio fortis, impetu vehemens, laboris ac fidei capaciſſimus, cetera rudis. Hic claſſi novæ & validæ præfectus, jus poteſtatemq; à Fœderatis Patribus, Principe Arauſionenſi & Societatis primoribus accepit, cum hoſte pugnandi, & illas Hiſpanorum rates invadendi, quæ collectis è Peruana regione, & vaſtis maris Pacifici regnis, immenſis opib⁹, è Terra Firma

Expeditio in Occidentem ſub Jôlo.

&

& Cartagenæ portu in Novam Hiſpaniam trajecturæ erant, jungendis ibidem viribus & mercibus. At Mauritio Senatuique Braſilienſi ſententia ſtabat, poſt tentatam fruſtrà Sinus Sanctorum metropolim, prompto adhuc ad nocendũ milite, flammis vaſtare quotquot Præfectura iſta haberet ſacchari machinas, vel in inſulis vel Continenti. cauſſæ erant, ne, privatarum calamitatũ ſenſu, finib⁹ noſtris poſthac vim eandem facerent, & ut intercepta meſſis ſacchareæ ſpe, annuo fructu deſtitueretur Luſitania. Verum hæc conſulta pervertit Jôli adventus, alioque, ex mandato Directorum, bellum converti placuit. Hoc tamen curæ fuit Naſſovio, ut iis, quæ ſupererant, copiis, ſi non lædere hoſtem, ſua ſaltem tutari poſſet. Impoſitæ naves & præſidia flumini Franciſco; ubi proximus hoſti trajectus. intercluſi aditus in Alagoas, Portum Calvum, Serinhæmum, Pojucam, Capitis Auguſtini terras, Goyanam, Paraybam. ne è ſilvis prodiens irruptionem faceret & vaſtitatem. *Aliud moliebatur Comes.* *Cavet ſuis terris.*

Exiverat portu Texelæ, qui Hollandiæ celeberrimus, Jôlus decima quarta Aprilis die, Anni M D C XXXVIII; lectoq; inter Africæ oram & Inſulas Capitis Viridis itinere, primus illi terræ appulſus Braſilia fuerat. ubi in colloquia & conſilia Mauritii Naſſovii Præfecti Braſilienſis aliquoties admiſſus, profectionis ſuæ cauſas aperuit, mandatiſq;

juxtà Comitis inſtructus, navibus adhæc & militum ſexcentorum manu, ac commeatu in ſeptimeſtre auct⁹, poſt modicam ſuorum refectionem, votorũ plenus iter capeſſivit. At navem conſcenſurus, ſcapham inter & prominentes machinarum cervices interceptus, ſubſidente & mox aſſurgente procella, femur læſit, & infelicis eventus præſagium ſuſpicacibus fecit. Navium quibus in Occidentem iit nomina hæc fuere: Salamandra, Zwolla, Tranſiſalania, Goerea, Tola, Spes, Auriaca, Rotterodamum, Erneſtus, Canaria, Gojana, Canis exploratorius, Mercurius, Equus emiſſarius. Divulgatâ tam glorioſæ expeditionis famâ, ingens incubuit Hiſpaniæ terror & omni paſſim Occidenti. nõdum apud hoſtes quoque abolita Heynianæ expeditionis memoriâ. Quippe opinio erat, non vana, nec minore hunc (cujus terribile & fatale in his tractibus nomen erat) fiducia rem tantam aggreſſurum. utpote cui una & omnis voti ſumma erat, memorabili aliquo facinore famam mereri & immortalitatis ſortem redimere. Nec dubitabant ſui, ire eum parato ad moriendũ animo, nec mori velle, niſi cum hoſte, de quo aut triumpharet ſplendidè, aut occumberet glorioſè. nihil illi mediocre cogitari aut eligi. Quamobrem Rex Hiſpaniarum, percepto novorum in Occidentem motuum nuntio, nulla mora quatuor deproperaverat liburnicas, quæ

Naves Iõli.

Terrori ſunt Hiſpanis.

XXII Jan. An. CIↃIↃ C XXXVIII

quæ de adventu claſſis Hollandicæ, duce Houtebeenio, (id viro inter navales ſocios nomen) portuum omnium & arcium præfectos præmonerent, claſſis Terræ Firmæ tutelæ invigilarent, nec eam, quæ Novæ Hiſpaniæ eſt, mari crederent, niſi inſequente anno. At claſſis iſta Terræ Firmæ, cum educta jam in pelagus eſſet, & ex ſpeculatoriis ſuis, quæ ad Promontorium de Corrientes, in extimis Cubæ, ferendis indiciis oberrare ſolent, cognoviſſet, viſas Hollandorum naves duodecim, at minus Hiſpanorum claſſi metuendas, iter ſuum Cubam verſus & Havanam promovit. Jôlus Braſiliæ oram Septentrionalem circumvectus, præteritis, quotquot illic mari inſparguntur inſulis, claſſem rectà in Occidentem direxit, inquiſitur⁹ in argentiferas rates. præmiſſa in omnes oras, venatorum more, exploratoria navigia, poſt longos errores, tandem cognovere, Claſſem circa Cubæ portus Sinuſque ferri & propè illos ſcopulos, quos *Organes* vocant. Conſtabat illa navibus majoribus, quas Galeones appellant, octo, aliiſq; minoribus ſex, quib⁹ ſumma poteſtate præerat Carolus Dievarius. gazæ, merceſque, quas vectabat, ſi captivis fides, milionibus cenſebantur novem, vel, ut aliorum habent diaria, viginti. Opum præcipua vehebat Prætoria Hiſpanica. Jôlus hæc malorum irritamenta votis, non victoria, complexus, om-

C. de Corrientes.

Organes.

nis jam moræ impatiens, convocatis navium ducibus, militari eos more ad prælium accendit: *Irent & novo exemplo aurum argentumq́ timidis viri eriperent. claſſem hoſtiū prædam veriùs, quam arma geſtare: hanc nec tegere quenquam nec vulnerare: ditem hoſtem pauperis victoris glorioſum premiū fore: catapultis terribilibus metalla potius, quam Hiſpanum defendi: navium moles ſtupendas ſaburram fulgentem & imbellem, nequaquam militem geſtare.* Mox ſingulis pugnę partes diſtribuit. Ipſe, utpote claſſis ſuæ primus, in Prætoriam Hiſpanicam iret, junctis ſibi, in pugnæ Societatem, Rotterodami & Tolæ ducibus. Propræfectus adverſam haberet Hiſpanorum Proprætoriam, & Noctiluca, ſive Pharos noſtra, ipſorum Noctilucam. Simili ordine deinceps ſingulæ ſingulas invaderent. vel ubi maxima vis & neceſſitas, collatis operis auxiliiſq; pugnarent. Magnum erat Salamandræ, quæ Jölum vehebat, robur & recens exſtructa pugnæ aptiſſima. Verum ad Hiſpanorum Prætoriam, ob immanem hujus molem & altitudinem, vix Liburnicæ ſpecie viſebatur. Supplicatione ad Deum præmiſſa, ut grandibus cœptis adeſſet, animos adderet bellacib⁹, & pro republica dimicantibus, Præfectus noſter facem orationis ſuis admovit, & qua vehebatur, Prætoriam, Hiſpanicæ applicuit, eamq; uncis retinaculiſq; valitiſſimè apprehendit. non amicitiæ ſpecie, quod & credidit Hiſpanus,

Pugna navalis.

ſed

ſed profeſſi indubiiq; hoſtis. Hujus exemplo propræfectus Proprætoriam adortus fuit, ſibiq́; eam catenis & harpagonib⁹ nexuit, ne elaberetur. Nec ſegniùs Noctiluca noſtra eadem fide ſibi Hiſpanienſem Noctilucam implicuit. His prælium conſtabat partib⁹ reliquis, prò pudor, ocioſè pugnam ſociorum, extra teli jactum & diſcrimen, adſpectantibus. Pugnavere ternæ cum ternis acriter, & ubi incaluerant animi, in neces mutuas incubuere ferociter. Navi quiſque ſua, veluti fatali circo, claudebatur. Hæc vitæ, hæc mortis area. hæc gloriæ palæſtra. caſus, vulnera, cædes cadentum, varia omnia. Caligo, fumi, favillæ, cineres hoſtem oculis certiſq́; ictibus eripiebant. Non tam pilæ glandeſq́; tormentis excuſſæ, quam decuſſæ trabibus feſtucæ, pugnantes interimebant aut lædebant. Jamq; prætoria noſtra ad clepſydras binas cum Hiſpanica conflixerat, Marte ancipiti, morantib⁹ in pugnæ Societatē venire Rotterodami & Tolæ navarchis. tunc nauticæ gentis expeditiſſim⁹ quiſque in ſublime enixus, ſuperavit foros & Hiſpanicę Prætorię plana victor tenuit. adactis infra cancellos, in navis alveum, Hiſpanis. id hac ratione effectum. Cū galeæ corbeſq; Prætoriæ Belgarum, vix ſupra ipſos Hiſpanicæ pluteos foroſq; eminerent, Præfect⁹ noſter, incerta caſuum in uſum flectens, illos jaculatorib⁹ implevit. qui deſuper in Hiſpanicam

nicam pilas igneas XXIV & XLVIII pondo in ſubjectos jecêre, ut, fulminantibus his ex alto Cyclopibus, planitiem nobis & tabulata vacua illubentes fecerint. Tunc præfectus, (hæc victoriam ſanè pollicebantur) cũ navalium uno pepigit, uti è Prætoria Hiſpanorum apluſtre auferret. precium facti haberet florenos mille. jamq; dicto adſcenderat. cũ adventantibus in Prætoriam noſtram Viceprætoria & Noctiluca Hiſpanienſium, quæ ſe uncis & retinaculis expediverant, coactus fuit præfect⁹ noſter deſerere Prætoriam hoſtis, revocato è præſenti diſcrimine audaci iſto funambulo. Tunc & reliquæ hoſtium rates in noſtram Prætoriam tendebant. quæ periculi certa, mutato curſu, enavigavit, ne circumfuſis undiq; hoſtibus caperetur. Interea reliquæ noſtrorum naves diſtractæ & vagæ pugnam ingenti perfidia detrectabant, quibus aut gloria Præfecti aut incolumitas gravis erat. Occubuere iſto conflictu Propræfect⁹ Abrahamus Michaëlis Rooſendalius, Iohannes Maſtius Noctilucæ ductor, & Antonius Muyſius fiſci advocatus, digna ſeculo nomina. è navalibus ſociis deſiderati quinquaginta, ſauciis centum & quinquaginta. Jölus gemens frendenſq; impotenti ira, quod tot menſium diligentiam, operam & paratum, tanti laboris & induſtriæ fructũ puncto temporis amiſiſſet, ſtatim à coitione iſta, quæ acerrima fuerat, convocatis ad ſe, à

Deſeritur à ſuis Iölus.

quibus

quibus turpiter deſertus fuerat, ducibus, ignaviam ipſis & muliebres animos acerbè, ut meruerant, exprobravit; commotior in Rotterodamenſem, à quo indigno reſponſo exceptus, bacillo, quod manu gerebat, reſponſanté contudit & dignitate ſimul exuit. Mox, oratione ad reliquos converſa, monuit, *uti ſacramenti, quo ſe obſtrinxiſſent Patriæ, Principi, Societati, meminiſſent: plus his ipſos, quã vitæ debere: de omnium & ſua ſalute ac gloria agi: natos obſcuriſſimis initiis jam famæ oſtentari: hoc loco inclaruiſſe P. Heynium, quem ad virtutem & immortalitatẽ Batava indoles prodiderit: plus prædæ, quam periculi eſſe: hoc non ipſorum ſolum, ſed & ſuum putari: ideò ad pugnam præiviſſe: navium mole terreri navalibus aſſuetos certaminibus, pudendum: eas, utcunque terribiles ſint timidis, expugnari poſſe à fortibus: in patriam reverſos ignominioſis amicorum civiumque vocibus exceptũ iri, quaſi ad Hiſpanicæ potentiæ & claſſis admirationem, non expugnationem iviſſent. addebat, ſecernerent ſe timidi à pugnare certis, nec exemplo nocerent optimis peſſimi, ignavi ſtrenuis; extra dilationem poſitis conſulta factis jungenda. Si cauſas belli expenderent, vincendum hoc prælio, vel cadendũ eſſe. id ſibi deſtinatum. vincerent viri aut ſervirent. fugientes in media fata præcipites dari; maximéque timentibus maximum periculum eſſe. & utcunque inclinet fortuna, glorioſum fore extra patriam in ipſo orbis ac naturæ fine cecidiſſe.* Collatis ergo, inquit, *viribus redintegremus pugnam, continuemus prælium, tamdiu prædæ immemores,*

mores, donec parta victoria ſecuri illam auferamus. Sequitur vos neceſſitas pugnandi, quam fugitis. Si pugnare detrectatis, cur arma habetis? quid ultrò bellum ſuſcepiſtis? extra occaſiones tumultuoſi & audaces, oblatis vecordes eſtis. Quid hic metuentibus ſpei eſt? An Deum vos protecturum putatis, vobis pugnam detrectantibus? Ferro occupandum eſt mare & hæc ſpolia. Non muris hîc, non vallis cingimur. audaciâ, pro muro & ſcuto opus. Agite, nominis Batavorum memores, tranſcendite in hanc claſſem. pro vexillo ſit prora mea. Oſtendite Luſitanis & Caſtellanis, neque navigantibus vobis neque terra pugnantibus ipſos pares eſſe. aut non veniſſe huc oportuit, aut pro dignitate Societatis pugnandum. nec antè diſcedendum, quàm ſpei noſtræ victa claſſe finem impoſuerimus. Seponam alias cauſſas. ipſa indignitas & infamia perſeverantiam ſuadent. Dein vultus ſuorum intuitus, *Quæ hæc triſtitia, ait, ſocii, quæ inſolita cunctatio eſt? hoſtem, me, vos ipſos ignoratis? Hoſtis quid aliud eſt, quàm anxius aurei velleris cuſtos. ſi invadetis, mox concolor auro expalleſcet. Ego, dux veſter, in gloriam vos & commoda duco. Vos, victoriis domi foriſque clari, fiduciam audendi à fortuna & tot exemplis veſtrorum capite.* Ad has voces iterum in hoſtem claſſem direxit & prælii ſignum dedit, tormentorũ exploſionibus. Verũ pari, ut ante, vel formidine vel rebellandi libidine, ubi intra machinarum jactum deventum, hæſere inertes & inglorii, & pugnam cum paucis permiſere præfecto. Expoſtulante illo & conſcientia-

Iterum pugnat.

rum

rum fidem ac horrorem obteſtante, alius timorem fatebatur, alius hoſtium potentiam exaggerabat, alius Præfecti temeritatem inſimulabat, palàm affirmans, ſe exitii certos eſſe & in perniciem omnes trahi, ob vires nimis diſpares; non eſſe flagitioſum Belgis, ſi tempeſtivè cedant; multo id turpius futurũ, ſi quoquo modo, ut vincantur, comittant. alius abitionem parans deflectebat. omnes ferè juſſa Ducis, velut ex compoſito, abnuebant, nullis ad imperia aurib⁹. Poſtero die, hærente adhuc ibidem hoſtili claſſe, coactis tertiùm ducibus & navarchis, novo ſingulos ſacramento, manuſq; ſyngraphâ ſibi devinxit, qua ſe paratos ad prælium, & ad extremum ſpiritũ dimicaturos, fatebantur. Iterumq; hortatus, Batavos ſe eſſe cogitarent, & heſternæ ignominiæ maculam nova fortitudine eluerent, pugnæ capeſſendæ ordinẽ præſcripſit. præiret ipſe, ſequeretur Auriaca, hanc Fama, Famam Spes, Spem Zwolla, Tola, Erneſtus, Tranſiſalania, Goerea, Mercurius. Confirmatis juramento militari animis, videbatur amor obſequii rediiſſe, maximuſq; pugnandi ardor verba ducis ſequebatur. At tunc pugnare promtis, iniqua fuere maria & venti, hoſte altius ſupra noſtrorũ claſſem provecto, noſtris infra ad latus ominoſum dejectis, ut præternaviganda eſſet adverſa claſſis, magno noſtrorum damno, qui ictibus tùm hoſtilium machinarum

Iterum deſeritur.

Iterũ repetit pugnam.

 opor-

oportuni erant. Hoc conflictu occubuit Auriacæ ductor Iohannes Verdieſtius, qui per omnem ætatem corpus periculis, animum navalib' diſciplinis exercuerat, Nec fecere officium, qui juraverant, aliquo eorum hoſtem eminus vanis ictib' impetente. Quare nec tunc ſucceſſere cœpta. Erat Septembri dies decima ſeptima, cum Jôlus per emiſſarias rates cognovit, Hiſpanicas prope vadoſa Cubæ & Organes fluitare. Quamobrem propoſiti tenax & prædæ totus inhians, noviſſimè experiri bello voluit. Sed difficilem primò repperit nauticam gentem, quæ Ducum ſuorum puſillanimitatem & ſocordiam incuſabat, nec parendi talibus neceſſitate adſtringi ultrà volebat. Tunc Navarchos Zwollæ, Tranſiſalaniæ, Goereæ, Mercurii & Erneſti, flagitii & rebellionis reos abdicavit Jôlus, ſuffectiſq; aliis, tanta in pugnam euntibus animorum alacritas fuit, ut hoſtem ceu certa ſpe tenerent. At ſcopulos Organes provect', ubi hoſtium fuerat ſtatio, elapſam claſſem comperit & in Novam Hiſpaniam abiiſſe. Ita Jôlum, cui pronior primò fortuna blandiri credebatur, objecta in prædam claſſe, mox eadem, quaſi inſtituti ſui pœnitens, deſtituit. Quocirca cum refractariis nō ultra hic hærendum ratus, ne inutili mora Societatis fortunam conſumeret, parte claſſis in Braſiliam miſſa, parte ad Havanam captandis occaſionibus relicta, cum reliquis navibus

Quartò in hoſtem abit.

navibus in patriam reverſus eſt. Illa ex litteris Jôli ad Illuſtr. Comitem, Braſiliæ imperatorem & Senatum ſcriptis, prodita ſunt. Quæ ad ultionem pertinent, non jam ſuam, ſed exempli omniumq; poſthac Præfectorũ cauſam eſſe judicabat, quam negligere illi & indecorum & periculoſum eſſet. quippe cũ in altero juſtitiæ ſuæ, in altero publicæ utilitatis eſſet momentum. Potuiſſet pœnas popoſciſſe à rebellibus ipſe, utpote cum ſummo imperio miſſus. tamen obitu illorũ, qui caſtrenſis concilii capita erant, maluit rem ad Fœderatos Ordines & Societatis directores referre, quàm videri privatam vindictam feſtinaviſſe. Erant rebellibus principes & anteſignani; at maximè culpa attenebantur duo æmulatione accenſi, quod ætate majores minori Jôlo parere cogerentur. quæ res tantum apparatum belli, oppreſſâ & eluſa imperatoris fortitudine, corrupit. ADEÒ amor Reip. privatis odiis concedit, ut illam negligi ſibiq; infamiam afferri homines velint, quàm populari & paris olim fortunæ ſocio concedere. quaſi vile eſſet parere notis & majorum vanis nominibus minus conſpicuis. ET INSITVM hoc mortalibus vicium, ægris oculis illorum dignitatem auctam intueri, quos ſecũ in æqua videre. Illi reduces & capti, poſt intentata & ventilata crimina, evaſere, ſive amicorũ interceſſione gratiam, ſive cauſæ fiducia impunitatem liberta-

Æmulatio paucorum fruſtratur expeditionem.

temque meriti. Nec enim meum eſt, quemquam crimini involvere, ob FACILES Ducum iras, quas adverſa ſors irritiq́; ſucceſſus aliquando exaſperant. Jôlus civibus ſuis patriæq́; rectoribus quotidie immiſtus, Societatis fortunam deplorabat ſuoſq́; incuſabat, qui tanta belli decora & ſpem victoriæ, quã Deus dederat, væcordia & perverſitate abſtulerint. Nihil ſe iniquius ferre, quàm quod mori non potuerit fortiſſimè pugnando, jam ſe ſervatum non ad vitæ voluptates, ſed hoſtium & invidorum ludibrium, meliora agendi, ſeque de hoſte & invidia ulciſcendi tempora expectare. Quantas poſteà res pro Societate & publico egregiè confecerit, qua claſſe in Occidentem iterùm, mox Africam, iverit, oppidaque & portus & inſulas expugnaverit, in tempore memorabo.

Legati à Camerone ad Comitem miſſi.

Dum in extremo Occidente moror, & ea exequor, quæ infelicius hic geſta ſunt, incidi in legatos tres à Camerone Braſilianorum Duce ad Comitem miſſos. retulere illi offenſum Ducem à Comite Banjola cum copiis ſeceſſiſſe, & propè Turrim Garciæ Davilæ in mediterraneis conſediſſe. Veniſſe ſe oratum pacem & fœdere nobis jungi velle, vt in ſuas cuique ſedes pagoſq; redeundi poteſtas eſſet. Eos Comes, non ignarus hoſtium diſcordias in commoda ſua vertere, excepit comiter, & invitato per litteras ad amicitiam Camerone, cum muneribus dimiſit. Sed

mox

mox percrebuit, illum, ut verſatilis eſt & mobilis conſilii, in gratiam cum Bamjola & ad ingenium ſuum rediiſſe. Etiam Tapuiarum octingenti iiſdem de cauſis ſeceſſerant. ut tunc invaſionibus noſtrorum patuerint hoſtiles terræ & fiducia inceſſerit animos Belgarum, inſigni clade mactandi Bahienſes. at militum penuria, & vana ſupplementorum è Belgio exſpectatione, languit audacia & fruſtra fuit. Plenæ ſunt querelarum chartæ & permixtæ precibus obteſtationes Comitis & Senatus Supremi ubiq; paginam faciunt. magnarum rerum occaſiones offerri quiritabant, at per aliorum incuriam dilabi: ſurdis cani fabulam: hic labores imperari, alibi placere otia: victoriam non Deum, non Fata negare, ſed homines: non velle illum ſecuris nobis præſtare belli eventus: regna milite, armis, manib⁹ parari, nō ſupinis è longinquo deſideriis & benevolis votis: chartarum, litterarum, promiſſorum tranſmitti abundè: cetera, quibus imperia defendi ſolent, negari: non ſupereſſe annonæ ſatis, adverſus famem, nec militum & belli requiſita ſufficere ad tutelam Imperii, contra hoſtes: navium & nauticorum numerum Jôli expeditione acciſum uſq; adeò eſſe, ut maria tutari opis ipſorum non ſit. præſertim ſi novo fortè inſtructu adventet hoſtis. Ea verò meſſis ſacchareæ hoc anno facies fuit, ut ob moderatos & tempeſtivos imbres octodecim

Ingenium Cameronis verſatile.

Querela.

Meſſis felicitas.

cim mille ſacchari ciſtas cultoribus ſuis viſa fuerit promittere. Secuta Jôli expeditionem conjuratio fuit, autoribus Luſitanis, ut credebatur, cœpta. pronis ſemper in rebellionem eorum animis, qui Hiſpanorum partes clàm fovebant licet obſequio palàm noſtri. Quibus detectis, conſtituti fuere à Comite & Senatu Judices, qui cognoſcerent, & arcanos motus ſcrutarentur, Carpentarius ſupremi ſecretioriſq; Concilii aſſeſſor, Tribunus I. Coinus, Politicus Senatus, Centurio prætoriæ cohortis Mauritii, Carolus Tourlonius & Jacobus Aldrichtus, rationũ magiſter. qui, cognita re, hæc pronunciavere, ut reorum aliqui carcere ſervarentur, alii in Sanctorum Sinum, alii longius in Occidentis fines relegarentur. Inter illos opib⁹ & dignitate eminuit Duarta Gomes de Silveira, cui poſtmodum Senatus indulgentiâ Arx S. Margaretæ pro liberiore fuit cuſtodia. Aliorum nomina hæc fuiſſe comperi: in Pernambucenſi Præfectura Petrum Cunha de Andrada, Iohannem Cannarum, Philippum de Barretto, Arnoldum de Olanda, Rodericum Pimentellum, Bernardinum de Carvalha, Franciſcum Beringelium, Melchiorem Alium, Antonium Paiſium. In Paraybenſi Iohannem de Souto, Ingeniorum ferè omnes magiſtros. Nec pepercit ſollicita Rectorum cura muliebri ſexui, cui ob thori fidem & blanditias publicam

Conjuratio Luſitanorum, credita primùm, at non comperta.

blicam negligere facile eſt. Degebant Luſitanæ aliquot ſub imperio Belgarum, maritis in Sanctorum Sinu & alibi in hoſtico Regia fide adſtrictis & ſub iſta teſſera militantibus. His ad maritos remiſſis non injuria, ſed gratia videbatur facta, niſi culpæ & vitio affinis fuiſſet cauſſa, & relegationi ſimilis arbitio. Erant hæ: uxor Lodovici Barbalionis, cum quo pugnatum à noſtris, & altera Iohannis Velho Barretti, & illa Gaſparis de Souſa, necnon Balthaſaris Alveſii. Verum uti hæc Imperio huic ignominioſa eveniebant, nec omni ex parte beatum arguebant; ita illud ad ejuſdem elegantiam facere videbatur, quod Curiæ paſſim Provinciales à Comite efflagitaverint Sigilla, firmandis publica fide actis, quæ ipſa Inſignibus ſuis & Emblematibus, provinciarum genio accommodatis, diſtinguerentur. Id curæ datum induſtriæ Comitis. (SEMPER enim excellere imperantes expedit) Qui ſingulis Præfecturis ſuum commentus inſigne, ex omnibus uno ſcuto comprehenſis unum fecit, quod ſupremi Senatus ad uſus eſſet, & terminorum Reipub. Braſilienſis index. Supra hoc Fœderati Belgii inſigne attollebatur, characterque Societatis Occidentalis ima parte defluebat. Politico Senatui inſigne fecere eadem quatuor provinciarum inſignia, pari ſcuto contenta, ſupra quod ſpectare erat Virginem Aſtræam, manu una

Comes ſua Provinciis inſignia in ſigillis largitur.

Sigillum Supremi Senatus.

Politici Senatus.

gladium, altera lançem gerentem, illam ſcelerum vindicem; hanc mercantium regulam. *Pernambucenſis Curia.* Pernambucenſi Curiæ datum inſigne, Virgo, defixis in ſpeculum oculis & velut in formæ ſuæ admirationem rapta, manu arundinem ſacchariferam geſtans. quo ſchemate ſoli pulchritudo proventuſque exprimebatur, adſcripto civitatis Olindæ nomine. Fuere & aliis Pernambuci Curiis, nempe in Igarazu, Serinhæmo, Portu Calvo, Alagois, ſua quoque propria inſignia. *Tamaricenſis.* Præfectura Tamaricenſis botrum pro inſigni oſtentabat, quia æquè pulchros & ſucculentos nulla Braſiliæ pars, ac Tamarica inſula, ferebat. *Paraybenſis.* Parayba ſacchareorum panum formas pyramidales præferebat. quod optimi & laudatiſſimi ſacchari nutricula eſſet, aut quod dedita noſtratibus provinciâ, major illic ſacchari & molarum cœperit eſſe labor & precium. *Fluminis Grandis.* Provincia Fluminis Grandis cognomine fluvio gaudebat, cujus ripam in imagine premebat Struthius, quarum avium maxima hic frequentia. Atque hæc ipſa argento exhibita fuere à ſculptoribus Batavis, non ære aut ferro, ne ærugine aut rubigine exederentur monimenta publica. Dixi modò de captivis Luſitanis. At de his totaque quæ vulgi vocibus ferebatur, conjuratione, (perſequor paulo poſt geſta) illud in notitia rerum Braſilienſium adeòque Senatorum ad Rectores Societatis litteris præſcriptum

ptum legi, à metu & credula nimis ſuſpicione hanc criminationem profectam, nec, licet appellatos iſtius ſceleris, compertos fuiſſe. Verùm cum apud ſuos valerent gratia & authoritate, etiam opibus, metus erat, ne adventante Hiſpanorum Claſſe, quod jam percrebuerat, vel clam vel palàm nocerent. ideò Status intereſſe credebatur & utilitatis publicæ, eos à populo ſecerni, oſtraciſmi exemplo. cum SALVIS auſpiciis geri videantur, quæ pro Reipub. ſalute geruntur, licet per ſe ſpectata pudoris nonnihil habeant. Et poterant hoc facto cives malum machinantes, nondum aggreſſi, deterreri, ne talem in perdenda patria amentiam audeant. At mortuo Petro de Cunha, qui in iſto ordine primus habebatur, & claſſis metu, cujus fama initio terribilis, nonnihil langueſcente, quotquot in Sinum Sanctorum vel Occidentales inſulas relegati judicis voce fuerant, temporib⁹ ſpem mitioris conſilii facientibus, in Hollandiam ablegari poſtulavere, aut in ſuas operarum Machinas & Ingenia remitti, ad exequenda ſacchara, ea lege, ut appellati ſe abſque tergiverſatione ſiſterent. Quæ nec conceſſa prorſus nec negata fuere, ſed ſuſpenſa inter perfectam libertatem & perfectam captivitatem hæſere, ne aut rigor nimius alios audaciores fide dimoveret, aut nimia lenitas judicum honori fraudi eſſet, dimiſſis abſque pœna tanti

L 5 flagi-

flagitii ſuſpectis & jam famæ jacturam captivitatis probro paſſis. Nec enim, convictis illis, ulla in tanti criminis immanitate punienda ſuffeciſſet ſeveritas. Quare potentiam imperantium remiſſius exercuere prudentia, manſuetudo & conſcientiæ ſenſus, qui poſt iſtiuſmodi hallucinationes ſe prodit, nec vi, nec fraude, nec ſilentio, nec diſſimulatione exſtingendus. In Duartam Gomeſium de Silveira ſeptendecim jam luſtra tranſgreſſum, excuſſis quas habebat chartis, diligentius inquiſitum. attamen, quo culpa probaretur, documenti repertum nihil. Quamobrem & hunc interceſſione plurimorum moti Senatores, acceptis fidei obſidibus, ad Ingenia ſua redire paſſi ſunt, memores non malè ab ipſo navatæ operæ in Paraybæ expugnatione. Hæc retuliſſe nec piget nec pudet. cum minus honeſta æquè ac honeſta laudare mihi nec mos ſit nec mens. Dudum ex æqui rectique tabulis expunxi has voces: imperantes præfractò rectos eſſe non debere, omniaque honeſta eſſe, quæ retinendæ dominationi faciunt.

Excuſantur captivi.

Vti ſceleratos poſterorum memoria puniri, ita inſontes eadem abſolvi fas eſt. Initus tunc decimarum ſacchari cenſus per Braſiliam Belgicam, quæ ære licitatæ in hæc precia aſcendere. Decimæ Pernambucenſes centum & quadraginta octo mille & quinquies centum florenos valuere, in annum unum,

Cenſus ſaccharorum & aliorum redituum.

unum, emptore Moſe Navarro. Decimæ Itamaricenſes & Gojanæ novemdecim mille, emente Petro Seullino juniore. Paraybenſes quinquaginta quatuor mille, contrahente Moſe Navarro. Penſiones ſive tributa Molarum Pernambucenſium viginti ſex mille in annum, mercante Iohanne Ferdinando Vieira. Penſiones molarum Tamaricenſium & Gojanæ novem mille in biennium. emit Petrus Seullinus junior. Decimæ *Meunſarum* ſive minutiarum & rerum minoris precii, in diſtrictibus Igarazu, Laurentii & Paratibi, ut & in Noſtra Signora de Luz in annum quatuor mille & octingentos. debuit Thomas Hiſpanus. Eædem in Vergeis, S. Amari, & Moribecæ terris, in annum ter mille & ſeptingentos. mercabatur Conradus Ioannis Mackinia. at in ea parte Pernambuci, quæ S. Antonii, Pojucæ & Serinhæmi agros habet, in annum quatuor mille & trecentos. Benjaminus de Pina emebat. In eâ, ubi Vna eſt, Portus Calvus & Camarigiba, in annum bis mille & ſeptingentos, debente Conrado Ioannis Mackinia. In ea, ubi Alagoæ ſunt, ad flumen uſque S. Franciſci, quatuor mille & ducentos, Thoma Hiſpano debitore. Decimæ Meunzarum in Tamarica & Gojana in annum, mille & ſeptingentos. Seullinus emit. Eædem in Parayba Præfectura in annum ter mille, mercante Conrado Iohannis Mackinia.

Penſao.

Meunzas.

kinia. Ea ſumma bis centena & octoaginta millia florenûm ſupra nongentos conficit. Ex quibus compertum ſatis, tutis à vaſtatione agris, non eſſe infructuoſam Braſiliæ culturam, & poſſe tanto proventu magna parte penſari belli impenſas. Ineunte anno CIↃ IↃ C XXXIX in conſpectum ſe dederat Hiſpanorum claſſis, navium viginti & octo, Galeonibus formidoloſa. quæ littora hæc prætervecta, ſub Reciffæ conſpectu, curſum in Auſtrum direxerat. Comes nihil intermittens, quod ex re eſſet publica, inſequi juſſit liburnicas aliquot, exploraturus, quò tenderet, ubi excenſionem pararet. ipſe lecta militum manu, propero itinere, littora legit, ad uſque Portum Calvum. Verùm poſtquam Sinum omnium Sanctorum ſubiiſſe cognovit, Pernambucum rediit. ordinatis quacunque iter fecit per conterminas gentes, quæ rem frumentariam & inſtrumenta bellica ſpectabant. reſtauratis etiam in Portu Calvo, Vna, Serinhæmo & ad Caput S. Auguſtini, arcibus & munimentis.

Adventus claſſis Hiſpanicæ.

Comes iter vimatur & limitaneis locis proſpicit.

An. CIↃ IↃ C XXXIX. Lis cum Artiſojkio

Hæc ſunt tempora, quibus Chriſtophorus Artiſolkius, veteri apud Societatis directores authoritate, tertio in Braſiliam venit, navibus octo & militum centuriis ſeptem, gravis offenſæ occaſio, & natarum inde partium, diſtractis in diverſa ſtudia cive & milite. quorum alius Comiti, alius Artiſolkio æquior erat, etiam de imperii jure, quod cui-

que

que eſſet, pro affectu diſceptantes. Nihil tam indignum iſto tempore, quam quod Senatus Artiſolkium, militiæ Braſilienſis antehac operumq; conſortem, remittere fuerit coactus, & hic meritiſſimus aliàs & ſeveris belli virtutibus inſignis, remitti debuit ſub Comite tam facili & leni, qui non ſuos ſolum humanitate, & morum gratia, ſed & Barbaros dudum demeruerat. Cauſas referam, quas vellem neſcire me, ne ſciat Hiſpanus & gaudeat, doleat Societas & optimus quiſque. Hæc ipſa, prudentibus, ut ſanè oportuit, conſiliis, ex ſententia Fœderatorum Ordd. & Principis Auriaci, univerſam armorum ſive apparatus bellici in Braſilia curam Artiſolkio demandaverat & ut munere iſto dignè fungeretur, rigidè imperaverat. Venientem pronis animis, non ſine apparatu, excepere Comes & Senatus, ut decebat virum expeditionibus variis rebuſque decorè ibidem geſtis celebrem. Apertis Fœderatorũ Ordd. Principis Arauſionenſium, & Societatis mandatis, nulla illi ſuper hac re mota fuit controverſia; licet Comitem & Senatores tacitè momorderit inſperſum illis quiddam à ſuſpicionis ſiniſtræ genio profectum. hoc nempe: ut ad adventum Artiſolkii, ſtudioſius arma & apparatus bellici omnia curarentur, deque ejus ſtatu enucleatius ad Rectores perſcriberetur. velle illos ordinatam militiam & militiæ omnia. Quibus

verbis

verbis malè geſtæ rei ſe inſimulari generoſiores animi credebant. Jamque effluxerat penè bimeſtre, quo concordibus ſtudiis curatæ fuerunt Braſilienſium res, integris rectorum animis, & ab omni ſuſpicione & malarum artium labe puris. Tunc, poſt ſermones in vulgus ſparſos & injurias in Comitis reverentiam ac imperia voces, proditæ ab ipſo Artiſoſkio litteræ, magnæ litis materies, quas ad Ampliſſimum virum D. Albertum Conradi Burgium, Amſtelodamenſis Reip. Senatorem & Conſulem, inter Societatis directores famâ eminentiſſimum, deſtinaverat Artiſoſkius. quæ non Comitem ſolum ſed & Senatum omnem graviſſima indignatione moverunt. utpote in ignominiâ utriuſque, ut cenſebant, ſcriptæ. Comes convocato ſupremo Senatu & omnibus adeſſe juſſis, pro ſe & Senatoribus adverſus Artiſoſkium locutus, verba in hunc modum fecit: Non hic mihi primus in patriam & Societatis rectores fidei dies eſt. Annus viceſimus eſt, ex quo ſive Fœderatis Patribus, & Principi Auriaco ſive Societati illam probavi, nullis ſuſpicionum umbris, aut malorum conſiliorum ſtudiis vel officii intermiſſione temeratam. Sacramenti ſemel ipſis dicti conſcientiam ſacroſanctam habui ſemper & habeo etiamnum. nec erit unquam, ut gentis meæ domuſque dignitas perfidiæ flagitio per me flagelletur; cui vita ipſa carior eſt ex-

Oratio Comitis ſuper Arſoſkii literis ad D. Burgium.

iſtima-

iſtimatio ſua & ſuorum. verum, ubi Artiſoſkii motus & machinationes perpendo, literaſque quib⁹ inſtructus venit, palàm eſt, me in ſuſpicionem malè adminiſtratæ rei adductum. Nec. qua vir iſte eſſe creditur prudentiâ & ingenii perſpicaciâ, videtur iſta auſurus fuiſſe, ea erga me irreverentiâ, niſi ſuis autoribus ſubnixus; quorum ope hæc malè cœpta gubernet & adminiſtret. Etenim & agendi mecum modus indecens eſt & obſequii omnis neſcius, & diſertè habent Directorum literæ, jamdudum ipſos cognoviſſe, armorum & apparatus bellici curam negligi, jacere armamentariorum œconomiam, perditũ iri res iſtas, quas cũ cura habere oportuit; ideoque mitti Artiſoſkium, ut res lapſas reſtituat & quæ ex uſu erunt publico (hoc muneris mei ipſiſſimum eſt caput) diligenter curet, utque de armorum & armamentariorum ac arcium per univerſam Braſiliam, quà noſtra eſt, ſtatu, accuratè perſcribat. quæ ſanè dolentium & nos incuſantium voces ſunt. Affirmavit adhæc Artiſoſkius, nihil poſthac armorum, quæ toto biennio poſtulavimus, miſſuros Rectores, niſi ipſius poſtulatu. ut jam inane vobiſcum nomen ſim futurus, & mox nullum. quæ ſanè fidem faciunt, non miſſum ipſum, ut demandatam provinciam ſub noſtro obeat imperio, & ſua ſe conſcientia involvat; verum ut actionibus omnibus meis cavillator interve-

niat

niat ac cenſor. Eas me vobis ac Dominis meis Europæis probaturum confido. nec ſirim in me deſiderari boni Ducis partes ac munia. quæ perſpecta eſſe Artiſoſkio debuerant, priuſquam famæ meæ obtrectator & ſugillator incumberet. Non debebam malè audire, aut obtrectantis libidini objici, cujus laboribus, vigiliis, periculis, Reipub. Braſilienſis incolumitas ſarta tecta perſtat. ſi non geſta, quæ præſtare Numinis eſt, at pronum certè animum & publicæ ſaluti intentiſſimum experti eſtis. huic fini ſtudia, curam omnem, diſcrimina quævis curis veſtris & omnium diſcrimini æquavi. Vt grave profectò ſit, optima agitante me, eſſe, qui moram injicere conatibus noſtris annixi, crimina ſpargant; quaſi mea veſtris rebus habeam potiora, negligens & ſolutus publici curator. Et quæ hæc Artiſoſkii impudentia eſt? litteras iſtas ſuas, nominis mei veſtrique flagellum, in os prælegere, non ſine faſtu, audet. ut è tabulis incuſet audacius, quod viva ac labili voce feciſſet timidius. Et legit illa, vobis præſentibus, ut tot mendaciorum teſtes habeat viros graves & operum meorum ſocios aſſiduoſq; inſpectores. Nec alium ſe gerit privatus & apud privatos, ne à probris quidem temperando, quæ inter domeſticos meos in me jacit, non ſine bile, nec neſcius iſta ad me relatũ iri. illud improbum, quod pro-tribunum

num ſuum dehortatus fuit, ne, quamvis à me juſſus eſſet, comes iret expeditionis à me ſuſceptæ. iturum cum fece militum & hominum (hæc militiæ noſtræ elogia ſunt) propudiis. Quin eò audaciæ prorupit jaculator quidam Tamaricenſis, ut ſe nec Comitem nec Senatores poſthac dominos agnoſcere, ſed ſolum Artiſoſkium, effutiverit. Quid, quod procenturio legionis Artiſoſkii, edicto, manus meæ ſubſcriptione rato, obedire abnuerit, niſi expectato prius Generaliſſimi ſui, (ita inveſtiebat Artiſoſkium) mandato. Hæc cum rerum agendarum inauſpicata ſint initia, & indubiè in ſeceſſiones ac ruinam publicam vergant, quî poſſim tam ſcævi ingenii viro niti, aut laborum ſociũ admittere clandeſtinum hoſtem, cujus ſtudiis unitas corporis hujus, in quo nihil uſquam turbidum & diſcors, diſcinditur & nondum adulta Reipub. compages concutitur & labefactatur, Ideò vos aſſeclas mihi à Societate datos, ut vitæ actorumque omnium teſtes compello, cum difficile ſit apud alios cauſam dicere, cum apud alios vixeris. Ego honore, autoritate, jure debito Artiſoſkium fraudavi nunquam. nec par eſt, ut juris mei, dignitatis & nominis arroſorem feram. Vnum eſt hoc Reipub. corpus, & unius animo regendum. ſuprema & omnium cura mea eſt, diſtincta & vicaria aliorum. adjutorem operum & onerum am-

plector, dictatorem repudio. non fert duos imperatores Braſiliæ hæc portiuncula. Si diffidebimus, æmulatione, ſuſpicionib⁹ lævis diſtrahimur, partiemur particulam. nec neceſſe erit ab Hiſpanis nos vinci, à nobis ipſis vincemur, civilis diſcordiæ beneficio. jungi animis nos oportet, non ſimultatibus diſtrahi & conſulere in commune, adverſus communem hoſtem. Suprema malorum publicorum & Statuum peſtes imperantiũ contentiones ſunt & partes; ipſis bellis externis, fame, morbiſq; nocentiores. perniciosum & turpe remiges & nautas in eadem navi digladiari. clandeſtinis obtrectatorib⁹ non eget tempus. candore opus, fide & recti conſtantia. ita militant boni. ita militavimus ſemper. Quare alterutrum, rogo, decernite, ut aut in patriam remittar ipſe, ceſſurus Artiſolkio, aut ut remittatur ille, ceſſurus mihi. Hoc ut fiat, ratio, Braſiliæ ſtatus, Sociorum ſalus fortunæque ſuadent. Secedam, ne voventib⁹ præſens videar præſcribere, aut nutu inclinare ſuffragantes. Libera vobis per me fuere judicia, eruntque ſemper. Vos, ne libertatem iſtam adimat aut ira aut ſtudium pro veſtra ſapientia curabitis. Vt dixerat, ſurgens abiit & in proximum conclave conceſſit, quamvis obnixè & reverenter à Senatu rogatus, ne moveret. At oratione ea attoniti Senatores, poſt longam & attentam deliberationẽ, in hoc con-

Comes in conclave recedit.

ſenſe-

ſenſere, ut retento & Comite & Artiſofkio, conciliarent geminos & veniæ deprecationem pacti, interceſſione ſua lenirent Comitem. Artiſofkium (is jam domi ex decreto Senatus attenebatur) remitti, jampridem ſuperiorum autoritate miſſum, inconſultũ videbatur Senatui. ut & rem tantam ſui facere fori, quæ ad ſupremos Societatis Ephoros Belgas pertinebat. Comitem dimitti, inconſultius longè, cum autoritate, ſorte, dignitate inferiores eſſent ipſi Senatores, nec periculo careret, ſine rerum præſide relinqui Braſiliam: etiam ignominioſum hoc fore Comiti & domui Naſſovicæ, ſi ſalutem famamq; minoris fortunæ hominis, totius Braſiliæ imperatori adeoq; univerſorum ſecuritati anteponerent. Audito Senatorum de ineunda conciliatione decreto, ad quam ſe arbitros offerebant, perſtitit in ſententia Comes. & poſtquam iterum in vota iviſſent, adſcitis Politicis Senatoribus, nec placeret aliud agi, fixum quoq; Comiti fuit, nõ mutare conſilium, nec velle aliud. Hauſerat è ſapientum adytis, IRAS poſtremum ſeneſcere: oblivіſci mortales benefactorum, meminiſſe eorum, quæ dolent: ambitionis cum modeſtia difficilem eſſe reconciliationem. non quieſcere illam, niſi obtinuerit. præſertim recentibus imperiis, quæ vacua eſſe oportet à ſimultatibus, & in quibus minus tutum illis fidere, quos gloriæ tuæ

æmulos invidoſque expertus ſis. Tandem Senatores volutatis inter ſe rationibus, rerum momentis, ducum diſcrimine, temporum conditione, in dimiſſionem Artiſoſkii unanimes ivére, mentemq; Senatus utriuſq;, eodem die, per aſſeſſorem Senatus ſummi Carpentarium, Eliam Herckmans & Mortamerum illi ſignificavere. Nec moratus Artiſoſkius, conſcenſis in Parayba, quæ in Belgum remeabant, navibus, Braſiliam tertiò reliquit. quem, utpote non judex, ſed narrator, nec accuſâre præſumam nec excuſare. ea recenſere, quæ in actis publicis reperias, geſta memorantis eſt, non criminantis. Cæterum militiæ à pueris innutritus & variis bellorum caſibus exercitatus, liberalium ſcientiarum diſciplinam Martis ſtudiis junxerat, & hiſtoriarum lectioni, aut quæ alias in Duce requiruntur, multum vacabat. Accedebat his laudibus ſobrietas, & nota per Braſiliam fama, & apud plurimos favor. Hæc ipſa Comes ad Potentiſſimos Ordines, Principem Auraſionenſem, & rerum Braſiliæ in Belgio directores perſcripſit. nó quod privatas injurias atq; offenſiones deſpicere non poſſet, ſed quia intererat, novo imperio benè audire Imperatorem, nec in contentionem adduci fidem, quâ omnium obſequia coërcebantur. Litterarum tenor hic erat: Abſens à vobis, Patres, & pro Republic. in hoſtem ac pericula tranſmarina pro-

Artiſoſkius dimittitur.

XXVI May An. CIↃ IↃ C XXXIX.

Litteræ Comitis ad Ordd. Generales

profectus, poſt probatam domi per annos viginti, idque militiæ ſtudiis, fidem, calumniis oneror, nulla habita ratione laborum in conſectandis, vel proprio diſcrimine, Patriæ & Societatis commodis. Litteræ, quibus Artiſoſkius novis mandatis inſtructus ad nos venit, non obſcurè arguunt, Societatis optimates ſiniſtra de me ſuſpicari, & diffidentiâ noſtri meliora ab ipſo exſpectare. quaſi circa armorum curam negligentior fuerim, cum & armamentaria luſtraverim ipſe non ſemel, & eorum penuriam toties Societatis rectoribus per ſyllabos aperuerim. Non ſum neſcius, quantum armorum ſit momentum, tum ut inferatur bellum, tum ne inferatur temerè, ob illorum metum. Mearum quoque partium fuit, iſta curare ſedulò, & inter muneris accepti mandata non poſtremum. At inopiam eorum in me derivari, iniquum, cum flagitata ſæpius miſſa minimè ſenſerim. Et niſi frugalis parcuſq; eorum fuiſſem diſpenſator, in graviſſimos ſubinde caſus datæ fuiſſent res noſtræ. Vt dicam quod res eſt. Non alius videtur fuiſſe color mittendi Artiſoſkii, niſi ut ille has res adminiſtraret cautius, ad Societatis Directores referret diligentius, ea authoritate & imperio, ut nihil poſthac apparatus bellici è Belgio exſpectare habeamus, (verba ejus ſunt) niſi ipſius poſtulato. Et profecto non alium à

reditu ſuo ſe geſſit, quàm ut miſſus crederetur eorum quæ per me geruntur ſcrutator & inſpector. qualem equidem non reformidem, ſi viri boni officio functus, à nominis mei obtrectatione abſtinuiſſet, nec injuria in me ſuggerendo, publicam gratiam captaviſſet. Potuiſſem utique hæc diſſimulaviſſe & Reip. donare privatam offenſam, ſperans fore, uti ſpreta calumnia exoleſcat, & officiis meis manſuefacta improbitas mihi placatior reddatur: Verum cum id audentiæ fuerit viro, ut litteras in Belgium ad primarium Societatis virum directas, in me & Senatum hunc probroſas, recitare ipſe nõ erubuerit, (ſcilicet ne ſine magnis teſtibus eſſet impudens) privatim adhæc inter domeſticos exiſtimationem meam flagellet, jamque in partium ſtudia Reipub. & caſtris pernicioſa eruptura res videretur, ad Senatum retuli, & alterutrius dimiſſionem flagranter poſtulavi. Vtiq; ſatis nobis mali abſque civili diſcordia eſt. nec vanus metus fuit, ut litem hanc in uſum ſuum verteret hoſtis, eaque nobis ruinam pareret, diſſolutis membris, quorum in toto corpore momentum. Quamobrem dimiſſus Senatus Supremi & Politici vocibus, ad Vos redit, ea fortè relaturus, quæ ipſi videbuntur ſpecioſa, mihi minus vera. Hæc audire ita fuerit prudentiæ veſtræ, ne in contumeliam meam accipiantur, & ut pari defenſionis jure auditus

tus admittar. Abitu ipſius pax erit imperio huic, & motæ malis artibus militum mentes reverentius & æqualius Duci parebunt.

Tabulæ Artiſoſkii ad illuſtrem Legationibus Burgium conceptæ, unde hi motus, in hanc formam loquebantur. Inſiſtam interpres verbis, ne eorum licentiâ iniquus in ſcriptorem deprehendar. Non negligentiæ meæ, Vir Maxime, litteras tardiores imputa, ſed adverſæ valetudini, quæ lectulo affixum & nephriticis dolorib' fractum, uſq; adeò exercet, ut in pauca hæc, brevi temporis ſpiramento, vix ſufficiam. moveor malorum publicorum ſenſu & plurium querimoniis, ut has lachrimas in ſinum tuum, velut parentis, effundam. Verùm priuſquam memorare incipiam miſeranda Reipub. hoc præfabor, rerum Braſilienſium eam eſſe faciem, ut nec ab hoſte impetamur nos, nec ipſe à nobis. Hæremus intenti in ejus molimina & auſus. verum apparatus bellici armorumque inopes. de quibus nuper ad Societatis primores perſcriptum. Naves expeditæ in anchoris ſtant, mille armatis inſtructæ, accinctæ ad expeditionem cum claſſis Præfecto & legionis meæ Vice-præfecto. quæ tamen expeditio me clàm habetur. Nec enim, niſi vocatus, in Senatu adſum, aut loqui fas, niſi rogato. Iuſſa Superiorum opperior, quæ honeſti militis titulo exequi cupiam, niſi impedirer, ſubductis mihi indies

Litteræ Artiſeſkii ad Dominum Alb. C. Burgiũ Societatis Directorem.

ad eam rem neceſſariis. Hæc me interdiu & noctu ſollicitum habent, hæc ſomnianti obverſantur, hæc mihi in bilem & atram loliginem vertunt. Res hæc eſt: nulla Societatis rectores ſupplementa firmandis ac reſtaurandis copiis mittunt. deſunt nautici, mechanici, amanuenſes, exercitus & caſtrorum adminiſtri. horum omnium penuriam cogitur ſupplere legio mea. & quod majus, jam ex meis ſubducti aliquot militiæ, ſui juris facti ſunt, præter Societatis morem; quidam ſub alia ſigna & alios duces miſſi. ut in præſentem diem legioni meæ deceſſerint trecenti. quos in indiculo ſignaviſſem nominatim, niſi per morbum fuiſſet. quo durante, prævertit navium in patriam abitio geſtientem ſcribere. Vbi ſinet occaſio, deſtinatò de his, ad Vndeviginti-viros ſcribam. Vexor indies, militum vel à meis ſignis ad alia, vel ab aliis ad mea tranſitione, quibus malis tempeſtivè occurrere, ob ſubita mandata, non eſt meæ facultatis. Aliquot centuriis, quibus abeuntibus è Belgio centum & quinquaginta inerant, vix inſunt centum. Et hæc in ipſo adventus puncto accidêre, nondum exacto, ab appulſu meo, bimeſtri. quid futurum altero bimeſtri aut quadriennio poſt? nonne eadem in cohortibus meis, quæ in aliis, ſpectabitur militarium calamitas & ſolitudo? Hæc talis tantaq; eſt, ut Vice-præfectorum ne unus quidem,

dem, legionis ſuæ, cui imperandum ipſi, faciem dignoſcat. Adverte quæſo, quo hic ſim loco, qua polleam authoritate, qua ſim ad miſſione. Comes militaria munia, ſub ſignis meis vacua, in alios transfert. Nec repertus hactenus ullus, qui qua oportuit veneratione rituque decenti me acceſſerit, aut favori meo inſeri petiverit, Centuriis meis nec ego nec Officiales mei, ſed alii imperant, qui ſubinde mutant militem, prius quàm ſciam ipſe aut emendari malũ poſſit. Interdũ per man⁹ oberrant crebriores ſchedæ aut codicilli, à maris propræfecto, aut Vigilium magiſtris, etiam ab infimæ dignitatis officialibus profectæ, nec ad me, ſed Centuriones meos longius diſtractos directæ. quibus Comes modo hunc modo alium dimitti poſtulat aut ad naves & uſus nauticos, aut ad mechanicas operas, aut ut aliis ſignis ingeratur. Et impetrantur hæc, antequam de fide mandatorum conſtet. Tympana, tympaniſtæ, tubicines abducuntur, ſubſtitutis aliis. Diu eſt, quod legionis meæ vicarius in Reciffa, procul omni negotio, ſegnis & laborum exſors egerit, à centuriarum ſuarum adſpectu & cura ſemotus. Eæ, maximis ſpatiis, à flumine S. Franciſci ad Paraybam uſq;, centum miliaribus diſperſæ, in præſidiis habentur. ut menſe opus ſit, priuſquam de illarum ſtatu certior reddar. Hæc inter, delectus fiunt & innovatur miles; cũ eadem

provincia contineri omnes poſſint, ſub ſuorum ſingulæ ducum oculis & diſciplina, ut imperium unius plures ſentiant. Quid à ſic inſtituto & habito milite præclari exſpectes? quo eventu in aciem, in hoſtem ducam oviculas iſtas verius, quàm milites ? ut certiſſimum honoris mei, illibati hactenus, periculum incurram, invitus & inſons. Hæc & ejus farinæ plurima, videbuntur in Comitem dicta & querelam continere. Verùm cum minoris ſint momenti, facilem emendationem admittent & finem habitura creduntur. Fateor, nunquam de his apertè me apud Comitem conqueſtum fuiſſe, cum, ne hoc facerem & morbo impedirer & indies meliora ſperarem. Plura quoq; nondum feriæ deliberationi patuere, nedum ut decerni de iis potuerit. Eam ſanè ſub initia repperi Comitis indolem & convictus rationem, ut aut hominem vix aut peſſimi eſſe cómatis oporteat, qui diſſidium quærat. Ego obſequio me ipſi morumq; facilitate & æquanimitate probabo. nec erit unquam, ut inobedientiæ erga ipſum reus habear. At centurias & cohortes deteri ſubvertiq;, non Comitem, ſed ſupremi Concilii Senatores tangit. Vt verum dicam, deplorata res eſt, nec tot annis corrigi hæc mala potuere. exemplo ſit expeditio nupera, & ea, quæ in procinctu eſt. Accepi à Comite, aliter hic locorum iſta geri non poſſe : fruſtrà ſuppetias è patriis

terris

ter is exſpectari, eorum quæ ad rectores ſcribuntur, rationem non haberi, auxiliorum ſubmitti nihil, militem illic tumultuariò in circulis & cauponis conſcriptum, profligandæ fami arma capere, viliſſimos urbium aut peſſimos merere, quibus ob egeſtatem maxima peccandi neceſſitas. itaque hîc propiore delectu opus eſſe & formandos in militiam ejus ignaros, qui nunquam hoſtem, nunquam caſtra viderint, nunquam partem ullam bellici muneris attigerint. Has facti ſui rationes obtendunt, nec præter rem, quæ uti ipſis in Reciffa degentibus congruæ, ita militiæ rectoribus incongruæ habentur; vanis & invalidis belli conſiliis, ob infirmas centurias, quarum aliæ octo & denos, aliæ quadragenos circiter numerant, eoſque non perpetuos ſtabileſq;, ſed vagos & miſcellaneos. Iſtam agendi rationē ſi in iis cohortibus ſervari placeat, quæ illi aſſuevere, debebat ſaltem mea legio, tot privilegiis donata, integra mihi & inviolata præſtari. Cum primùm appuliſſem & per eoſdem errores ſerram hanc malè reciprocari obſervarem, acceſſi Senatores, quæſivique feriò, num rata haberent ea, quæ cum Societatis præfectis pepegiſſem, de mihi permittendo milite meo. Annuére primùm, abſonumque videbatur, hoc controverti. Mox diminuto mihi milite, & conqueri ſuper hoc paranti, reſponſum, poſſe me plurib⁹ carere.

Ex eo, velut ſublato ſipario, palam fuit, in quos incidiſſem rerum mearum arbitros & quæ militiæ meæ ſperanda foret facies. Non te fugit, vir ſumme, qui Conſeſſus iſtius pars magna fuiſti, cũ in Hollandia ad hanc provinciam depoſcerer, detrectaviſſe me, nec ulterius in Societatis fidem tranſire voluiſſe, ob inveteratum hunc centurias & legiones malè adminiſtrandi morem. Quapropter ab omnibus & ſingulis Cœtus iſtius collegiis & Potentiſſimis Fœderati Belgii Ordinibus, impetravi publicæ fidei teſtes tabulas, ut iſtis incom̃odis eximerer, legionemque ducerem nullius nutu & arbitrio mutabilem. Vbi promiſſi fides, ubi contractuum ſacer horror? quò Societatis, quò ipſorum Fœderatorum Patrum collapſa authoritas? ſi initis mecum pactis & cœlo teſte ſancitis vocibus, poſt ſuſcepta & confecta, trans Oceanum, itinera, eaque periculorum plena, ſuus non conſtabit valor & relligio? Si quando mercator litteras collybi ratas non habet, id Batavis foro cedere eſt. quo ergò nomine appellabim⁹, ſi Delegati plenipotentiarii Dominorum ſuorum authenticas tabulas & chirographa ſuſque deque habeant. Hæc querelarum mearum & quidem juſtiſſimarum ſumma eſt, quas in ſinum tuum effundi neceſſarium duxi. Prælegi ipſis hæc eadem, reſpondeant, quod volent. niſi remedia malis hiſce quærantur,

tur, ſtat ſententia, hæc ad Vndeviginti Senatores & Fœderatorum ſubſellia referre. ratio, quæ in hæc me lamenta compulit, hæc eſt: quod fixum mihi immotumque animo ſedeat, boni militis partibus vel morte defungi, nec ſinere, ut iſtius in me nominis dignitas militari dedecore evileſcat. At vindicare illam poteſtatis meæ non eſt, ſi milite mihi pugnandum inordinato, ignoto mihi & ignorante me. Obverſantur etiamnum animo tuo Imperatoriæ veterum artes. quas leviculis hiſce noſtrorum motibus applicari minimè alienum fuerit. Cum Romam invaſiſſet Cæſar, magnaque equeſtris ordinis vis ad Pompejum in Theſſaliam cōfluxiſſet, ita ut numeroſo & ſpecioſo milite prævaleret, dixiſſe nihilominus fertur Cæſar: Eamus ad Imperatorem. quaſi non niſi nomina putaret militem Pompei, & impedimenta veriùs belli, quàm ſubſidia. At his cæſis ad Pharſalum, jamque Pompejanas copias & veteranos ſub Petrejo & Afranio inſectatus: Eamus, inquit, ad exercitum ſine Imperatore. adeò Duci miles ſuus & militi dux perſpectus ſit oportet. Cum Scipionem, Africani patrem equeſtri prælio fudiſſet Annibal, militem ante pugnam exhortatus fuiſſe his verbis perhibetur: Pugnabitis cum exercitu ignoto Duci & ignorante Ducem. Quo tempore ſecundò Braſiliam ingreſſus fui, non niſi octo imperabam centu-

centuriis, aſſuetis mihi & quibus ipſe longiore belli uſu aſſueveram. Cum his in bellum iturus, poſthabebam cæteras. Illas binis terniſque hoſtium millibus intrepidus oppoſui, feliciſſimo eventu. Nunc mihi, imparati & nō expediti militis duci, ſi quando ad manus deveniendum, latibula quærenda erunt, & in fugâ præſidium, quod quàm non ex uſu Societatis & honore meo futurum ſit, judicii tui fuerit. Has querimoniæ meæ cauſas habes. quas primùm tibi exponere viſum fuit, ne neglectim habeantur. poſtulo æquiſſima, nempe, ut præſtetur promiſſum, & vel alius mihi tranſmittatur miles, aut ablatus reſtituatur, aut venia detur nō adminiſtratæ rei. Horum aliquod ſi conſequi non dabitur, non ero vobis idem, qui fui, Artiſofkius. poſſum per alios intricari, ex quibus extricari difficillimum. ſed ſupereſt remedium. hoc puta, ut ſilentio me involvam, & ſinam volvi publica. Antehac ſub Wardenburchio pari ferè ſorte habitus, nec negotiis caſtrenſibus adhibitus, quadriennium hîc integrum ſtudiis liberalib' exegi. Nec detrectavero eadem conditione Societatis liberalitate perfrui. quin non levis illi futurus debitor, in maxima felicitatis meæ parte hæc Muſarum otia & ab armis vacationem putabo. Hic litterarum Artiſofkii finis. ad quas ſparſis in margines Notis reſponſa ſubitaria repoſuit Comes & ad Potentiſ-

tentiſſimos Ordines, una cum litteris Artiſoſkii, tranſmiſit. Eas in unum colligam, ea lege, ut ſagax lector accuſationis capita opponat excuſationis, momenta momentis, ſpongiam adſperſis Comiti maculis.

Reſponſio Comitis ad ſuperiores Artiſoſkii litteras.

An quiſquam eſt, ait Naſſovius, qui credat, ægrum & lecto affixum fuiſſe Artiſoſkium? cui per valetudinem integrum fuit, nuptiarum ſolennibus intereſſe, adire templa, & ſeptem vel octo miliarium itinere, in mediterranea ad Sancti uſque Laurentii pagum digredi. ſi ea, quæ muneris ſui erant, per id temporis curaſſet diligentius, & vicinarum arcium armamentaria luſtraſſet, feciſſet rectius; cũ hoc in mandatis unicè habuerit, ut de eorum ſtatu ad Europæos Senatores abſque morâ perſcriberet. At *pauca jam dicenda habet*, quaſi magna & infanda taceret. ſi apertè, quæ culpanda in imperante habebat, ſingulatim expoſuiſſet, virum ſe minus ſubdolum præſtitiſſet. nunc, ut timida & flebili oratione enormium vitiorum ſuſpicione occupet credulos, tanta arcana ſuſpendit. Si ſcribere horrenda hæc dominationis ſecreta ipſi religio eſt; jam coram ea ediſſerat. loquenti quilibet, ſilenti ne ipſa quidem innocentia ſatisfecerit. occultis criminationibus infamat ignarum, ut flagitio decipiat. Nec vera loquitur, cum expeditionem iſtam ipſum *latuiſſe* queritur & impedimẽta ſibi poni, quo min⁹ boni militis mu-

nia

nia exequatur. Quos è ſignis ipſius evocavi, evocavi ad expeditionem, quia egebam. quod dum facerem, boni me militis partibus defungi rebar. Nec impediebatur ille talem ſe præſtare, cum Imperatori exercitus dicto obediens eſt. Si *juſſa Superiorum exſpectavit*, nihil præter officium fecit. Nihil tam utile & decorum, quàm juſſa imperantium opperiri. Sine hoc ordine, ſæpè integri exercitus periere. miles centurioni, centurio tribuno obſequitur. Omnes ſimul imperium Ducis ſentiunt. Dolet adduci famam in diſcrimen, ſubducto ſibi milite. nec poſſe ſic publicæ utilitati conſuli. Verùm judicent rerum militarium periti, quibus vis & poteſtas eſt iſta noſcendi, num Artiſoſkii famam periclitari veriſimile ſit, ſi exercitus Imperator è copiis his vel illis paucos deligat, idq; urgente neceſſitate, & in publica commoda. Hæc ipſum *noctu ac interdiu angunt*, quaſi ſolum hunc Atridam tangeret patriæ dolor. ad populum phaleræ. At cum fateatur ipſe, nõ ſubmitti è Belgio caſtris neceſſarios, cur ſuccenſet, ex ipſi⁹ legione tales peti? Objicit fallò, *trecentos ſibi deceßiſſe*. Cum non niſi uni, ſub Nuyſſenburgio militanti, facta ſit venia, qui & antè Artiſoſkium appulerat. quo tempore de pactis ipſius cũ Societatis primorib⁹, nihil nobis conſtabat. quid? quod in locũ ejus ſurrogatus ſit militiæ expertiſ-

pertiſſimus, pluribus hic officijs probatus; illud verò ab audacia & improbitate eſt, ad plures invidioſe extendi factum ſingulare. Adhæc, inter iſtos tricentenos, quibus diminutam queritur legionem ſuam, imprope reticet illos, quos in itinere mors ſua exſtinxit, conſtat ex ſyllabis defunctorum, in quibuſdam centuriis viginti, in quibuſdam triginta deceſſiſſe, non meo delectu, ſed fatorum. Et quæ iſta Imperatoris ſors? cui evocare militem & ſeligere nefas. Nec ignorat Artiſoskius, quàm anguſtæ hic nobis res ſint; & non libidine, ſeu neceſſitate ad iſta nos compelli. ut diſciplinam omnem militarem collapſam ſubverſamque injuriâ queratur. Iis cohortibus imperant magiſtri vigilum, quas ipſorum aſſigno impe i s. nec niſi durante expeditione, ut impendiis levetur Societas. diminui centuriis numerum ſuum fateor, ſed grandibus decauſſis. quia caſtorum adminiſt is careo, quibus opus. confecta expeditione, rediturus quiſque ad centurias ſuas eſt & ſignâ. quos mors interim ſurripit ducibus, Deo, non mihi, mortalitatem imputent. Ordinem militiæ vel pravitate vel ambitu vel imperitiâ confuſum nego. Quod ſi agere, quod officii ſui eſt, negligant officiales, non eſt meũ, alienam culpã præſtare. ſi gratia aliqua ad me redit, redit, ad beneficii autorem. Quid, quod antè adventũ Artiſqſkii, collata fuerint iſta beneficia, cum

non eſſet hîc, cui gratias deberi putat. Falſo criminatur, centuriis ſuis imperare alios, quàm proprios duces. Quod ad *codicillos* iſtos attinet, quibus ſubinde militum aliquis evocatur vel ad uſus nauticos vel ad operas mechanicas, nulli circumferuntur, præterquam à me profecti, nulli à maris pro-præfecto, nulli à peregrinis vigilum magiſtris, nulli à minorum gentium officialibus exarati. Super ſingulorum delectu, Artiſoskium conſulere ejuſque indulgentiam poſtulare, non vacat imperanti. Eſtque hoc muneris Tribunorum omnium & pro-tribunorum, quos Majores vocant, hîc loci, ubi Reciffa eſt, imperia mea operiri, quæ ab occaſionibus, loco & tempore dependent. negat impudentius, Legionis ſuæ *pro tribunum, militæ negotiis non adhiberi*, cum hac ipſa, quæ præ manibus eſt, expeditione, ſuis ipſum inſtruxerim mandatis, non aliorum officialium penuriâ, ſed ut legione ipſius hunc haberem honorem. Vult legionem ſuam *uni provinciæ* imponi. At vos appello, quotquot rerum caſtrenſium conſulti & gnari imperandi eſtis, num expediat, integras legiones in iiſdem præſidiis locari? ubi MILES multus unà eſt, facile rebellionem cœptat, præſentium tædio; &, ubi vires ſuas reſpicit, ſecuritatis fiduciâ. Saluberrimum, longis ſpatiis diſcerni, ne vel vitiis viribus mixti aut vim aut dolum meditentur. præterquam, quod

victus

victus in frequentem militem comparari difficulter uno loco poſſit. Nec eſt, quod doleat, ſuper *militis ſui inſtitutione.* non negligunt eum erudire & iis artibus informare præfecti, quibus ad militiam habilis fiat. Quæcunque evenire in acie atque præliis poſſunt, omnia campeſtri exercitatione diſcit. Mox blanda oratione excuſat, quem accuſaverat. quaſi omnem erectioris animi ſolidique honoris ſenſum exuiſſem. ſi per me res emendari poteſt, & ut emendetur propediem, ſpes eſt; quorſum hos tumultus & fluctus ciet? quorſum tranſmarinis appellationibus Europæos interpellat? Laudat me ab *indole, & convictus facilitate.* Verùm ab adulatione hæc ſunt, & quidem ſtupida. nec enim vel equo vel cani meo iſtas laudes invidero, ut quæ citra rationem & virtutem ſtant. Sic laudari, non abeſt à vituperio. TACERE, quæ boni Ducis propria ſunt, apertè criminari eſt. palam laudat, ut per hæc ornamenta feriat. Sanè, cum *legiones deleri* ait, & hanc rem non tangere me, quàm honoris mei non ſit ſtudioſus, ſed prodigus, vix ære lavati obſervent. quid æquè probroſum, quàm, Legiones perdeleri, non me attinere, ſed Supremos Senatores. cum, ne deleantur vel enerves reddantur, curare, officii conſcientiâ primus omnium adſtringar. Et ſanè ſummo Senatui id ipſum quoque curæ eſſe, perſuaſiſſimum mihi. qui & nupera

& hac ipſa expeditione teſtatum id abundè fecit. Non meî ſolum muneris, ſed & Secretioris Concilii eſt, Potentiſſimorum Ordinum & Societatis Occidentalis imperiis omnibus morem gerere: Niſi extrema Reipub. neceſſitas, quæ mandatis omnibus pactiſque, quin & ære ac ferro valentior eſt, ſecus ſuadeat. Nec tamen evocavere è centuriis militem Senatores, niſi me conſcio & annuente. *Subſcribere Artiſofkii poſtulatis* Potentiſſimi Ordines & Collegia Societatis quælibet. At non debuiſſet ille tam ambitioſè & anxiè efflagitaviſſe; non ignarus rerum Braſiliæ; ubi neceſſitas ante mandata eſt. adverſus quæ arbitrari permittitur, cum ſalutis publicæ intereſt. pro temporum ratione temperamenti illa egent, quod publico utili compenſatur. Didici, non fruſtra obnitendum Superiori, verum ubi hic ipſe, ubi regnum periclitatur, Cornelianum Piſonem Pontificem imitabor, qui nulli ſententiæ ſerviliter inhærens, quoties neceſſitas ingrueret, mandata Principis ſui prudenter moderabatur. Non itur eadem ſemper viâ. nec tam mutamus Dominorum conſilia, quàm optamus. veluti navem, pro Reipub. tempeſtatibus, Braſiliam flectimus, in unum portum intenti, licet aliis curſibus. Et quid attinet in ſcenam hanc invidioſe & contemptim pertrahi Potentiſſ. Ordinum exiſtimationem venerationemque? ac ſi decernerent. quæ

præſtare

ræſtar nor poſſint Artiſosk o.cum potentiſſimo Hiſpanarum Regi terribiles ſint & quid valeant, victricibus paſſim armis oſtendant. *Delegatos nos Plenipotentiarios* ſuperbo epitheto vocat, quibus, abſque ſua & veritatis injuriâ, Fideliſſimorum Societatis miniſtrorum appellationem invidiſſe non debebat. magis nobis ſalus incolumitaſque Societatis, quàm Contractus iſtiuſmodi tranſitorii, pro rerum mutatione mutabiles, cordi ſunt. nec alio fine imperat prudentiſsima Societas, niſi ut prudentiam noſtram non deſideret, modumque imperiis ſuis adhiberi cupit, quem ſuprema lex, Salus populi dictat. *Prælegi hæc ipſa*, inquit, *reſpondeant, quod volent*. Crudas profectò & plenas erga Superiores irreverentiæ voces audio quibus atterit eorum dignitatem, quibus ipſi paré um. Cum milite ſibi pugnandum ait inordinatio *ignorante ipſum, & ignoto ipſi*, militum offenſæ opportuna loquitur. Vtique videri vult ſolus omnem belli molem ſuſtinere, & orbē Braſilicum ſua legione fulcire. Ceteros diſciplinæ ſuæ exemptos, umbras habet & nomina. Allegat Pompejum, Petrejum, Afranium, Annibalem, omnibus valde diſsimilis. Centuriis octo ternis ſe millibus hoſtium reſtitiſſe jactitat. Verum ſi pugnam innuat, quæ ipſi fuit cum Lodovico de Rochas è Borgia, ad portum Calvum, merita laude fraudat ſtrenuiſsimos Duces, quibus

pugnare coactis, non exſpectato ipſius mandato, victoria debetur. Sin obſidionem Arcis Regalis, in ea ſic res geſſit, ut incerta ſpe feriundi gubernatorem, omnem pulveris tormentarii vim abſumere velle viſus fuerit, niſi præmonitus de ejus penuria, ſufflaminaſſet inconſultum furorem. Ex tribus unum ſibi dari poſtulat: aut alium mitti militem, aut ablatum reddi, aut ſe ab armis dimitti. dedimus omnia. Conſenſi, ut ex ſubſidiariis, quæ exſpectabantur, copiis, centuriarum ipſius defectus ſupplerentur. Etiam in hoc, ut redux ab expeditione miles ipſi redderetur. Quin & in tertium. nam paribus Supremi & Politici Senatus votis, ipſi denunciatum, ut res ſuas ſibi haberet & abiret in Patriam. Veretur ne non ſe eundem præſtare poſſit patriæ, qualem præſtitit ante hac. At faxit Deus ne idem poſthac ſemper ſit. minus ad ipſius ferociam & innocentum cædem ingemiſcet Gojanenſium miſella turba, viduæ innuptæque puellæ. Illud ſibi ſolatio fore inquit, *ſi ſe ſilentio involvat.* quaſi ipſius ſilentio perituri eſſent Amyclæ & Batavi omnes. Conqueritur ſe ſub Wardenburgio minus pro honore habitum. Attamen hæc in contumeliam aliorum tum dicta, in hunc uſque diem afflixere ducem optimum, cujus ego erga Societatem merita ipſius potiora duco. Denique gratulari ſibi in otio videtur, nec aliam ſortem ſpe tenere, quàm ut expeditus bellicis

curis,

curis, cum Muſis in gratiam redeat. Verùm qui ſtudia ſua literaſque jactitat, dignam male feriato ſtudioſo mercedem retulit.

His ſubjunxerat ad Potentiſſimos Ordines Naſſovius hæc: *Nec tamen arbitrari Dominationes Veſtras velim, querulas haſce tabulas, de rebus minoris apud Vos ponderis, at hic factu neceſſariis, falcis ad hæc & ignominioſis criminationibus ſubnixas, cauſſas eſſe miſſionis Artiſeſkii. Verum neceſſitatem mihi impoſitam ſenſi, ad Senatum illa referendi, poſtuland.que, ut dimitteretur alteruter. Vtique occurrendum fuit inſtantibus & naſcituris hinc malis, ne quæ aliis antehac bonis incommoda evenère, propediem me maneant & injuſta inſimulatione apud rerum noſtrarum ignaros, parta honeſtis ſtudiis decora, infamiæ nota aſpergerentur. Permiſi rem omnem judicio Supremi & Politici Senatus; nec eorum reformido ſuffragia, quotquot & Societatis & famæ ſuæ ſtudioſiores videri volent. illud aſſevero, pacatius poſthac imperium nobis fore, quod novis fluctibus turbatum iri, omnium metus erat. Per aliena experimenta edoctis parum profici armis, quæ ſimultates & injuriæ diſtrahunt, removendæ videbantur illarum cauſſæ. It licet hanc ſolam abitus ejus cauſam non prætendam, libuit tamen litteras illas, ſine attentiore cura, diſpungere. Qui ingenii induſtria rimari illas propius volet & aſperſa felle delibare, genio ſuo obſequatur. Mihi fiducia ſit, cæcis quorundam in Artiſoſkium affectibus, prævalituram ingenuam hanc veri confeſſionem, præſertim apud eos, qui rerum ab ipſo*

hic geſtarum non omnino ſunt neſcii. In eandem cum Comite ſententian ſcribere, ad Rectores Belgas, Senatores Braſilienſium, omnibus aſperſam negligentiæ labem communi apologetico abſtergendam arbitrati. Sic authoritatem amplam ſatis, decuſque; quod bello Americano reportaverat vir ab omni amentia remotus, una epiſtola confregiſſe, multis cenſebatur. Et niſi maximis viris vitia ſua objectare verecundia eſſet, poſſet credi judicii errore aut affectu in Comitem peccaviſſe.

Artiſoſkius in Belgium redit.

Quæ evenére poſt, referam hoc loco, ne interrupta narratio ſuſpendat lectorem. Artiſoſkius in Belgium reverſus, inexſpectatum ſe ſtitit Fœderatis Ordinibus, Principi, & Societatis rectoribus. quorum variis judiciis exercitus, aliorum reprehenſionem incurrit, ob immodeſtiam in Comitem, aliorum commiſerationem meruit, ob contemptum ſui, & afflictam famam. apud populum, quorundam laudibus crevit ob inflexum rigorem. Suſpicaces & quibus in abdita rimari mos eſt & quicquid ab imperantibus geritur, diſplicet, ita ſtatuebant: mali omnis originem cauſaſque ab ipſis Societatis directoribus profectas: ut qui Comiti cum ſumma hic poteſtate imperanti, ſubmiſerint hunc, cujus ſuper arma poteſtas velut exempta eſſet Comiti. qui in quibus rebus primus, etiam ſolus eſſe debebat. ſecus ipſi relicta iri titulorum

Variis excipitur judiciis.

inania, imperii vim reſolvi, poteſtate cum alio diviſa: talia veras imperandi leges non pati, nec cum Summi imperii nomine convenire dictitabant. præterea, non debuiſſe Artiſoſkio imperari malorum, ſi qua irrepſiſſent correctionem, ſed Comiti & Senatoribus. denique, incautius negligentiam & rem malè curatam objici, incerto adhuc nec evidenti crimine. Hæc aliaque variis ſermonibus differebant rerum talium non admiſſi cenſores. At quibus honeſto prudentiâque percoctum pectus erat (ita opinionum fluctibus jactamur mortales) hæc ſecum: non omnes omnibus horis nos ſapere: à meliore conſilio etiam ſapientiſſimos deſtitui: affectu nequaquam, potuiſſe conjectura & expectatione falli viros boni publici ſtudioſiſſimos. At apud querulum & dicax in rectores vulgus, illud audiri: non alio fine miſſum Artiſoſkium, quàm vt ſubverteret & ſupplantaret Comitem: aliud ipſi mandatum à rectoribus, aliud ſubintellectum. His artibus tentatum, num offenſus Comes impotentia animi & ægritudine Spartam ultrò eſſet deſerturus: præfecturam armorum Artiſoſkio collatam obtentui ſumtam, reliqua imperantium arcanis adſcribenda. quæ etſi homines ignorarent, fama tamen loquebatur.

Vigente iſta lite, hoc eximium & imitandum poſteris offendi, quod egregiis virtuti-

bus præmia queſierit Braſilienſis Senatus, ſive contulerit ipſe, ſive conferri à Societatis Rectoribus ſuaſerit. Exemplo fuit Iohannes Coinus, cui collata Tribunitia dignitate, qua functus ante fuerat Artiſoskius, apud Vndevigintivirale Concilium, par muneri ſtipendium rogavit, accumulatis fidei, fortitudinis & prudentiæ militaris laudibus. Equidem multarum expeditionum fama & victæ nuper arcis Minæ in Afris perilluſtris, vir animi ad res gerendas & ſubita imperia paratiſſimi, aucta ſibi dignitate, auctius emolumentum deberi putabat. animoſius pugnaturus, ſi ex militiæ ordine & Rectorum judicio altius evectus, frueretur luculentius. Nec fraudabantur Senatus encomiis Matthias Ceulius & Adrianus Duſſius Senatores, diſciplina publica & rebus civilibus clariſſimi, ad reditum in patriam accincti. quorum ille gemina in Braſilia profectione res ibidem geſſit Societati utiles & oblivioni exemtas. Nam & Gojanam cohortes noſtras, dein in fluminis Grandis Præfecturam victor deduxit, expugnato hic caſtello, quod, expuncto Trium Regum nomine, Ceulianum ex eo duci cœpit. Nec latet priorum bellorum adminiſtros, quantis animis, cum Vicitribuno Bima, laborantem Reciffam adverſus hoſtium vim ſubitoſque inſultus aſſeruerit, cum jam penetraſſent vallos uſque, duce Martino Suareſio modiciſque illa præſidiis defenderetur. Non

Ioh. Coini laus.

Matthiæ Ceulii & Adriani Duſsii laus.

minor

minor virtute Iohannes Giſelinus fuit, qui in Belgium quoque ſecundò rediturus, novorum tunc Senatorum adventum præſtolabatur, quibus rempub. & ejus regundi formam arteſque traderet. Hic ille eſt, qui aliquot retrò annis, quà togæ quà belli ſtudiis inclaruerat. Nam & arcem Regalem in Afogadis tentaverat, non vana, licet irrita obtinendi ſpe, & in Auſtralia militem longè latèque circumduxerat, in Luſitanorum ſacchara ſcrutatus. Quin & in Paraybam moverat & Auguſtiniani Capitis terras. ubi arce Puntali potitus, munimento ſui nominis etiamnum noſcitur. Servatius Carpentarius Aſſeſſor, certius quoque abeundi in Belgium, ejuſdem Senatus ſuffragiis & laudatione apud ſuos crevit, comes expeditionum in Paraybam, Fluminis Grandis, promuntorii Auguſtiniani, Gujanæ & Auſtrales regiones. Adrianum Duſſium pernox rerum Braſilienſium cura publicæ quoque gratiæ inſervit. qui non diu poſt in Belgium ad ſuos reverſus, hunc rerum Braſilienſium Statum exhibuit poſtquam è Paraybæ littore ſolviſſet die XXIX. Oct. Anni M. DC. XXXIX. Non piget referre, ut uno velut conſpectu appareat, quantis incrementis parvæ res creverint, & ex minimis ad maxima provectæ, invidiam ſimul hoſtium & potentiam laceſſant.

Ioh. Giſelini laudatio.

Servatii Carpentarii.

Adriani Duſſii.

QVidquid terrarum hactenus auſpiciis armiſ-

STATVS

Braſiliæ exhibitus Societatis Rectoribus, per ſenatorem Duſsium.

armiſque Societatis partum, ſex provinciis diſtinguitur, Seregrippa Regia, Pernambuco, Itamarica, Parayba, Flumine Grandi & Siara. Prima ultimaque deſertæ, reliquæ excultæ & plus noſtratibus habitatæ. Seregrippam, colonis olim frequentiſſimam, vacuam fecit Giſelini Senatoris & Sigiſmundi Schuppii in illam expeditio, profugis armorum metu incolis. qui in Sanctorum ſe Sinum recepére. noſtris, ne pabulatum eò irent Bahienſes, obvia, militari jure vaſtantibus. Siaram raro habitatore Luſitani tenuére, arce, ſed minus valida, munitam. quam, poſtquam in ditionem & poteſtatem noſtram tranſiit, quadraginta præſidiariorum manu tuemur. nullo hactenus inſigni ſoli beneficio, aut proventu, ſed Braſilienſium milite & copiis res Societatis aliquoties juvit. Pernambucenſis primaria eſt, amœniſsimo & conſpicuo, Franciſci flumen inter & Tamaricam poſitu Vox ipſa, Parnambucum, Braſilienſium lingua, Rupem cavam ſignificat. quæ propè Inſulam Tamaricam viſitur, aquis ſubterlabentibus. Portus, ſtationes, ſinus, recipiendis navigiis, hos habet: *Reciffæ* tum exteriora, ubi, velut aperto mari, ſtatio eſt, plena diſcriminum; tum interiora, ubi fida magis nec procelloſa. *Promontorium Auguſtinianum*, ubi minor maris profunditas, aditusque anguſtus ſatis & ſcopulis impeditus. Inſulam *S. Alexii*, ubi maximis navibus receptus,

Pernambucenſis Provinciæ Portus.

ceptus, ad earum refectionem, nec ad alios uſus. *Barram grandem*, Sinum patentem ſatis ratibuſque commodum; Vnam inter & Portum Calvum. in quem ſe recepit militemque expoſuit Banjola, poſt commiſſum cum Patre Archithalaſſo navale prælium. Portum *Iaragoam*, ubi exſcendit Lodovicus Rochenſis Borgia. Portum *Francorum*, ubi exſcendêre Vidalius & Maſalhuſius centuriones. Denique *Cororipam*, Sinum laudatiſſimum. Fluvii præſtantiores ſunt: *Iangades*, *Serinhæmius*, *Formoſus*, *Portus Calvi*, *Camarigibi*, *S. Antonii*, *S. Michaëlis & S. Franciſci*. Territoriis diſpeſcitur ſex. quorum primum vetuſtiſſimumque eſt Igarazu, ſecundum maximumque Olinda, tertium Serinhæmum, quartum Portus Calvus. quintum Alagoarum, Sextum Fluminis Franciſci, limes Pernambucenſis præfecturæ Auſtralis. Vrbes Præfecturæ ſunt quinque, Garazu, Olinda, Mauritia, quæ reciffam & in Antonii Vazii Inſula, oppidum recens complectitur, Bella Pojuca, & Formoſa Serinhæmenſis. Pagi, Moribeca, S. Laurentii, S. Antonii, S. Amari aliique, oppidorum magnitudine. Regio omnis montoſa valde, nec minus fertilis, maximè, quà valles patent & fluminum currunt ripæ. montes mandiocam fructuſque alios ubertim ferunt. quidam arundines ſacchariferas. licet harum major in vallibus ſit luxuries. Territoria ſupra dicta ſuis contuberniis

Flumina. *Territoria.* *Vrbes.* *Pagi.* *Fregeſiæ.*

Ingenia CXXI. berniis, velut ſocietatibus, diſtincta, Ingenia ſive molarum officinas numerant C X X I. at non omnes elaborando ſaccharo occupantur. Plures namque collapſæ, vel operariorum penuria deſides, feriantur. Pernambucenſi Præfecturæ proxima Tamaricenſis, *Tamarica* unius territorii eſt, unius urbis, unius portus: qui quamvis ad latus inſulæ Auſtrale inſigni profunditate naves receptet, longiore tamen alveo, per vadorum incerta, provehi altius, ſine diſcrimine, non ſinit. aliqua ſui parte feraciſſima eſt; ubi Ingeniis ſuus labor eſt; aliqua ſterilis, ob formicarum perpetuas populationes, quas Inſula maximè experitur. Contuberniis quatuor Molas *Ingenia XXIII.* habet XXIII. at quatuordecim ſolum operarias. Inſula melones ſimileſque fructus copioſè fert, ut & uvas totius Braſiliæ maximas ſapidiſſimaſque. Tamaricæ contermina *Parayba.* Parayba, flumine cognomine ſuperbit. quod naves onerarias abſque incommodo admittit, ob inſignem altitudinem. Non contuberniis, ſed locorum tractibus diſtincta, XX. *Ingenia XX.* Ingeniis claret. quorum ab opere abſtinent duo. Hanc excipit Fluminis Grandis *Fluminis Grandis Praf.* præfectura, quatuor contuberniis diſtincta. ubi ruderibus deforme oppidulum, Puntalium, *Pontalium oppidulum.* bellorum veſtigiis horret. Facta incolis poteſtas condendi æ novæ urbis, loco feraciore, & ſitu commodiore, in contubernio Poligiano. ſeſqui à Puntalio miliari arcem Ceu- *Arx Ceuliana* lianam ſpectes. Fluvium Præfecturæ appella-

tio loquitur, maximarum navium capacem. Sinus pandit nautis placidiſſimos. rara habitatoribus regio pecorum cura victitat, paſcuis læta. ſed nuperis bellis afflictiſſima, abacti vel exſtincti pecoris damna luget. Ingenia non niſi duo habuit, quorum unum deſit eſſe, alterum ſupereſt. ut univerſæ Braſiliæ, quà noſtra eſt, Ingenia ſint CLXVI. quorũ CXX. opere attenentur, cæteræ novis quotannis operis reſtaurantur. Quantum ſacchari provinciæ ſingulæ & territoria cõtuberniaque annuatim edant, vix computes exactè, ob ſoli diſparem indolem, meſſiumque, ab aëris alia atque alia, diverſis locis, temperie, diſcrimina. *Ingenia duo.*

Incolas ſors ſua diſtinguit in liberos & ſervos. Liberos natale ſolũ in Belgas, Luſitanos & Braſilianos. Servos in Nigritas ſive Afros & Tapujas ſive Americanos. Belgarum alij Societatis ſtipendiis merent, alii ſui ſunt & nulli tẽporis tributum pendunt. Hi vel tales huc venére, vel defuncti muniis tales facti. qui omnes colonorum condicione vivunt, ſive à militia ſive aliis miniſteriis miſſionem nacti. parati, ubi exiget res, in bellum proficiſci & pro parta libertate ſtare. Horum numerum ſyllabi exhibent, ſive in equitum libeat, ſive peditum militiam armari. Quotquot ſui juris huc è Belgio trajecerunt, aut mercatorum nomine audiunt, aut horum ſunt adminiſtri, aut vilioris ſortis. quales caupones, propolæ, *Incolarũ alii liberi, alii ſervi.* *Liberi Belgæ.*

ſellu-

ſellularii, opifices. Eorum nonnulli, auctis opibus, Molas mercati iiſdem inſudant: nonnulli plantanda arundine, & agrorum culturâ occupantur. Per hos tam denſis crebriſque ædificiis crevit Reciffa, ut eorum precia immenſa ſint, ſpacia anguſtiſsima. Hinc factum, ut patens vacuaque inſulæ Antonii Vazii area, ædificaturis grandi precio divendita, jam frequentibus civibus habitata, neceſsitatem Senatui impoſuerit, deducendi latius pomœria, & ad caſtrum uſque Frederici Henrici proferendi. Nec languent adhunc ædificantium operæ, licet remiſsiore mercatu, & ſuſpenſis diu claſsis Hiſpanicæ famâ civium animis. Vbi hic metus deceſſerit, mercaturæ vigor, mercium precia, condendi domos ſtudia gliſcent. Nec vana fuerit ſpes, poſſe hîc, in externo orbe, aliam Tyrum, aliam Sidona ex tam luculentis primordiis exſurgere. quem in finem decretum Senatui, ponte Reciffam & Vazii inſulam jungere. Iamque exſtructa, in fluminis interlabentis alveo, columna è lapide, adverſus aquarum perpetuos lapſus durans, futuri operis ſpecimen oſtentat & rudimentum. Illud ad magnitudinem imperii hujus fecerit, ſi ſeria deliberatione expendant Societatis primores, quibus artibus pellici huc coloni poſſint & per terrarum deſerta ac nundum culta ſpargi. ſic agrorum culturæ, ærariis, mercatui, militiæ impendiis, ſecuritati ad-

Expendendum quibus artibus coloni in Braſiliam pellici poſſint.

hæc

hæc, potentiæ ac gloriæ naſcentis Reipublicæ conſuletur. Verùm, cum nihil à quoquam expeti conſtet, niſi cujus fructum antè providerit, nequaquam vana commodorum jactatione fallendi ſunt. cùm nec vicinæ mari littoribuſque terræ donari illis poſſint, utpòte poſſeſſoribus ſuis dudum inſeſſæ, nec mediterraneæ, ob victualium inopiam. quamobrem privilegiis & indultis erigenda Belgarum cupiditas, præcipue illorum, quibus nova condere Ingenia fiducia erit, agroſque arundinum inſitione initiare. Hoc factitaſſe Hiſpaniarum Regem accepimus, qui iſtiusmodi colonis immunitatem ab oneribus indulſit in primum decennium, in ſequentia tempora non niſi dimidia onerum parte adſtrinxit. Idem cœptare noſtros, vetat mutata rerum facies. cùm proxima littoribus à ſuis dominis teneri conſtet, & ſemota longè novos colonos deterreant, ob vecturæ labores, cōmiſtra, & annonæ parcitatem. Quare aliud comminiſcendum lucri cupidis, & ingenio ſupplenda egeſtas publica. Sanè abundat Belgica noſtra mercenario opifice, ferrariis, architectis, cæmentariis, ærariis, ſartorum & ſutorum colluvie, ſcriniariis, tornionibus, vitriariis, figulis, lapicidis, ſtannariis, ephippiariis. quorum de genere tam multi ſunt, ut vel loquacem Fabium delaſſare queant. Hos domi ſua vix alit ars & profeſſionem quiſque ſuam paupertatis putat. Si hîc ſint, poſſent

O vete-

veterem fortunam ad invidiam provocare, & diario gaudere luculentiore. NVSQVAM enim vel opera ſine emolumento eſt, nec emolumentum ſine operâ. LABOR utique & merces, diſsimillima naturâ, ſocietate quadam naturali jungi amant. Architectis merces in diem floreni ſunt ſex, ſubſidiariis ejus tres quatuorve. molarum operariis omnium maxima. Hos excîri neceſſe, nec domi vel graves ſint publico, vel privatorum ærariis egeni incubent. ſatius tales tranſmitti, quàm facinoroſos, ſuppliciis infames & Vlyſsis remigia. Familiare hoc Hiſpanis, á quibus tranſmiſſa iſtiuſmodi hominum perditorum fex, progeniem vitioſiorem tulit: quæ veteris pravi retinens veſtigia, juſtum quicquid injuſtumque æquè habet. ubi lucellum fecêre mechanici, mercantur agellum, & blandientis fortunæ primos favores, promiſſum majoris interpretantur. Tum, ſi tuta iis præſtetur habitatio, ſi Reipub. præſint ab inferiorum injuriis alieni, nec licentiam iniquè uſurpantes; ſi mercaturam bonæ leges ordinent, coloniarum deductio auſpicatiſsima fuerit. At artis omnis opificiique imperitos mitti, pernicioſum & Reipub. huic ignominioſum. ſiquidem his omne in popinâ & taberna vitæ præſidium. qua excuſsi, alieno ſucco, fucorum inſtar, aut flagitio aliquo, vivere compelluntur. Tria hominum genera coloniis apta. primum eorum, qui ab opibus inſtructi, Ingeniorum

Quando coloni & coloniæ utiles.

Tria hominum genera ad colonias apta.

niorum ſe curæ addicere amant. ſecundum illorum, qui opificio vitam tolerare ſuſtinent. tertium eorum, qui Societatis defuncti miniſteriis, agriculturæ ſtudiis dediti, hanc Spartam ornare ſtudent. Ad molarum & agrorum culturam, Nigritis opus; quos ære redemi oportet. nec enim; exercitatiſsimâ quamvis noſtratium corpora, huc translata labores iſtos ferunt, ſive aëris, ſive victus mutatio validiſsimos enervet, pigritia & torpore tacitè ſubeuntibus, ita ut inviſa primum deſidia placere tandem incipiat. Quæ ſane imbecillitas, non homini ſolum evenit, ſed & rebus Europæis quibuſvis, etiam inanimis; ut ferro, chalybi; æri; nedum corruptioni ac putredini magis obnoxiis. Profectò, quotquot Belgarum ſe curandis agris Ingeniiſque dedére, pluribus priſtinum decus reddidére. ut non levis ſpes ſit, paucis annis eum Braſiliæ fore vultum, qualis ſub Rege fuit. modò ſaccharis detrita jampridem precia redeant.

Luſitani (ſecundus hic incolarum ordo) vel à multis retrò annis ſub ſuorum hîc imperiis vixerunt, vel Judaicæ ſectæ addictiores, nuper è Belgio huc tranſmigraverunt. Hi agros molaſque mercantur & attentius curant. plurimi Reciffam inhabitant, omnemque ferè mercatum ſuæ poteſtatis facere ſatagunt. Ingeniorum maxima parte domini vel poſſederunt illa olim, vel, profugis ob bella dominis, jam nuper empta poſsident. His ſui *Li'eri Luſitani.*

O 2 ſunt

ſunt Laboratores, qui vel ſacchareas propagines terris mandant, vel ſaccharorum confectionem exequuntur. quod negatum hactenus noſtratibus. quos temperandi purigandique ſacchari peritia fugit, aliarum aliàs artium capaciſsimos. Nec tamen labores ipſi Luſitani ſubeunt, ſed Nigritis imperant, imperiis aptiores, quam laboribus. plerique malè erga nos affecti, ſolo terrore boni ſunt. quavis occaſione, quæ adverſus nos patefit, audaces & linguâ immodici. famæ ac fidei commodum ſuum anteferunt. avaritiam & odia in nos occultant. ut intra mœnia atque in ipſis urbium ac pagorum viſceribus hoſtes hos habeamus.

Liberi Braſilienſes. Braſilienſes, vetus populus, terrarum indigenæ dominique, non permixti Luſitanis, ſed ſegreges, in ſuis pagis agunt. domoſque habitant ſtramineas & oblongas, citra decorum & ſpeciem. eorum quadragenos vel quinquagenos idem claudit tectum. lectis pendulis & retiformibus (*Hamaccas* vocitant) noctu & interdiu cubant, nulla macerie diſtincti. ſuppellectilis omnis incurioſi, præter retia iſta & potorios calices (*Calabas* appellant) & fictilia, habere quicquam, ſuperfluum putant. omnis belli apparatus ſagittæ ſunt & arcus. mandiocæ circa ædes ut & fabarum Braſilienſium, ſua cuique conſitio eſt. quoties bella non ineunt, multum venatibus, plus per otium tranſigunt. fructibus ſa-

tivis

tivis minus, ſylveſtribus & ſpontè natis magis gaudent. ſine blandimentis pellunt famem. Verum adverſus ſitim non eadem temperantia. nam diem noctemque potando tranſigere minus ipſis probroſum. potum ex mandiocæ radicibus dente contritis & aqua dilutis, exſpectato acore, conficiunt. ut & alium è pomis Tajovis, pro anni tempeſtivitate. Opum ſecuri in diem vivunt, de potu ſolo & linteis ſollitici. è quibus uxoribus induſia, ſibi exterius amiculum parant. pecunias nullo precio habent, niſi ob hoc, quod per eas Hiſpanienſis & aduſti vini compotes fiant. Horum promiſſo & ſpe, ut & linteaminum, erecti, labores quoſvis alacres ferunt, ſecus inviti & ſubtriſtes illos ſuſtinent. Ducem ſingularis pagis præficiunt, exemplo magis & admiratione, quàm imperio. domiciliis ſingulis præfectum conſtituunt; cui ultrò parent. edocti natura, SINE imperantium & parentium conſenſu, regi non poſſe multitudinem. Præterea, ſingulis pagis præeſt, dux Belga, cujus muneris eſt, ſegnes tardoſque laborum commonefacere, & ne debita mercede ab Ingeniorum dominis fraudentur, cavere. Non niſi in dies viginti continuos operas condicunt. quibus exactis, difficulter perſuaſeris novas. nec mercedem, exſpectant, ſed, ante peractam rem, increduli depoſcunt. Hinc fit, ut dominos non rarò fugitivi fallant. lignis reſecandis, in u-

ſum Molarum, ut plurimum occupantur. Verùm hodie, ob pauciratem Nigritarum & caritatem, etiam aliis laboribus adhibentur. quod cum non neſciant, fugere perfidè malunt, quàm opere fatigari. Ad bella maximè proclives, ſudore parare timent, quod ſanguine malunt. nec religio ipſis partes deſerere & ſigna. quoties è pagis delectus fiunt, antequam educantur, ſe ſubducunt. eadem, qua noſtros, diſciplinâ vix coërceas, minoribus ſtipendiis merentes. hoſtibus terribiles ſunt, non tam ob robur, quàm ferociæ famam. acerrimè & ferociter fugientibus inſtant. veniam vitæ nulli faciunt Circa ſacra remiſſi valdè, à Pontificiis formulas Chriſtianorum ut Orationem Dominicam & Apoſtolorum Symbolum hauſerunt, ceterorum neſcii. Davilius Eccleſiaſtes, ut divinis imbueret ignaram gentem, linguam illorum addidicit, in pagis ipſorum medius conſedit, pueritiam inſtituit, ſacro baptiſmate Eccleſiæ initiatos paganiſmo exemit, nuptias ritu noſtro inter ipſos conciliavit. Hac tempeſtate in pagis Alagoarum, Vnæ, S. Michaëlis, Goyanæ, Paraybæ, Fluminis Grandis, reperias virorum mille nongentos & viginti tres ad bella idoneos, præter mulierum turbam imbellem, quarum numerus triplo major. Ex illis ad militiam ſeligi poſſent armatorum mille, ſenibus relicta familiarum cura, uxoribus frequens, cum viris ad bellum proficiſci, pari vitæ mortiſque eventu.

Davilii Eccleſiaſtæ ſtudia in convertendis gentibus.

Ser-

Servorum quidam Braſilienſes ſunt, quidam Afri, alii ex Maragnone traducti. Braſilienſes ſervos jam olim Luſitani à Tapuiis captos precio redemerunt, vel in Sinu Trahiſonio à Balduino Henrico claſſis præfecto deſertos, in ſervitutem abduxere, eò quod ſe nobis ſociaviſſent. Iam libertate omnes donati, ſibi redditi ſunt. Maragnonenſes itidem ab hoſte redemptos, ſervitute ſua abſtrinximus, utpote nullo ipſis beneficio obnoxii. Tertia mancipiorum claſſis Afrorum eſt, quorum omnium laborioſiſſimi Angolenſes. Ardrenſes ignaviſſimi, pertinaces, ſtupidi, labores horrent, ſi pauciſſimos exceperis, qui laborum patientiſſimi ſui precium augent. Calabrenſes parum penſi habent, ob ignaviam & ſocordiam. Nigritæ Guinæenſes, Serræ Lionæ, & quos Caput viride mittit, minus ad ſervitia prompti. attamen politiores, plus elegantiæ & nitori ſtudent, præſertim ſexus muliebris. quamobrem eos domeſticis officiis adhibent Luſitani. Nigritæ Congenſes & Sonhenſes aptiſſimi ad operas, ut ex re Societatis ſit, hujus mercatus rationem haberi & amicitia jungi Comites Sonhenſem & Congenſem. Proventus Braſiliæ ſacchara ſunt & ligna tinctoria, ut & alia variegati coloris, tabaci herba, boum tergora & bellaria condîta. goſſypii & Aurantii coloris tincturæ, quam Orelianam vocant,

Servorum alii Afri, alii Braſilienſes, vel ex Maragnone traducti

Proventus.

cant, ferax ſatis, dummodo cultura adhibeatur, Sacchari conficiendi hiſtoriam ſuprà memoratam, referre latius ſuperſedebo. in eo natura, ars, labor mirè conſpirant. natura ſoli cœlique beneficio in arundine occultum humorem excoquit. qui varia arte, induſtria laboribuſque conſummatur. auſpicium ab arundinis eſt ſurculis vel taleis, quæ terris inſertæ in hominis ætatem ferendo ſaccharo ſufficiunt. emortuis interpolantur novæ, niſi torrida fortè aëris intemperies totos agros exurat, aut fluminum reſtagnantes aquæ frigore radices elidant. Illos à zizaniis purgari neceſſe, ſecus ſuffocantur in herba tenellæ arundines & ſaccharum ferunt minus laudabile, & projecti coloris. reſectæ vehiculis in officinas aſportantur, ubi diſtinctis ſedibus, vaſis, operis, adhibitis temperamentis, in varias formas & ſpecies coaleſcit. Braſilienſia ligna decem vel duodecim à littore miliaribus, interiora ferunt, non totis confertiſque ſilvis, ſed ſparſim, aliiſque arboribus immixta. Iis amputandis per otii tempora & verè ſuccíſivis horis vacant Nigritæ, qui cortice illa craſſiore denudant. nec enim rubeus ille eſt, ſed albus, trium digitorum latitudine, nodoſus, aſper, non levis, non glaber. Frondoſa eſt arbor, foliis minutis & præacutis, quæ ex virgulis tenuibus dependent, ſuo ordine, obſcuro virore. Nec fructus ferre nec florem dicitur, ut veroſimile ſit, per radices propa-

Sacchari ſtolones ut inſerãtur terra & colantur.

Braſilienſis ligni cura.

propagari. Mercimonium maximè expetitum Braſilianis, pannus è lino eſt. non qualem Rothomagenſes Galli, ſed Oſnabrugenſes Germani elaborant. Mercatorum enim quidam, irretiti lucris, quæ ex Rhotomagenſium lino receperant, tantam copiam hujus generis pannorum miſere, ut & Steinofurtenſium, ut diſtrahi præ affluentiâ nequeant. Variegatis pannis valor ſuus integer & is grandis. Æri, ſtanno, vinis, cereviſiæ, oleo, butyro, caſeo, farinæ, piſcibus induratis, larido, pernis, fumigatis carnibus, priſca conſtant precia. minus ſalſamentis, fabis, piſis aliiſque leguminibus.

Vt ad Incolas revertar, Imperatori Naſſovio valetudo conſtat animuſque in omnia Societatis decora ac emolumenta intentus. Matthias Ceulius & Giſelinus Senatores nec non Servaſius Carpentarius Aſſeſſor, longis officiis probati, dimiſſionem poſtulant, ne ad invita miniſteria ſervati, tædio rerum veſtrarum langueant & à priſtinis virtutibus animi ægritudine degenerent. Politicus Senatus Novemviratus hactenus, jam morte Hoogeeni & abitu I. Bodecheri in Septemviratum contractus eſt. Sunt illi Elias Herckmannus, Nomnus Olferdi, Balthaſar Voordius, Petrus Mortamerus, Gisbertus VVittius, Petrus Raſſius, Daniel Alberti. Horum unus, Olferdus, S. Franciſci terris & Alagois præeſt, Petrus Raſſius Portui Calvo, *Senatus politici Senatores qui.*

& Serinhæmo, tertiuſque Daniel Alberti Paraybæ, quartus Mortamerus Tamaricæ. ut ad Triumviratum redacti hîc ſimus. Herckmannus Voordiuſque ærariis præfecti & erogandis militi ſtipendiis, juri dicundo & Aſtrææ ſurripiuntur. ut omninò novis Senatoribus juſtitiæque adminiſtris opus ſit, explendo Novemviratu & fulciendæ honoratorum conſiliis Reipub. Qui in locum decuſque ſuccedant, Iacobum Alrichum rationarium, Guilielmum Piſonem archiatrum, & Theodoſium, nomine Imperatorem, vobis tradimus. pro quibus virtus, fides, ſedulitas verba faciunt. Res ſacras adminiſtrant in Reciffâ Fredericus Caſſelerus, Petrus Lantmannus, & Franciſcus Plante, concionator aulicus; viri ut aliis virtutibus, ita prudentiæ Eccleſiaſticæ laudibus cumulatiſſimi. Olindæ & in Braſilianorum pagis Gallica & Luſitanica lingua ad populum loquitur Ioachimus Sollerus, I. Polhemius. apud Tamaricenſes, Cornelius Poelius. apud Paraybenſes Samuel Rathelarius Anglus Belgis concionari cœpit. David Doriſſarius præco Belga, in pagis Braſilianorum lingua barbaris vernacula & Luſitanica, verba facere aggreſſus eſt. In promontorio Auguſtiniano partes iſtas obit Iohannes Stetinus, in Serinhæmo Iohannes Eduardi. ut jam noſtræ quoque fidei homines, Chriſtum, quantumvis Gentibus ſtultiam, inter illas ipſas prædicent

Eccleſiaſtæ laudatiſsimi.

&

&c in partem veniant ejus gloriæ, quam ſolis ſibi, ob ſparſum per exteras terras Euangelii lumen, vendicavere Catholici Romanenſes. Egent talium Fluminis Grandis, Portus Calvi & Openedæ incolæ, iis contenti, qui ægris à ſolatiis ſunt. neç melior ſors eorum, qui S. Antonii promontorium, Capigoaribem & Gujanam habitant, Belgis frequentes. quibus propterea, tanquam irreligioſis & profanis, ſacrorum neglectum exprobrant Luſitani. Pontificiis religionis ſuæ uſus liberrimus. licet, non ſine quorundam dolore & murmure. Eccleſiaſticorum alii Clerici ſunt, alii Monachi. Clericos voco presbyteros & ſacerdotes, qui Miſſam adminiſtrant, ægris vacant, ſuis ſubditi vicariis. Monachos ſuus ordo diſtinguit in Franciſcanos, Carmelitas & Benedictinos. Franciſcanorum maximus numerus. Sex cœnobiis ſtructura pulcherrimis vivunt. primum Fredericæ eſt, ſecundum Iguaracæ, tertium Olindæ, quartum Pojuca habet, quintum Inſula Antonii Vazii, ſextum Serinhæmum. nullius fundi, nullius laris domini, quotidianis, quas acceptant, eleemozynis, vitam tolerant. Carmelitis cœnobia ſunt Paraybæ, Fredericæ, Olindæ. Hujus magnificè cœpti, nundum perfecti, opera interrupta pendent. reditibus modicis, quos è teſtamentis, ædium ſtructuris & agris referunt, victitant. Benedictinis monaſteria duo, Fredericæ unum & Olindæ

Pontificii. *Clerici.* *Monachi.* *Franciſcanorum Cœnobia.* *Carmelitarum.* *Benedictinorum.*

alte-

alterum. agros poſſident in Parayba, pecorum, ædium, arundinum divites, domini molæ Pernambucenſis, quam Maſureppam vocant. *Iudæi.* Iudæorum plerique huc è Belgio conceſſere. quidam, qui natione Luſitani, Chriſtianam fidem ſub Regis imperio mentiti fuerant, jam expediti metu rigoris Pontificii, ſub faciliore Domino palàm ſe Iudæis aſſociant. evidenti documento, TERRORE ſimulationes induci, purpuræque cultores effici, non Dei. Sacra rituſque ſuos audacius oſtentantes, querulis in alieno regno Pontificiis, querulis extra patriam, ubi ſynagogis venia, noſtratibus, poſtquam à Senatoribus moniti eſſent, latentius habuere Moſem & ritus Iudaicos. Converſionis Pontificiorum ſpes tenuis, ob inveteratam veri opinionem, quam difficulter evellas. quæ enim à maioribus accepere ſacra cæremoniaſque, retinenda arbitrantur, nefariumque ab iis recedere, Qui lingua Luſitanica ipſis loqui poſſit, unus nobis eſt, qui verò hunc loquentem audire cupiat, ne unus quidem. preſbyterorum ſuorum hortatu præfracti, ut quibus quæſtui ſunt capti ſuperſtitione animi, ad noſtrorum voces obſurduere. vetera, quæ crepant, potiora novis habent, & ſplendidam ornatamque religionem minus illuſtri & viſibili. Tenellæ ætati inſtillari poſſent noſtra placita, nondum præoccupatis animis ſed ipſi talem erudiunt intra privos parietes,

&

& tabellis raſis matura ſollicitudine inſcribunt ſua. Indigenis Farina fructuſque varii & olera alimentum. illam ex Mandiocæ radicibus conficiunt, cui folia novem pentaphyllo ſimilia, digitorum in morem, ſuis ordinibus eriguntur. nec florem fert nec ſemina. caulis ligneus ligneas propagines extrudit. terræ in cumulos trium pedum diametro aggeſtæ, inſeruntur ejuſdem ligni ſegmenta tria quatuorve, extra terram medio tenus prominentia. tumulos illos per ſpatioſiſſimos agros glomerant & ordinant. bacilli ſive ſegmenta iſta radices ſub terris agunt, quibus enaſcuntur & pullulant propagines ſubterreſtes, brachii craſſitie, cubiti interdum longitudine, pro ſoli bonitate, ſimiles radicibus; quas noſtrates ſacchareas vocant, licet craſſitie diſſimiles. extra terram duobus vel tribus ſurculis germinant, qui ubi octavo, decimo & duodecimo menſe ligneſcere cœperunt, pro ſemine ſunt. hoc frugum noſtratium diſcrimine, quod Mandiocæ nihil de fructu decedat ad ſui propagationem, noſtris decedat, quibus ipſi fructus ſementem faciant. Validioris eſt nutrimenti & Luſitanis, Braſilianis, Nigritis, adeòque militi noſtro pane gratior. Animalium ſilveſtrium & manſuetorum multitudo maxima. *Ex eo numero ut pauca referam,* Apri *ſunt amphibii, quorum carnes gratiſſimæ ſunt & ſaluberrimæ. Ii cum pedibus incedant diſparis longitudinis, anteriores enim poſterioribus brevi-*

Mandiocæ inſitio.

Ejus indoles ſingularis.

Hæc ſequentia latius deducta inſervi Narrationi

ores

Duſsianæ, in lectoris gratiam.

ores ſunt, tardius progrediuntur. ideò preſsi à venatoribus, proximis, cum poſſunt, ſe aquis mergunt. Antæ *mulas referunt, licet minores magnitudine ſint. bucca illis gracilior, labrum inferius tubæ ſimilitudine oblongum, aures rotundæ brevis cauda, corpus reliquum coloris cinerei. lucem fugiunt, nec niſi noctu adpaſtum vagantur. ubi diluculum adventat, in latebris ſeſe abdunt. Carnes ejuſdem ferè cum bubulis ſaporis ſunt.* Cotias *quas vocant, gentis vocabulo, leporum ſunt magnitudine & minores, caudâ ferè nullâ. Qui majores ſunt,* Pacas *appellant, roſtro à felibus parum abeunt, fuſco colore, candidis maculis variegato. ob delicatiores carnes in deliciis habentur. Sunt &* Tatuſiæ, *ad porcelli magnitudinem, corio ceu ſqamis loricato, ut cataphractæ videantur. ex eo caput more teſtudinum exerunt. carnes palato gratæ in exquiſitiores epulas ſervantur. Magna quoque hic tigridum copia, quæ ferocia, quam fames acuit, & velocitate metuendæ ſunt indigenis.* Cerigones, *vulpis magnitudine, inſolito ſpectaculo alvum oſtentant, è qua duæ veluti manticæ dependent, quibus catulos geſtant; tam valido ſuctu uberibus adhærentes, ut non antè ea dimittant quàm adultiores ad pabulũ ipſi excurrere valeant. Eſt etiam mirandum illud animal, quod Luſitani* Pigritiam *vocant, à tardo arborum adſcenſu & deſcenſu, quem vix quatriduo conficiunt. Inuſitatum quoq; eſt genus* Tamendoarum, *vervecis forma, prælongo ac tenui rictu, unguibus longis latiſque. Formicis victitant, quarum latebras & cuniculos ubi unguium foſsione deprehenderunt, exertam linguam immittunt,*

iunt, opertamque formicarum agminibus contrahunt & velut captas deglutiunt. his, uti ſciuris, longa & ſetoſa cauda pro tegumento eſt, ſub qua ſe occultat, ut nihil reliqui corporis appareat. Iaguaretæ, *Luſitanis Oncæ, tigrides nigræ ſunt.* Cojatayæ, *cercopitheci, ſubflavi coloris & muſcum olentes.* Teju, *lacerta varii coloris & grandis.* Boiguacu, *ſerpens maximus & diverſicolor.* Boicininga, *Luſitanis Caſcavel, venenatus ſerpens, qui cauda longiore & ſtrepera hominem de adventu ſuo præmonet.* Bojôbi, *ſerpens viridis.* Carigueyæ *Cerigones ſunt, de quibus dictum. Avium ſpecies haſce offendas:* Tucanam, *picæ magnitudine, pectore flavo, reliquo corpore nigro, roſtro ingenti & longo, at levi, foris flaveſcente, intus rubente.* Guaram, *totam latè rubentem.* Piretaguaros, *inſigni virore placentes. Pſittacos,* Papagayas, *notas ſatis.* Araram, *purpurei cæruleique coloris. Braſilienſem Corvum vocitant. magnitudine & pulchritudine inter alias excellit.* Strutionem, *Americanum, Africano minorem. Neque hæc tantum & alia indidem ſylveſtria, verum etiam nuper à Luſitanis invecta pecorum & equorum armenta inſigni ubertate fætificant. Equos reperias generoſiſſimos, maximique precii. quos Angolenſes magno numero coëmunt. aliarum quoque pecudum greges denſiſſimos, ut à non paucis unius domino teneantur taurorum vaccarumve quingenti, à nonnullis mille. præſertim in campeſtribus* Paratiningæ. *ubi paſcua, lætiora uberius germinant. Suum incredibile incrementum, quarum carnes ejus ſunt bonitatis, ut*

Avium ſpecies.

ægris

ægris cedant in medicamen & alimentum. Gallinarum numerus ſine numero, ob cæli temperiem. à Barbaris non minus quàm à Luſitanis avidè expetuntur & ſtudioſè aluntur. Anſeres fert regio Europæis maiores & præſtantiores. Oves faſtiditæ pinguedinis, & noſtris guſtatu deteriores. Iam & mare piſcoſiſſimum eſt & fluvii vario natantum genere celebres. Boope, *marinus piſcis, ab oculis bovillis nomen habet. quali epitheto Iunonem inſignire Homerus ſolet. thunnos Hiſpanienſes magnitudine æquat, tam pinguis, ut ex axungia oleum barbari conficiant, ſimile butyro. Inter præcipuos eſt* Camurupi, *optimi ſaporis, ſpinis horridus, quarum unam in dorſo arrectam attollit.* Piraembu *ronchos edit, ſtertentium more, octo aut novem palmorum longitudine, magni precii & ſaporis gratiſſimi. intra os lapillos habet duos, quorum affrictu teſtaceos piſces, quibus vivit, comminuit. Barbari pro monilibus illos è collo ſuſpendunt.* Beyupira, *ſturioni Luſitanico ſimilis, magna hic copia reperitur, forma teres, dorſo niger, ventre candidus. Etiam Europæo mari noti, ut quos Portugalli* Tainhas *vocant, adverſus anguium morſus ſalubres. Cyprinorum varia genera, Pargi & Sargi Luſitanis dicti, Scombrorum ſpecies, Acus, Raiæ, aliique. Excellunt Dorades, quos Barbari* VVaraka pemme *appellant.* Araguagua *piſcis eſt, enſifero roſtro.* Guaperua, *Orbis,* Piexe porco, *ſpinis undique horrens.* Guacucua, *Veſpertilio Aquaticus.* Nhanduguacu, *Aranea maxima. Teſtudinum magna molis in littoribus copia eſt, quæ ova gallinarum ovis ſimilia in*

Piſces.

arenis

arenis deponunt, rotunda, alba, & valida membrana tecta. Crudeliſsimi piſcium Tuberones *ſunt, natantibus funeſti. comites piſces habent diverſicolores, quos Luſitani vocant* Pelgrimes. *Horum dentibus armant barbari ſagittas, ob acumen & lethalem veneni vim. Sunt & Volatiles piſces, quibus oculorum acies pulcherrima, inſtar gemmularum, micat, alæ, quales veſpertilionibus, deplumes & argentei coloris. Dum hoſtem piſcem fugiunt, volatu extra aquas ſibi conſulũt & in naves ſæpè præcipites ſedant, fauſto, ut opinantur nautici, omine. Torpedinem hic haberi fides eſt, Barbari* Puraquam *vocant. nam artubus torporem inducit, & ſi vel baculo tangas, brachium reſolvit. enectus virus deponit & edulis fit. At maximè admirationi ſunt Tritones, indigenis* Ypupiapræ dicti, *cum humanos vultus aliquà referant, & femellæ cæſariem oſtentent fluidam & faciem elegantiorem. Septem octove à Sinu omnium Sanctorum leucis viſuntur, ut & iuxta Portus Securi provinciam, homines amplexu compreſſos enecare opinio eſt, non conſilio, ſed proniore affectu. cadavera in littus eiecta cum oculis, naribus, digitorum extremis, mutilata ſint, vero perſimile eſt, ab iſtiuſmodi monſtrorum ſuctu vel morſibus iſta eſſe. Scatent maria hæc ſæpiis, quibus ſanguis atramentum eſt. etiam lolliginibus & grandibus urticis. Oſtreorum aliorumque piſcium teſtaceorum ingens copia. Muſculorum conchis Barbari cochlearium & cultrorum vice utuntur. Buccinæ & pectines elegantia inter ſe certant & oculis delitias faciunt. Avium marinarum aliæ roſtri prolixitate, aliæ caudæ bifur-*

Peixe Mulher alius.

Aves marinæ.

cata figura, alia ob epilepſia morbum, alia colorum varietate, quadam volandi impotentia memorabiles ſunt. Iam verò illati in eas regiones melopepones, cucumeres, malogranata, ficus bifera ac trifera, nec non multiformia mala medica ſuppetunt abundè, ut & oryza, milium, fabarumque varia genera. Arbores celebriores propriaque ſunt: Copaiba, *cuius inciſo per æſtatem cortice, in modum balſami liquor ſuaviſſimi odoris emanat, curandis vulneribus & cicatricibus tollendis mirificam vim habens. Ea planta cernuntur affricta animalium attrita, qua à ſerpentibus læſa ad remedium illud natura ſe inſtinctu conferunt.* Cabureiba, *fragrantiſſimum quoque balſamum fundens.* Icicariba, *unde* G*ummi* E*lemniū emanat.* Itaiba, *cuius reſina Anime vocatur Luſitanis, gratiſſimi odoris & multi uſus.* Anda, *qua caſtaneas catharticas profert.* Mucuitaiba, *Luſitanis* Pao Santo. Anhuibapeapija, *Saſſafras.* Cajucatinga, *Cedrus Braſiliana.* Acaju, *prima Braſilia arbor pomifera.* Ianibâba, *cuius ſucco ſe ungunt incola. Adde* Mandiocam, *de qua ſupra. At* Zabucales *qua dicuntur, admodum excelſa, duriſſimos calices ferunt, ore in terram pendulo, & pyxidis inſtar mira natura ſolertia operto. Iis nuces caſtanea boni ſaporis continentur, qua ad maturitatem perducta, excuſſo operculo decidunt & alimenta avidis mortalibus præbent. Sed hac aliaque recenſere longum foret.* Nec ligna ad ædificationem deſideres, eaque dura & ætatem ferentia, apta quoque ſtruendis navigiis & aquis minus pervia. Opificibus caret regio om-

Arbores & planta.

Pergit Duſsius.

omnis & funalibus canabinis & pice, non calce, non coćto lapide. Fabris uſus carbonum è ligno, non è lapide, quales noſtrates præferunt. Funes ex arborum corticibus torquentur in navium neceſſitates, ſupplente canabis defećtum Barbarorum induſtriâ.

Arces & munimenta Braſiliæ.

Iam militiæ vim, Arcium robora, ſitum, numerumque, navium claſſes aliaque imperii munimenta advertite. Reciffa imperantium, mercantium. adeòque belli ſedes primaria, armorum, commeatus, merciumque promaconda locuples, qua parte Olindam proximè adſpicit, duo ſibi Suggeſta caſtrenſia, cornutorum inſtar operum, prætendit. quorum alterum Lapideum mari portuique, alterum Terreum flumini oſtendit. utrumque intercurrens cortina & ſepimento tuta ſociat nećtitque. quam mediam porta aperit, exeuntibus & ſubeuntibus Reciffam. Suggeſtus Lapideus machinis bellicis ſeptem ex ære fuſili ſe tuetur. Terreus æneis quinque & binis ferreis terribilis, ad littoris interni & externi portuſque ſecuritatem facit.

I. in Reciffâ.

Sepimentum.

Reciffam univerſam munit ſepimentum validiſſimum, decenti vibrandis tormentis poſiturâ. hîc littora propter duo ſuggeſta attolluntur. unum propè pulveris pyrii domum, portui incubans. alterum vicinius adhuc. utrumque machinis ænea ferreaque inſtrućtum. Altero à Reciffa baliſtæ jaćtu,

Suggeſta militaria duo.

Arx S. Georgii cum propugnaculo. quà Olindam itur, in ipſo littore, Arx S. Georgii è lapide, ſublimi ſatis faſtigio aſſurgit, propugnaculo potens marmoreo & tredecim machinis ferreis in portus acceſſum intenta. Ex adverſo Caſtelli terreſtris, in ipſo mari, cernere eſt Caſtellum maritimum, *Caſtellum maritimum.* forma rotundiore, ſeptem machinis æneis formidabile, ad portus, oſtii, littorumque tutelam. Ejus jaculationibus expoſitæ ſunt, Reciffa, Arx Georgiana, Brunonis, & Reductus. Nec longè ab arce Georgiana conſpiciendam ſe præbet Arx Brunonis, quatuor propugnaculis & ſeptem machinis æneis munita, ſuo inſuper incluſa ſepimento. *Arx Brunonis.* Hinc pari intervallo abeſt Turris Caſtrenſis ſive Reductus, Dominæ Brunonis appellatione ſuperbiens. *Reductus Dominæ Brunonis.* quæ, ſua quoque ſepe circumdata, machinis geminis ex ære fuſili defenditur. Caſtelli Auſtralis collapſi reſtaurationi incumbitur, recipiendis præſidiariis viginti aut quindecim, ut civibus Olindæ adverſus vagum & populabundum militem pro receptu ſit. Caſtrum Wardenburgii Continenti adjacet, Salinas propè, quadrangularis olim figuræ, tribus nunc propugnaculis validum. *Caſtrum VVardenburgii.* nam quartum poni ſoli vitium prohibebat. Hoc cum hoſtium ſtratagematis oportunum crederetur, dejectæ cortinæ duplices & valli fuere, ea parte, qua hoſti acceſſus. nunc ex propugnaculis tribus turres caſtrenſes factæ, ipſis vallis ſublimiores, quibus impoſitæ machi-

machinæ æneæ arcendis hoſtibus. Erneſti caſtrum in Inſula Vazii eſt, ad latus Reciffæ Auſtralis, detragonum, foſſa latiore, ſepimento & propugnaculis munitum. Fluvium & terrarum plana tuetur, ut & recens hîc natum Antonii Vazii oppidum tormentis quatuor. hoc ipſum, qua parte Erneſti arcem aſpectat, apertum patenſque, reliqua ſui parte, qua Continentem reſpicit, altiore vallo clauditur, quem ob anguſtiam habitantium & fundi penuriam, ad Frederici uſque caſtrum proferri neceſſum fuerit. ut duobus hincinde caſtris Frederici & Erneſti incluſa Mauritiopolis, minus ſibi ab hoſtili inſultu metuat. impoſita illi tormenta ænea quinque. Frederici Henrici caſtrum pentagonum ſive quinquangulare appellatur, à numero propugnaculorum, ampliore foſſa & lorica & ſepe inſuper cinctum. cui ad robur acceſſit opus Cornutum duplex, majus minuſque. planitiem omnem æſtuante & inſurgente mari opertam, necnon cornutas iſtas munitiones ab hoſtium propiore acceſſu machinis octo æneis vindicat. In interiora progreſſis, ad ripam fluminis Capivaribi, quatuor turres ſive Reductus præmuniunt à longè Reciffam, remorando hoſti. quæ collapſæ jam nec integræ ultrà. In Afogadis Caſtrum Principis Guilielmi vallorum ſublimitate, robore, elegantia, & quadratâ forma conſpicuum, ſepimento adhæc & foſſa tutum,

II. In inſula Vazii. Erneſti caſtrum.

Antonii Vazii oppidum. Mauritiopolis.

Frederici Henrici caſtrum.

Quatuor Reductus.

Caſtrum Principis Guilielmi

aditus Vergearum (vox planitiem ſignificat) &, quæ in mediterranea ducunt, vias tutatur, tormentis æneis ſex.

III. *In Tamarica.* *Arx Auriaca.* Tamaricam Inſulam hæ arces defendunt: Arx Arauſionenſis ſive Orangia, ad oſtium portus Auſtrale, quatuor propugnaculis formidabilis, ſepimento ambîta, ob aquarum in foſſis defectum. machinis bellicis duodecim armatur, æneis ſex & ferreis ſex. *Civitas Schoppia.* Civitati Schoppiæ Arcem facit circumjecta templo & ſuggeſtui caſtrenſi munitio, quæ portum tuetur, ut à parte oppiduli Boreali, portam *Turres caſtrenſes.* Turris caſtrenſis. E ſuggeſtu vim minantur tormenta undecim, duæ æneæ, novem ferreæ. Eſt & alia turris quadrata, ad Boreale oſtium, quæ aditus tribus machinis ferreis propugnat.

IV. *In Parayba.* *Margareta.* *Reſtinga.* Paraybam defendunt Arces, Margareta, omni munitionum genere, foſſa, vallo, lorica validiſſima, quatuordecim machinis æneis in hoſtem ferox, ferreis quadraginta duabus: Reſtinga, ex arenis exſurgens, palis ſepta, machinis æneis quatuor, *S. Antonii Arx.* ferreis duabus in hoſtem inſtructa: S. Antonii Arx Borealis, mari ferè abſorpta, in Tur- *Frederica civitas.* rem terreſtrem ſepto & machinis ſuis tutam tranſiit. Fredericopoli Franciſcanorum monaſterium vallo cinctum pro Arce eſt, quam munitiones ſemilunares roborant, foſſæ, ſepes, & machinæ decem. Eſt & Turris hic caſtrenſis ad portus ſecuritatem.

V *In Fluminis Grandis* In Fluminis Grandis præfectura Arx Ceuliana mari imminet,

minet, munitiſſima ſitu & opere, & machinis decem æneis, ſedecim ferreis. Hæ Boreales Braſiliæ Arces. Ad Auſtrale Reciffæ latus, primum occurrit promontorium Auguſtinianum, ubi Arx Duſsii portum aſſerit machinis ſex, cui adverſus ſubitos hoſtium aſſultus, Caſtellum Domburgicum prætenditur. In portus aditu ad montis pedem ſuggeſtus eſt lapideus, è marmore, machinis tribus vim arcens, & impediendo navium acceſſu peridoneus. à tergo is patet, nec enim ea parte illum claudas, ob montes hinc inde prægaltos, quibus proximè adjacet. Portum Calvum, voce ominoſa *Boni ſucceſſus*, quod Arci nomen, tutamur. in faſtigio montis poſita, quadraginta pedum altitudine eaque præcipiti aſſurgit. robur addunt foſſa, ſepes, lorica, machinæque ſeptem æneæ, præter ferream unam & quas lapideas vocant, duas. Arx Mauritia Flum. Franciſci trajectum propugnat, in monte alto & acclivi exſtructa, quinque vel ſex ab Oceano miliaribus, ad ripam fluminis Septentrionalem. ab uno ſolummodo latere ad eam aditus. propugnaculis quinque, tormentis ex ære fuſili ſeptem valida, planitiem circumjectam, per æſtivos menſes aquis reſtagnantibus merſam, ſuæ poteſtatis putat.

Arx Ceuliana.

VI *In promontorio Auguſtiniano.*

Arx Duſsii.

Caſtellum Domburgicum.

VII *In Portu Calvo.*

Arx Boni Succeſſus.

VIII *Ad Flum. S. Franciſci.*

Arx Mauritia.

In Armamentariis apparatus bellicus reliquus hic eſt: pulveris pyrii pondo ſexaginta ſeptem millia. Fiſtulæ, (quas muſquettas vo-

Armorum in Armamentariis Indiculus

vocant) quinquaginta. glandeum plumbearum libræ millies ſexaginta. funium, adaccendendum pulverem, libræ millies triginta ſex. Balthei, è quibus capſulæ pulveris promæcundæ dependent, ducenti. fiſtulæ minores, ſive ſclopi in equitum uſus duodecim. ſilices pyritæ millies quinque. navales fiſtulæ in nauticorum uſus quadraginta. ut & acinaces ſedecim, bipennes octo, ſecures equeſtres centum & nonaginta novem. manuariæ mille & quadringentæ. falces ſilvaticæ centum. vehicula vehendis glebis octoaginta. vectes obſerandis portis tres. pendulæ quadraginta. pilæ majores mille & ſexcentæ, diſparis ponderis decies mille, trecentæ & quinquaginta. ſecures quinquaginta. ſerræ difformes c x. terebræ x. Aliorum utenſilium militarium inopes ſumus, qualia ſunt fiſtulæ aut bombardæ longiores, haſtæ, falcati enſes, tubæ, ligones, tympana, ſecures majores, mallei, matriculæ fundendis è plumbo glandibus, aſſeres, ad purgandos gladios requiſita, clavi omnium generum, limæ, aliaque. quæ poſtulata toties fefellere exſpectationem, & collapſas hic illic arces operaque invalida ſpectari, in cauſſa ſunt. Cibariorum penuria major, ut famis certiſſimæ metum reliquerim meis, niſi ſuccurratis ocyus. Erogatæ ſingulis ex mandato veſtro pecuniæ in victum fuere, pro muneris dignitate. ſed parcius tranſmiſſo commeatu, demen-

Cibariorum inopia.

ſa

ſa iſta dari ultrà non potuere. ut pecunias ex mercatu Nigritarum & Ingeniorum reditibus profectas, impendi neceſſe fuerit. Harum quoque defectu velut ad incitas redacti, ærisque in loculis, eduliorum in conditoriis indigi, indigenis ſeverè, capitis pœna, imperatum, uti farinam pecorumque quantum ſatis, alendis civibus ac præſidiariis in urbem apportarent, daræque in fidem ſyngraphæ fuere, quas poſtmodum ære redimerent. Sic NECESSITAS neceſſitatem trudit & rigida imperia extorquet tyrannus gula. Vix dixerim, quantis damnis hæc annonæ penuria Societatis æraria mulctaverit, quorum annuos reditus è vectigalibus & tributis ſola devoravit eſuritio. expoſitis ſummo diſcrimini Arcibus, quarum tutelæ, inter iſtas egeſtates, impares eramus. Profectò ſalutem publicam hoſtium potius negligentiæ, quàm curæ noſtræ imputare habemus. neque enim conſtat militi animus, languente corpore. nec validiore telo manibus tela excutias, quàm fame. FRVSTRA viros volumus, quos hominum ſorte vivere non patimur. Fallit D. D. veſtras proventus domeſtici perſuaſio, ut qui tantæ multitudini non ſufficit. Fallunt eduliorum miſſitationes per mercatores, quæ in Ingeniis magnis preciis diſtrahi ſolent & in locis mediterraneis. adhæc incertæ expectationis ſunt, quia arbitrariæ.

Militarium cenſus, per Braſiliam.

Militarium cohortium aliæ in præſidiis Ar-

Arcium habentur, aliæ per pagos diſtributæ agunt, ob faciliorem victum, & incertum, quâ littorum parte, claſſis Hiſpanicæ appulſum, etiam adverſus hoſtium in fines noſtros irruptiones. Arcem Mauritiam ad ripam S. Franciſci quingenti & quadraginta armatorum inſidêre, ſignis ducibuſque diſtincti. Alagoas ducenti & nonaginta tres. Camarigibam & Portum Calvum quadringenti & octoginta. Serinhæmum ducenti & quinquaginta, ſupra quingentos. Pojucam ſeptuaginta quinque. Panterræ molendinum ſeptuaginta novem, Promontorium S. Antonii ducenti & quadraginta. Arcem Duſſiam centum & ſeptuaginta. S. Amari territorium centum & ſeptuaginta. Moribecam centum & ſeptuaginta quinque. S. Laurentii pagum quadringenti & viginti duo. Arcem Principis Guilielmi in Afagodis ducenti ſexaginta tres. Frederici Henrici ducenti & triginta. Inſulam Vazii cohors prætoria. Erneſti arcem centum & octuageni. Reciffam ducenti & ſeptuaginta ſeptem. Brunoniam arcem centum viginti quinque. Olindam centum nonaginta tres. Iguarazam nonaginta tres. Orangiam arcem centum & octuaginta duo. Gojanam centum & ſexaginta quinque. Fredericopolim centum & unus. Margaretam trecenti & ſexaginta. Ceulianum Caſtrum octuaginta octo. Ad has copias à meo diſceſſu acceſſere è Zelandia, in ſupplementa miſſi

cen-

centum quinquageni. è Boreali Hollandia ſexageni ſex. Vt militum numerus omnis ſit ſex millium, centum & octoaginta. At Siaram dilecti è copiis milites quadraginta tuentur. Inſtructis munitiſque hac militum manu arcibus, nihil reliquum, vel ad invadendum hoſtem, vel ad defendenda curſoriis copiis adverſus claſſem Hiſpanienſem Braſiliæ littora. Sanè, niſi hanc diminuiſſet fatalis calamitas, patuiſſemus hoſti vim facere aggreſſo. Nam quo tempore hanc oram prætervecta Bahiam ſubiit, non is nobis erat militum numerus, ſed facta acceſſio adventu legionis Artiſoskianæ. Hoſti erant millies ter, quos recenti appulſu ex Hiſpania advexerat. conſcripti inſuper in Sanctorum Sinu ſeptingenti. quibus acceſſuri erant bis mille, quos Banjola Comes ducebat, & Braſilianæ gentis mille. Adhæc ſpes illi erat, fore, ut inter nos habitantium bina millia exuta fide Hiſpanis ſe adderent. Quibus certè copiis pares non eramus, utcunque contracto & corraſo undique milite, oppoſuiſſemus audaciam. Noſtrorum numerum, ut belli mos, auximus mendacio, comprimendis ſeditioſorum, ſi quid moliri animus eſſet, auſibus, & terrendo famæ ſtrepitu, quo bella conſtant, hoſte. Verùm ex quo in Sinum devenit, nihil tanto apparatu dignum edidit. Solum Vidalium & Magalhainſium duces cum modico agmine in pagos Braſilianorum immiſit,

ſpar-

ſparſis litteris, quibus Comitem Torrenſem, Sinus Sanctorum Gubernatorem prædicabant, animoſque impelli faciles infirmabant. Etiamnum circe Vergeas & Moribecam oberrant, & quia occultis viis de die, noctu notioribus vadunt, vix deprehendi poſſint. id unum negotii habent, quod pecunias Ingeniorum dominis extorqueant, obvium quodcunque diripiant, milites noſtros palantes armis exuant. at vetitum ſibi aſſeverant, incendiis ſevire in arundinum plantaria & vaſtitatem facere. Vagantur quoque paſſim, nulla Regis fide aut ſtipendio obnoxii, populatores Mulatæ & Nigritæ, magniſque diſpendiis affligunt incolam, ipſi latebrarum ſciti & elabi docti. Navium majorum & minorum, quas Braſiliæ portus, Sinus, littora habent, nomina, ut & nauticorum numerum ſyllabi exhibent. Vt ſua Braſiliæ ſecuritas, Societati utilitas, Reipub. omni decus perpetua ſint, neceſſum fuerit abſque cunctatione mitti naves & nauticos, arma & commeatum, militem & veſtimenta. quæ cuncta aſſerendis imperiis faciunt. omnium egeni, deſideriis omnia complectimur. nec ſperari victoria poſſit, vel navalis vel terreſtris, abſque iſtis adminiculis. inermes vecordes, armati audentiores ſumus. Quantum æris ſit debiti, quantum in Officiales expenſi, docent rationaria. Vberiorem longè præſentis anni, quàm elapſi fuit, meſſem ex-

Navium cenſus.

ſpe-

ſpectamus. Illud querelis inſeram, navium plurimas invalidas & quaſſas non ferre pelagus; eas, quas mittitis, ſtatim ab appulſu commeatus egere. quem ipſæ copioſum, recens è patria miſſæ, ad vixiſſe debebant; alias, ob navalium ſociorum inopiam, militis noſtri egere, ad navales operas. Nondum omnia dixi. ambulat malè veſtitus miles, vix adverſus pudorem amictus. Et licet horridum non averſemur, nec unguentatum poſcamus; at honeſtius tectum velimus. cum non ab armis ſolum decôris, ſed & ab habitu & cultu corporis, animos ſumat, Quamobrem ex honore & re fuerit Societatis, ſi veſtes & fomenta iſtiuſmodi elargiatur ipſa. cum precia, non abſque lucro, ſtipendiis decîdere promtum ſit, Nec ægrè ferunt Martis filii, iſtud fieri, cum ſtipendii integri ſolidique compotes facti, tantæ felicitati impares ſint, & ocii fortunæque prodigi popinis ac comeſſationibus æra inertes deterant; vel victâ, ut putant, paupertate, in patriam ad ſuos abituriant. At omnium maximè infeſtam Bahiam experimur, ut unguem, in benè habito corpore. terras graſſatoribus, maria navigiis tenet. quod facilè ipſi, ob portus & Sinus ubique obvios. ut, ſtante hac Carthagine, nulla ſit futura nobis à bello requies. Hic colophon addendus tot triumphis, hoc Caci antrum & maleferiatorum latibulum expugnandum Sociis. hîc laborum

Querelæ de malè inſtructis navibus.

De malè veſtito milite.

De Bahia.

rum apex fuerit & ſumma. Verùm iſta auſuri magnis adjumentis egent. neque enim fortunæ ſolum beneficio juvantur, qui pugnant, ſed manu & robore. Ad ejus expugnationem, opus exercitu millium quinque, probatæ militiæ & fiduciæ. Hos hîc in Belgio ſcribi ſuaſerim, & ab armis idoneis inſtructos transmitti, ut addi illis poſſint Braſilienſis militiæ & locorum iſtic gnari. Quo verò terrorem mari quoque circumferamus, naves requiſiverim majores octodecim totidemque Liburnicas, navalibus ſociis armiſque validas. Has in Braſiliæ littoribus ſtare cupiam, ſub Autumni initium, ut menſibus Martio & Aprili, quibus quies eſt caſtris, ob perpetuos imbres, vel ſacchara in patriam tranſvehant, vel in Occidente fortunam inſigni aliquo facinore demereantur. Etiam minorum navigiorum egemus, lemborum, ſcapharum, vectoriarum, onerandis & exonerandis majoribus. quæ annorum plurium decurſu attritæ, luxatæ fractæ, vel merſæ etiam caſu, periere. Ærarii ea eſt inopia, ut niſi præſentiſſimis pecuniis refocilletur, rationum metuenda ſit conturbatio. Sacchara, niſi præſentario ære, vendere detrectant Ingeniorum Domini, veriti, ne adventu claſſis Hiſpanicæ migrandum ſit emptoribus Belgis, & ſic peritura ſint debiti nomina. Hæc ferè ſumma illorum eſt, que promptus conſilii animique Duſſius, apud Potentiſſimos

De minoribus navigiis.

De ærario.

Ordi-

Ordines, Principem Auriacum; & XIX-viros ſcripto expoſuit.

Verùm antequam turbata magnis Claſſibus maria & celeberrimos navales conflictus referam, libet amœnioris argumenti narratione edulcare lectorem, illorum exemplo, qui in menſis ferinæ vervecinam interponunt & ſolidioribus ferculis bellaria. Fuit olim & eſt etiamnum erectioribus Ducibus & Principibus hoc ſtudium; non ſolum claris in hoſtem facinoribus belliſque extendere gloriam, verùm etiam illa ipſa belli tempora honeſto otio diffindere & Operum illuſtrium oſtentatione magnificentiam explicare. Fecit idem Naſſovius, & prorogato imperio, inter tot negotiorum onera, primùm condendo ſibi Palatio, inde & Pontibus duobus occupari voluit. illo in ſuos magis uſus, his in publica commoda. Iniquus in Superiores ſit oportet, qui dignationis fulgore & ſtirpis magnitudine ſupra vulgarem ſortem poſitis, ſpiramentum aliquod laborum & delectamenta invideat. ea præſertim, quæ ab auguſtiore domo, à viridariorum amœnitate, ab arborum, herbarum, picturarum multiplici elegantia petuntur. Habuit Roma architectos, habuit agricolas Orbis victores. quorum manus una in agris & villis fuit, altera in caſtris & vallis. Curios innuo & Auguſtos, Fabricios & Lucullos, Pompejos & Marcellos. Et ſanè ſolet ædi-

ficiorum ſplendor & apud cives domi & apud exteros, maximè hoſtes, potentiæ ſpeciem præbere. ut apud Thucydidem diſſerit Alcibiades. Nec refert, dignitatem ornari domo, modò non ex domo tota dignitas quæratur, & magis domus domino, quàm hic illa honeſtetur. Secus lapides ſaxaque, ſigna, aulæa & omnia potius, quàm ſeipſos viſendos efficiunt. nec divitiæ ipſis in decus, ſed opprobrium fulgent. Erat eâ terrarum parte, quam Antonii Vazii inſulam vocant, à priſtini poſſeſſoris nomine, area, ingenſque fundi ſpacium, Erneſti arcem inter & Triangularem, fluminibus duobus, Capivaribi (appellatio à Capivariis amphibiis porcis eſt, quorum frequens in hoc flumine captura,) & Biberibi interceptum. planities horrida, inculta, nullis arboribus, nullo frutice induta, ſordebat ſitu. In ulteriore Capivaribi ripa collis eminebat, nociturus urbi per belli tempora, ut quæ nullo hac parte cincta vallo, hoſtium injuriis opportuna patebat. Non ſemel Supremi Concilii Senatoribus id conſilii dederat Comes, ut vallo Arces iſtas tutandæ Areæ committerent. at non perſuaſerat, ob grandiores ſumtus. QVOS cavere, cum uſus eſt, frugalium quidem eſt & mercantium. ſed non imperia in hoſtico parantium, Viſum nihilominus Comiti, ne nuda Area objectaretur hoſtili offenſæ, arborum conſitione obumbratam oculis eripere, tum, ut

Thucyd lib. 10.

Naſſovius hortum in Inſula Vaxij condit

Hæc confecta fuere An. CIↃ IↃ C XX XIX. *& ſequentib.*

ut ab earum fructibus civis mileſque, duris temporibus, alimenta ſolatiaque caperent, tum ut ſecurior eſſet habitantibus iſta ſtatio. Etenim fuere tempora, quibus negato, ob fluvium, in Reciffam aditu, civium trecenti ultra fluvium progreſſi, carpendis malis aureis, ad internecionem penè cæſi, neceſſitatem domeſticæ annonæ ſerò diſcerent. Quare, ne gravis eſſet ærario Naſſovius, nec minus conſuleret publico, mercatus ſuo ære fundum hunc fuit. quem non amœnitati ſolum, ſed & ſuæ & ſuorum valetudini ſimul ac ſecuritati dicaret. Hæc tunc otia placuere à negotiis publicis feſſo. Hac ruſticatione vacivas horas diſtrinxit optimus Imperator. ut quoties Reip. non liceret, naturæ contemplationi vacaret, & poſt belli ſtrepitus, de bello hac in pacis ſede cogitaret. Et ſanè proceſſere feliciter operæ, & peractus labor admirationi ſpectatoribus fuit & voluptati. Id, quod olim ſubſecundariis temporibus agebat Diocletiannus Imperator, ipſe areolos in horto partitus culturæque & arborum plantationibus vacans. Ædificium eâ curâ à Comite fuit, ut ſpectata ſalubritas fuerit, curata tranquillitas, parta loco ſecuritas, neque neglecta hortorum amœnitas. Etenim is ordo in digerendis arboribus obſervatus, ut undique Arcium & Suggeſtorum tredecim patrocinio tuta eſſent viridaria. Surgebant Cociæ ſpectabili ſerie ſeptingentæ, pro-

Q ceriores

ceriores aliæ, aliæ humiliores, quarum quædam caudicem attollebant quinquaginta, quædam quadraginta, quædam triginta pedum altitudine, priuſquam ramorum attingeret divergia. Has, cum transferri non poſſe omnium eſſet opinio, ſcitè effoſſas, petoritis, trium quatuorve miliarium ſpatio, vectari & pontonibus trans fluvios deportari in Inſulam juſſit. translatas, non labore ſolum ſed & ingenio, excepit amica tellus, eaque fœcunditate, præter omnium ſpem, implevit annoſas arbores, ut primo ab inſitione anno, mira naſcendi aviditate, fructus dederint copioſiſſimos. Iam ſeptuagenariæ & octogenariæ erant, veterique proverbio fidem imminuêre, Arbores annoſas non eſſe transferendas. Illud ſingulare, è ſingulis tantum fructuum proveniſſe, ut octo imperiales valerent. Poſt Cocias, ſuus locus erat ducentis & quinquaginta duabus Aurantiis, præter ſexcentas, quæ aliæ aliis decenter junctæ, pro ſepimento erant, & fructuum colore, ſapore, odore, delitias tot ſenſibus faciebant. Erant, limonum grandiorum feraces, numero quinquaginta & octo. quæ citria dulcia ferrent, octodecim. quæ granata aut mala punica octoaginta. quæ ficus, ſexaginta ſex. Adhæc ignotæ terris noſtris Papajæ, Mammaæ, Ienepapæ, Mangaræ, Calabaſſiæ, Acajouſiæ, Ovaſiæ, Palmæ, Ceraſi Braſilianæ, Pyri Punicæ, Aratucæ, Sempervivæ,



A. Fluvius Bibaribi.
B. Friburgum Palatium Comitis.
C Stabulum.
D Arboretum ex Cocis alyſq; arborum generibus.
E Porta Palaty.
F Caſtrum Erneſti.
G. Coenobium.
H. Caſtrum Waerdenburchy ſyue Triangulare.
I. Curia Supremi Senatus.

Bacovæ, ſive Bananes. Cernere erat Tamarindos, Caſtaneas; Dactylos quoque ſive caryotidas, Vineas, ſingulis trimeſtribus, maturis uvis graves, herbas, frutices, humi naſcentes fructus, legumina, aliaque hortorum decora, ad Medicorum & Chirurgorum uſus. Is pleriſque dictarum arborum genius eſt, ut toto anni decurſu & florem & maturos fructus, juxta immaturos, oſtentent, quaſi una eademque arbor, alia atque alia ſui parte, pueritiam, adoleſcentiam & virilem ætatem ageret, herbeſcens, adoleſcens, adulta. His ſucceſſibus, hac naturæ benignitate lætior Noſſovius, cum jam Reciffam omnem abſconderet eminus ſpectanti hoc Arboricetum, ſubiit animum voluptas condendi hîc Palatii & Prætoriæ domus. cum dignè habitare ament Heroicæ & Dictatoriæ animæ, & à multitudine non dignitate ſolum & habitu, ſed & domicilio diſcerni. Nam, quam illi Domum deſtinaverant Societatis primores, ruinam minabatur; nec ſine maximis impendiis nova decora admittebat. Palatio, (FRIBVRGO illi nomen, tanquam libertatis Arci) turres erant duæ ſublimiores; in Viridarii meditullio, ſex ſeptemve miliarium intervallo è mari ſpectabiles. quæ pro Pharis ſunt navigantibus. Ea, quæ lucernam igneſque è ſublimi faſtigio protendit, id officii præſtat nautis, ut conſpirantibus in navigantium oculis Caſtelli littoralis angulo & hac ipſa

Vt & Palatium FRIBURGVM.

Friburgum duabus turribus conſpicuum.

Turri, certam tutamque monſtret portus ſubitionem. Ex his deſuper ſpectanti, hinc Continentis plana, inde longè latéque maria patent & adventantes è longinquo rates apereunt. excubiis idoneæ & ſpeculandis de die prædonibus, hac quoque utilitate ſtructuræ elegantiam & neceſſitatem commendant. Ipſi Palatio prætenditur Suggeſtus militaris, velut ex ipſo emergens flumine, marmoreus totus, & machinarum decem capax, ad fluminis ſecuritatem. Nec ſilentio præterierim, in hoc Viridario puteos dari, trium aut paulo plus virgarum noſtratium intervallo à fluminibus remotos. qui ſalſis aquis circumfuſi, dulcis aquæ copiam incolis præbent. ſive ſoli obnixa firmitas ſalſas aquas arceat: ſive percolatæ per terram, ſalſedinem exuant: ſive altiore, quàm eſt fluminum, vado ſcaturiant. maximus iſtorum uſus, cum per hoſtes circumjectos dulces latices foris peti nequeunt. at quod magis mirere, longius à littore in mediterraneis, puteos invenias, ſalſis aquis diſſimiles. Idem Hortus piſcinas habet ampliſſimas tres, omni piſcium genere inſtructiſſimas, præſentiſſima civium, deficiente annona, ſolatia. Primo trimeſtri, ex quo effoſſa fuere vivaria, tam copioſa piſcium captura fuit, ut vix tres ſcaphæ ad vecturam ſuffecerint, præter eos, quos militum deſideriis indulſit Comitis liberalitas. Sunt & aliæ, in collimitio horti, piſcinæ, in ipſo

flumine,

flumine, ſepimentis incluſæ. quæ, æſtuante mari, ingentem piſcium vim ſuppeditant. non ſemel accidit, ex una capturâ rediiſſe ad dominos florenos centum, ubere ſatis quæſtu. Fulget nitetque etiamnum Friburgum, Inſulæ Vazianæ præſidium, civium delicium & voluptas, Naſſoviæ magnitudinis in alio Orbe perenne monumentum. Vtique mirum, quàm hæ ſtructuræ & ædificia Luſitanorum fiduciam labefactaverint, noſtrorum verò auxerent, benè de imperii hujus ſtatu opinantium. quem tantis impenſis & quidem ſuis illuſtratum iret Naſſovius. Etenim DESPERANTIBVS publici negligentia ſubit, & quam fato ſuo affinem ac perdendam conjectant rempub. perdi abſque cura ſinunt. Quos dejecerat de claſſis Hiſpanicæ adventu concepta trepidatio, metum proſcripſere, ædificante Naſſovio, ut cujus jam maximè intereſſet, ne quid Braſilia detrimenti caperet. Alacrius ex eo molarum fabricis, taliesque tum ſacchariferis, tum Mandiocæ inhumandis, incubitum fuit. erigente omnium ſpes & nequaquam de Rep. deſperante Imperatore. cui, ob hoc, ut Varroni olim Romana, noſtra quoque gratias debet Reſpublica.

Inſulam Antonii Vazii, Frederici caſtro quinquangulari, vallo annexuit. quod ſpacium omne ſtagnis interfuſis & arbuſtis horrebat, ut ſupra humanam fidem fuerit, urbem illic condi poſſe. At nunc conditam eſſe, *Vrbem Mauritiam a ſuo nomine condit.*

Naſſovii induſtriâ, oculati credimus. utpote cui ingenium & audacia erat, etiam quæ natura prohibuiſſet, per artem & labores tentare. Plateis ſuis & aquæ ductibus, urbium more, diſtincta, ædificiis ſpecioſis & à mercium conditoriis inſtructa habitatur. Illi publica Supremi Concilii, Prætoris & Scabinorum authoritate, MAVRITIÆ inditum nomen, uti Alexandriæ ab Alexandro, Conſtantinopoli à Conſtantino, Coloniæ ab Agrippinâ conditoribus. Illud à pietate fuit, quod condito in ea templo illuſtriore, Societatis, privatorum civium & Comitis largitione, Deo urbis primordia, ſtudia fortunaſque populi conſecraverint. Hæc cis fluvium Capivaribi magnificentiam Comitis loquuntur. ut & BOA-VISTA, quaſi dicas, domus *Boni viſus*, ob ſitus amœnitatem. nec enim alibi voluptates, cum vacaret, & quoties expediret, hîc præconcepta magnorum auſuum argumenta fuere.

Etiam Pontes duos.

Pontes inſuper poſuit duos, unum Reciſſam inter & Mauritiam, alterum, quo fluvium Capivaribi inſtravit, Mauritiam inter & Continentem. Nec enim à Veterum militia abludimus, cùm & duobus pontibus in Galliis Ararim, in Germania Rhenum inſtraverit Cæſar, Danubium Trajanus Imperator. Cauſſæ hæ fuere. Regnante Hiſpaniarum Rege, cum Braſiliæ imperium teneret Præfectus Albuquerquius, deliberatum ſæpè,

num

num expediret Olindam longiusà portu mariſq; e aditu remotam, negligi, incolaſque in Reciffam & Vazii inſulam transferri cui fini Inſulam necti Reciffæ perutile foret. cum & fluminum circumlabentium opportunitate & Oceani appulſu invicta hæc loca crederentur. Verùm, ſive imperitia militaris architecturæ & muniendarum arcium, rem tantam aggredi timentibus, ſive amœnitate civitatis Olindæ abreptis, hæſere uſque conſilia, nec eventum ſortita fuere. Diſſuadebant Luſitani, quibus iſta terrarum connexio impoſſibilis videbatur. ob fluminis & æſtus marini violentiam. Horum opinioni acceſſere Architecti peritiores, ex Hiſpaniis accerſiti. Verùm, ex quo rerum hic potiri cœperunt terrarum & aquarum ſubactores Belgæ, & belli ſedem eligi Reciffam placuit ac Vazii Inſulam, patuit excidio ſuo pulcherrima Olinda, & veluti fatis damnata, flebilis apparuit. Dejecta, non belli furore, ſed cōſilio, ædes, monaſteria, Templa, ruinæ ſuæ illachrymavére. Nec ſacrilegia hæc, uti Phocenſium in templum Delphicum furores, viſa noſtris, ſed tranſlatio ſacrorum fuere: mirantibus quamvis & Barbaris & Pontificiis, talia admittere ingenia omni doctrina exculta, pulcherrimis legibus formata, & de divino cultu perſuaſiſſima. Belgæ, quibus omnis locus æquè adorationi idoneus ſacerque habetur, non impietatem hoc omne,

Deſtructio pulcherrimæ urbis Olindæ.

ne ſed prudentiam interpretabantur. ut qui Novæ urbi ſacriſque ſuis ſecuritate maiori conſultum cupiebant, nec in Deum (abſit) eſſe injurii, ſed tutius eundem & utilius venerari. Nec tamen non, ut homines ſumus & pulchro afficimur, miſerari urbis anguſtæ vaſtationem poterant ipſi, qui vaſtabant; ſubrutis ex alto & deturbatis ædiū ſacrarum & profanarum, publicarum & privatarum faſtigiis, quæ Solis veſpertini radiis, gratiſſimo adſpectu, verberabantur. Et nunc ſi videas, collapſa jures Pergama, aut ſubverſæ Carthaginis aut Perſepolis rudera fœdo ſitu jacere. ADEÒ nihil in humanis ſtabile permanenſq; ſinit vel inquies ratio vel belli rabies, ut ne ſaxis quidē & Capitoliis & ſurgentibus in cœlum Baſilicis, ſua ſit perpetuitas & quies. Magnæ Vrbis reliquias & rudera precio venalia in Reciffam quiſque tranſtulit, noviſque ædificiis aptavit materiem. ut abolita matre Olindâ, ſupereſſet à ruderibus, licet diſpari vultu, filia *Mauritiopolis*. Non defuerunt, opinor, tantæ calamitatis authoribus cauſſæ, cur ſubverti Olindam placuerit. ne fortè latibulo eſſet hoſtibus, aut quia multo milite cuſtodiri valliſque muniri oportuit. Secus parcere ſolent pietas & humanitas iis rebus, quæ ad bellum faciendum non multum habent virium. Polybius certè rabioſorum eſſe ait, ea

Ex ruderibus olindæ naſciturMauritiopolis.

Lib. v.



A. Aula Comitis.
B. Caſtrum Erneſti.
C. Curia.
D. Templum Gallicum.
E. Armamentarium.
F. Navium extruendarũ area.
G. Caſtrum Frederici: Henrici.
H. Suggeſtus lapideus oppoſitus tranſitui per Gallicas anguſtias.
I. Arbuſtulum.
K. Moles exſtructa ſubeundo per ur: bum flumini.
L. Pons Maurity.
M. Caſtrum Wardenburchi.


fol.248.
MAVRITIOPOLIS. RECIFFA ET CIRCUM IACENTIA CASTRA.
Pagus Braſilian
Paludes
Salinæ
Caſtrum Dⁿⁱ Brunonis
Caſtrum Brunonis
Fl. Beberibe
Villa
Caſt. Waerdenburch
Caſtrum in maritim
Domus Comit.
Portus
Fl. Capibaribe
Reciffa
Palud.
Mauritiopolis
Caſt. Fr. Henrici.
Agger in Afoga duce.
Amelia
Fl. Afogadorum
Caſt. Princ. Gulielmi.
MARE.

ea perdere, quæ nec hoſtem perdita diminuunt, nec perdenti emolumento ſunt. Et laudat Marcellum Cicero Verrina II. quod ædificiis omnibus Syracuſarum publicis & privatis, ſacris & profanis ſic pepercerit, quaſi ad ea defendenda cum exercitu, non expugnanda veniſſet. Familiare Græcis & Romanis fuit, intacta ſervare Deorum delubra, ob rerum divinarum reverentiam. Quo magis à Chriſtianis hoc exigas, licet ſententiis opinionibuſque ac ritibus majorum diſſideant. Sicut IVCVNDVM victis eſt, ea loca ſpectare integra, quibus Numen ſuum colere aſſueverant; ita victoribus decorum, ea furori eximere, quæ Dei ſunt. Hoſtis oportunitates Reciffæ & Inſulæ Vazii edoctus, ob portus & flumina, ſtratagemate Reciffam antehac tentaverat. illud non neſciens, propter interlabantem fluvium, non poſſe ex Inſula Vazii ſubmitti auxilia, præſertim refugo mari, Littora & propugnacula prætergreſſus, propè erat, ut incautos occuparet, niſi fortè navalium aliquis arrepta ſude præuſta, accenſam machinam in hoſtem exploſiſſet. quo ſtrepitu turbatis hoſtium ordinibus in fugam ſe dedére. Mauritius, ſæpius exploratis Braſiliæ portubus & locis innumeris, ubi appulſus, & in quîs præſidium ac robur, unum hunc defenſioni ſuæ ſufficere judicabat, & inacceſſum inexpugnabilemque non magno opere reddi poſſe. Vt talis

Rationes propter quas Inſulam Reciffæ jungi placuit.

eſſet, ponte jungi Inſulam Reciffa ſuaſit, quò commodior eſſet ſaccharorum in Inſulam tranſvectio, ut quæ non niſi refluente mari transferri poterant. nec ſine noxa, utpote ab aquis ſæpe & fluctuum aſpergine tacta. Erat adhæc trajectus per lintres periculi plenus, quos non ſemel vectorum pondere & frequentia, vel ventorum verbere mergi contigit. quin & abſtinendum ſæpè à trajectu fuit, ob procelloſum mare, & turbata tempeſtatibus oſtia, & iniquiorem æſtum. Quæ ſuaſerat frequenter, tandem perſuaſit, decretumque ponte ſterni fluvium. Operis fabricam locavére Senatores bis centum & quadraginta floren. millibus. Architectus opus orſus & ſuorum operas gnaviter urgens, exſtructis è lapide columnis pluribus, ad fluminis alveum proceſſerat, ubi maxima profunditas. quæ remiſſo mari pedum adhuc Mathematicorum undecim deprehendebatur. Tunc diffiſus ſibi, diffiſus arti, deſtinata exequi deſperabat. naturam arte validiorem faſſus, nec tentanda prudentibus factu impoſſibilia: vix divina ope poſſe id perfici: è profundo attollendas moles in maximam altitudinem; non quietem fluminis impetuoſi lapſus, non Oceanum dare. qui quò arctius ſtringeretur, acrius fureret. Fluvium præcipitem admodum & violentum ac nonnunquam imbrium mole comitatum, ripas longius ſubmovere, & ubi anguſtior eſt, ibidem fero-

Reciſſam Inſulæ ponte iungit Naſſovius.

ferocem eſſe & vorticoſum. Quæ profectò cuncta præmeditatum antè Architectum fuiſſe oportuit. Inhibendo operi ii frigidam ſuffundere, quos metus inceſſerat, nec vanus, ne jacto ponte tranſmigrarent è Reciffa in Inſulam amœniorem plures, unde prætia ædium in Reciffâ imminuerentur. Quærelæ adhæc Belgarum litteræ, ejus Operis autorem Comitem loquebantur, & tantorum ſumptuum laborem publico periiſſe: abſorpta aquis, inutili ſtudio, centum florenûm millia; interrupta opera, ſemipendulum pontem, columnas tot exprobrare vana aggreſſis. Itâ non ſine ſpecie queri videbantur, QVI PRIVATIS rationibus aſſuefacti, res imperio dignas & utiles eodem pede metiri conſueverunt. neſcientes Principum diverſam eſſe ſortem, quibus præcipua rerum ad famam dirigenda. Mauritius honoris ſui intereſſe arbitratus, audere ſe, quod non perficiat, & infirmi eſſe ingenii, unius deſperatione ſummæ rei diffidere, manum operi admovit, & ſuo ære congeſta undique materiâ, non lapide, ſed lignis, pontis reliqua fulcire occœpit. Exciſæ è ſilvis arbores, ex arboribus trabes fuére, pedum quadraginta & quinquaginta longitudine, ob duritiem aquis impenetrabiles, quas pontis ſublicas & fulcra eſſe voluit, fundoque fiſtucarum opera defigi, ad pedes duodecim, alias ad perpendiculum directas, alias obliquas, ut flumi-

mini obſequerentur. Accendit alacritatem fabricantium alacritas Comitis. nec ſegnes videri voluere, ipſo hortante & inſtigante, operaſque ſingulis partiente, ea induſtria, ne alter alteri impedimenro eſſet. Bimeſtri labore conſummatum opus fuit, totuſque pons, in multas decempedas excurrens, hominibus, curribus, equis, viam fecit. Ita NIHIL difficile audenti, juvante induſtriam pertinacia, hanc labore, hunc facili largaque liberalitate. Abſoluto, omnium admiratione, opere, aperuit Senatoribus Comes facti cauſſas. quarum inter primas præcipuaſque erant quorundam è Belgio improperia, impenſas grandes inutileſque objectantium. delendam hanc ſibi culpam ajebat, cum non temerè hæc, ſed rationibus maximis adductus cœptaviſſet. Senatores, quod improbaverant infectum, (id enim in magnis fieri aſſolet) jam ſucceſſu probavére, & ut pons hic juris eſſet publici & Societatis proprius petivére. Nec difficulter à Comite id impetratum, hac tamem lege, ut primi diei reditus pauperum eſſent. Tanta verò, ob rei novitatem, eo die euntium & redeuntium frequentia fuit, ut collectæ pecuniæ ſumma ſexcentorum & viginti florenûm fuerit. Annuum vectigal viginti octo floren. millibus divenditum. civis juſſus aſſes duos pro tranſitione, miles & Nigrita unum, eques quatuor, boum vehiculum ſeptem pendere. Traje-

ctus

ctus navalis, qui ante Naſſovii adventum, non niſi florenorum centies ſex ærario inferebat, adeò ſui precio crevit, ut nondum abſoluto ponte ſexies florenorum mille valuerit. quo ſanè opimiore reditu, redemi poterant, in novi pontis experimentum, facti ſumptus. Hoc adverſus invidiam & calumniam ſtante, deceſſere, in Societatis commodum, de mercede condendi operis, quæ ex condicto bis centies mille & quadraginta mille florenûm erat, centies & duodecies mille floreni. Enimverò erogatis in pontis partem lapideis columnis innixam florenis centies mille, in eam quam abſolvit Comes ſubliciam, non niſi vicies & octies mille, in lucro ſibi deputare, habet Societas, quod à primâ mercede reliquum eſt, florenorum centies & duodecies mille. Nec deſtitit utilis eſſe Societati Naſſovius, verùm indefeſſus agendo, ut hujus pontis reditus invaleſcerent, alium adhuc pontem condi fecit, quo fluvius Capivaribi tranſiretur, ut è Continente incolæ in Inſulam, ex Inſula in Reciffam continua & non impedita itione & reditione commearent. Hunc ſuo fundo, quem à Societate mercatus fuerat, ſuperſtruxit, ageribuſque muniit, ne ſuperfuſæ ripis fluminum aquæ, aut turgeſcens Pleniluniis & Noviluniis Oceanus ſiſterent viatorem. Abſolutus fuit feſtinis operis ſeptem hebdomadum ſpatio. Sublicia validè con-

Alium pontem condit, quo Inſulam Vazii Continenti nectit.

ſibu-

fibulata & fiſtucis altè depacta, è Bibaraba fuere. ligni genus eſt, in ætates durabile, putreſcere neſcium. longitudo pontis virgarum Mathematicarum LXXXVI fuit. Imminet huic Domus iſta, ad omnem amœnitatem parens, BOA-VISTA. quam ſuo ſolo, ſuo ære inædificavit Comes, hortis quoque & piſcinis delectabilem. Hanc quotquot contemplati fuere, Bajanas in Campanis villas, & Lucullanas in Latio poſthabebant. Hîc naturam matrem congeſſiſſe mortalium delinimenta omnia & illecebras ſerenioris vitæ perhibebant. non alio loco æquè oblectamenta reperiri occupatiſſimis. Hîc Naſſonius remiſſior, circumfuſus ſuorum operum adſpectu, longè à patria & tot cognatorum Comitum & Principum terris, tranſmarina felicitate gaudebat. intuebatur aſtra, nunquam viſa Germaniæ ſuæ. mirabatur aëris clementiſſimi conſtantiam & temperatæ zonæ, qua vixerat, intemperiem averſabatur. uſurpabat oculis prætereuntium Barbarorum & Nigritarum aduſtos vultus. alia arma, alias domos deſpectabat. Videbat Corydones & Phyllidas ſimis naribus, pandis labris, uberibus pendulis ducere armenta & greges Europæis diſſimiles. aliud volucrum, aliud piſcium genus prandenti menſas inſtruebat. Hinc oculos per ea maria circumferebat, quæ claſſibus inſidebat; per terras, quas imperio, armis, legibus aſſerebat, Hîc Bahiæ

BOA-VISTAM *condit.*

bel-

bellum, prædatoribus pœnas, adventanti Claſſi terrorem, ſuis otia & commoda meditabatur & mandata Societatis prudentibus conſiliis temperabat. Breviter, cœli, ſoli, aërique multiplex beneficium, Rempublicam, hoſtem, Barbaros, Belgas, Fœderatorum decora & emolumenta Boa-viſtæ ambitu meditabundus coërcebat. Fuit in hac Vazii Inſula, uti Domus, ita & Cimeliarchium Comitis, in quod venientes ex utraque Indiâ, Æthiopiâ, aliiſque regionibus naves, animalia peregrina, plantas, barbarorum ſupellectilem, veſtimenta, armaque in amœnius & rarius Comiti ſpectaculum conferebant. Sæpè jacturam dominis faciunt operoſiores ſtructuræ, & imprudenter facta opera impenſas fruſtrantur. Verùm Boa-viſta, non ad oblectationem ſolum, ſed & tutelam Inſulæ & Mauritiæ urbis condita, ponti proxima imminebat, & è quatuor turrium ſpeculis baliſtarum jactu adventantem hoſtem terrebat.

Comes ob appulſum claſsis Hiſpanicæ munitioni Arcium paſsim invigilat.

At Naſſovius poſt abitum Artiſoskii, litibus domeſticis, quæ privatum maximè tangebant, expeditus, curas terra marique circumferebat, & in ſubitum fortè Claſſis Hiſpanæ, quæ in Sinu omnium Sanctorum morabatur, adventum, maritimis arcibus & mediterraneis paſſim proſpiciendum rebatur, ne quà appelleret Hiſpanus & incautis ſuperveniret. Paraybam ipſe profectus, reſtaurari mu-

munitiones & collapſa propugnacula imperavit, & quicquid ad præfecturæ iſtius tutelam faciebat, ſedulò diſpexit. Caſtellum Margaretæ ſudeto muniit, ob exſuccas foſſas, quas collabentes arenæ, lambentibus & abluentibus ſicca aquis, repleverant. Etiam arcem Reſtingam quæ portui objicitur, ſimili ſepimento incluſit. At Boreale caſtrum reſecto propugnaculo in turrem caſtrenſem coarctavit & tribus tormentis inſtructam terribilem fecit oppugnantibus. In Inſula Antonii Vazii tria tribunalia erecta in Opere cornuto, portandis machinis. Caſtellum inſuper Arauſionenſe in inſula Tamarica, & aliud Erneſti, in inſula Antonii Vazii & Principis Henrici ibidem, necnon Principis Guilielmi in Afogadis, itidem ob aquarum penuriam, palis circumdatum defendit, ut & ipſam Reciffæ frontem. Factum id quoque per Herckmannum, ad Caput S. Auguſtini, ubi Arx Duſſiana eſt, per tribunum Coinum in portu Calvo, ubi arcem Bonaventuram ſive boni ſucceſſus imbres vehementiores nimbique abluerant & non uno loco dejecerant. Reſtituta quoque Olindæ ad Auſtrum munitio, ne evocatis præſidiis, pateret urbs prædonibus. Facti militum ubique delectus, & ſub novis centurionibus, procenturionibus, vexillariis ordinatæ copiæ, ut neque militi duces imperio, neque ducibus miles benè ordinatus obſequio deeſſet. Miſſæ

naves

naves aliquot, quæ inſidiarentur iis hoſtium navibus, quæ è fluvio Argenteo & Ianuaii annonam advectare credebantur. Et ne noſtros commeatus deſtitueret, vetitæ evectiones carnium ſalitarum, laridi, butyri, caſei, piſcium induratorum, farinæ, olei & vini Hiſpanici, reliqua cibariorum genera conceſſa iis, qui Ingenia inhabitant, alendis operariis. Accîtos circumquaque Braſilianorum duces & primores ad belli Societatem apta oratione Naſſovius invitavit: *De omnium ſalute jam agi. pari ultione Barbarum & Belgam, indigenam alienigenamque terreri. hunc ob veteres iras, illum ob defectionem & præbita Belgis auxilia, non gratiæ ſibi ab Hiſpano tantillum, ſed certa exitia promitterent: diſcerent, non offendi reges impunè: in exemplum puniendos, qui arma hoſtibus ſpreto Rege commodaverint: diffidentiam ipſis ſalutarem, ſpem veniæ pernicioſam fore; communi ſe potius fato morituri involverent, quàm æternū ſervirent. Intereſſe quoq; famæ ipſorum* ajebat, *ſi rebus dubiis audirent fidi, non ſuspenſi nec mobiles: quamvis Barbari dicerentur Europæis, voce horrida, non tamen ſe barbaros fide, obſequio & opitulandi ſtudio oſtenderent. Servarent, à quibus ſe ſervatos ſcirent, junctiſque viribus ruerent in gloriam & defenſæ potius Patriæ, quam deſertæ laudem domi foriſque referrent. Arma veſtra animoſque militiæ noſtræ aſſuetos, in expugnandis Povacaonæ & Siaræ Arcibus, in pellendo Banjola, tentata Salvatoris urbe expertus ſum. his conſtantiam & perpetuitatem addit. Enim verò,*

Inſidiatur hoſtium navibus.

Braſilianorum Duces ad bellum hortatur.

ut ſumma loquar, aut nunc depellendus hoc à littore hoſtis eſt, aut actum de omni imperio fortuniſque ſigulorum. Erecti ad hæc verba, in armis ſe affore uno ore promiſerunt, parique cum ipſo diſcrimine pugnaturos, & quocunque imperantis vox & ſalus, ituros. quam ipſorum liberalem & cordatam reſponſionem Comes ratam habuit & gratam, diſtributis in ſingulos donariis. Cenſis ubique civibus quotquot ruri degebant, Belgis, Germanis, Gallis, Anglis, aliiſque, dati Duces, variis dignitatum gradibus & appellationibus diſtincti, tribuni, protribuni, vigilum & equitum magiſtri, permiſſa ipſis ducibus minorum officialium electione In Reciffa quotquot civium conſcripti, Tribuno Carpentario paruerunt, ut ad ſubitas occaſiones ad manum eſſet armata manus. Per rura delectis præfuit tribunitia dignitate Caſpar Nihovius. quos, nulla licet mercede conductos, facile quoque erat, uno edicto evocare. Equitum turmam ducebat Iacobus Stackhouvverus, apud Tamaricenſes Iohannes Winandus, apud Paraybenſes Iſacus Raſirius, apud Serinhæmenſes Ioannes Blarius. Hæ cohortes, licet diſtinctæ in plures fuerint, parciore tamen milite ſingulæ cenſebantur. Sed exaggeranda hæc fuérunt apud irrequietos & tempori inſidiantes. quibus pro virium ratione & prout plus minuſve terribiles ſumus, metus aut fiducia gignitur. Iuſſi omnes ſuis paſ-

Cenſentur cives.

Iuvenes exerciti.

paſſim Ducibus auſcultare, & ubi res poſceret, ſuis ſe locis refugiiſque ſiſtere. Iuventutis quoque Luſitanæ nomina, (QUIA læta ipſis periculis juventus omnis & in novum quicquid ancepſque proclivis) in ſuis quæque territoriis & contuberniis adſcripta fuêre. conſtituti Ephori. qui caverent ſedulò, ne faciendis Conciliabulis, coirent; aut limitibus ſuis abſque ipſorum permiſſu egrederentur. Placuit quoque Rectoribus, ut pro liberorumfide, ac modeſtia reſponderent parentes, aut vir aliquis honoratior. Nec ſegniter ea curabat Comes, quæ faciebant ad Farinam, à quâ omne ferè vitæ in his oris præſidium. Quæ cum ex radicibus Mandiocis in pulverem redactis conficiatur, novo edicto Ingeniorum dominis omnibus & ſingulis auctus fuit plantandæ Mandiocæ labor & menſura, indicta immorigeris pœnâ vel relegationis, vel carceris, vel pecuniariâ. Certè per eam, deficiente commeatu Europæo, extremis ſæpe rebus ſubventum. at quanto major ejus neceſſitas, tanto minor copia. ut in illas deliberationes non ſemel iverit Naſſovius, quibus modis ejus haberi poſſit, quantum præſidiario militi ſatis. nec enim ultra privatam familiæ neceſſitatem ejus cura indigenis. FATALI hominum incuria, qui remedia tum demum quærunt, cum premunt pericula. Perdidicerat Naſſovius dudum, inter Imperatorias curas, ante ar-

Leges Frumentariæ à Naſſovio conceptæ, quibus modis haberi Farina ſive Mandiocæ copia poſſit.

ma, victualia eſſe. his carentes ſine ferro vinci. idcircò laudari Livio Q. Fabium Maximum, qui cum ventum ad inopiæ ultimum foret, caritaſque annonæ ſollicitam civitatem haberet, *talis domi in annone diſpenſatione, in procurando, præparando ac convehendo frumento fuit, qualis bellicis rebus multis temporibus fuerat*. legerat, quanta cura incubuerint Annonariis legibus Tribuni & Frumentationi Imperatores. Quare auditis ſuper hac re aliorum ſententiis, hæc ſuper Farinacea Oeconomia concepit: In ſingulis territoriis in Syllabos referri placet, quantum quiſque agrorum poſſideat, ut, pro eorum magnitudine, ſuus cuique ſit inſerendæ Mandiocæ labor. Neminem ab hoc opere eximunto. Poſſeſſori fas ſit, operas iſtas in plures Laboratores partiri, etiam adhibitis militaribus. nec minus iis culturam demandare, quibus volet. Iſtam operarum partitionem Scabini, in ſuis quique præfecturis, ratam quotannis habento. præſcriptam ab iiſdem laborum menſuram quiſque præſtato. menſura perpetua eſto, & licet divenditis agris, eadem. Ab his tamen oneribus, immunes ſunto agri ſteriles & ab habitatoribus deſtituti. nec enim ſubditorum officia exigere per injurias animus eſt. Quod ſi per abſentiam poſſeſſoris exigi iniquè Farinæ cultura videatur, ſuccedent in iſtam curam Scabini, & colonis ejus conficiendæ partes imperabunt. Suum quiſque Fa-

rinæ

tinæ demenſum ſinguls trimeſtribus exhibeto, menſibus Martio, Iunio, Septembri & Decembri. Supremi Concilii Senatores, bis quotannis, ſuum Farinæ precium dicent, menſibus Ianuario & Iulio, eamque præſenti pecunia redIment. Illam in ea quiſque loca deferto, quæ in ſuo cuique territorio aſſignabuntur. Vecturæ præcia ærariorum curatores è publico ſolvunto, Supremus Senatus, iſta Farinæ demenſa, non ab agrorum conductore, ſed ipſo poſſeſſore exigito. qui ſi præſtare illa neglexerit, farina triticea, quod deerit, ſupplebit Senatus ipſe. at precium ſubducet de bonis poſſeſſoris, aut contumacem damnabit ad cuſtodiam. Idem jus erit poſſeſſori in colonum, at accuſatoris ſolummodo titulo, non judicis. Poſſeſſorum quilibet, nondum exacto menſe Ianuario, iſtas farinacei laboris partitiones & demenſa, Senatoribus exhibebit, ut caſtrenſis commeatus quantitas ipſis certò conſtet. Facta partitione, Curia quælibet, advocato ad ſe agrorum Domino, demandatam ipſi publica autoritate menſuram ſignificabit. quæ conſtans perpetuaque in natos ac nepotes ibit. Atque hæc omnia in tabulas publicas referentur, ut præſtita vel non præſtita à ſingulis officia, & quæ quibus debitæ pœnæ, illæ ipſæ loquantur. Hanc officiorum & curarum Naſſovii commemorationem, excipiat quoque honorum. Curia Senatuſque Pernam-

Honorum inſignia delata Comiti à Pernambucenſibus.

nambucenſis, utpote inter omnium Præfecturarum Curias prima dignitate, incolarum numero, viribus & mercimoniiis, Mauritio Naſſovio ob ſingularem Braſiliæ & Luſitanicæ gentis tutelam, erga ſe civeſque affectum, ob belli togæque decora & domus Naſſovicæ fulgidiſſimum nomen, ſolennem PATRONI appellationem obtulêre. quem ita interpretabantur, ut eundem Ducem pro Patriæ patre & Vindice ac Conſervatore agnoſcerent. cujus patrocinio & hic & alibi in Belgio tutæ eſſent ipſorum res & fortunæ. hac publica confeſſione, ſe Duci fide, obedientia, omnique miniſteriorum genere palàm obſtringi, Ducem ipſis amore, ſtudio, benevolentia: Moris eſſe Hiſpanici ajebant, talibus elogiis benè de publico meritos duces honorandi. Vt verò hunc titulum ratum habeant Fœderati Ordines & Auriacus, ſe per litteras poſtulaturos. Naſſovius gloriolæ iſtius, quam horum adulatio, aliorum pronior affectus dabat, valde ſecurus, ne videretur faſtidioſè contemnere, profecta ab affectu ſubditorum ſuorum in ſe ſtudia, iſtis honorum inſignibus ſe officii ſui commonefieri reſpondit. nec tam appellatione illa fieri eminentiorem, quàm erga ſuos faciliorem, & proniorem; ſe pro ipſorum incolumitate & commodis vigilaturum indeſinenter, domi foriſque. ut Patronum præſtare ipſo opere ſe malit, quàm talis à ſuis glorioſè jactari.

Menſis

Menſis erat Quinctilis, cum fluvium S. Franciſci trajecére hoſtium mille ducenti, in Allagoam emiſſi. quos ut ſiſteret, excîtus fuit ocyus Braſilianorum tribunus Donckerus. qui lectis ex hac gente trecentis, obviam profectus, impetus hoſtiles remoratus fuit. Eodem ferè temporis tractu perduellionis ſuſpecti Allagoenſes aliquot, Olindam abducti ſunt, per prætorem Libergium. Fuere illi Gabriel Suares, Franciſcus Vaſtus, Gonzalvus Fernandus, Ruyus de Souſa, Simon Fernandus, Petrus Marci, Dominicus Pinto, & Antonius Braſilianus. Politicus Senatus cognita cauſa conjuratorum, principes facti, Suarem & Vaſium, illum tertia bonorum parte & decennali carcere, hunc altera bonorum & viginti annorum cuſtodia, in arce Ceuliana, damnavit. Graſſante impunè hoſte non magnis agminibus, quæ ex Nigritis & Mamolucchis conflata erant, placuit Comiti ejuſdem farinæ & gentis cohortem armare, ut morum & nequitiarum ſimilitudine, viarum ac latebrarum peritia, facilius deprehendi poſſint, & ab eodem militiæ more exercitis vinci. Ineunte Septembri, cum tribus Galeatis Hiſpanorum navibus & duabus minoribus, quæ è Sinu Sanctorum egredi parabant, pugnavere impigrè ſummiſque viribus quatuor noſtræ, illic oberrantes fortè & maria ſulcantes, ſub Solis, Cygni, Camporum & Iridis inſignibus. eam noſtri impreſſionem

Hoſtis trajicit fluvium S. Franciſci. Miſſus in ipſum Donckerus.

Luſitani proditionis accuſati.

Mamulucchi ſunt ex FideiChriſtianæ deſertoribus nati quales plurimos habet Prætoria Turcici Imperatoris.

onem fecérunt, ut coactæ fuerint retrocedere hoſtiles, nos à perſequendis abſiſtere, ob littorum & vadorum metum. Interjecto tempore nunciatum, è Sinu Sanctorum ſolviſſe naves grandiores octodecim aut viginti, cum minoribus aliquot. Quare exploratum miſſæ à Naſſovio Liburnicæ duæ, comperére, maximam Claſſis partem Sinu exceſſiſſe, relictis in ſtatione navigiis majoribus ſeptem, præter minora. Ex horum acroteriis dependebant apluſtria Archithalaſſis propria, ut ſigno hoc præſentiam ejus naviſque Prætoriæ mentirentur. At naves Belgicæ, quibus ob cœcam noctem ſubducta fuerat Claſſis, poſt irritam tridui inveſtigationem, recta & properatâ navigatione in Reciffam direxere, opinatæ hoſtem aliquâ littorum noſtrorum parte appuliſſe. At ſubitis Naſſovii juſſibus, cui omne tum in alacritate & feſtinatione præſidium, dimiſſæ, diverſis littorum tractibus, ad Olindam, Caput Auguſtinianum, S. Mexici, Flum. Formoſum, Portum Calvum, Alagoas, Tamaricam & Paraybam oberravére, reperiendæ claſſi intentæ. Non repertâ, in Reciffam reverſus fuit Archithalaſſus, alias ſibi naves adjuncturus, ut validior in hoſtem iret. Mox è captivis Bahienſibus accepit Comes, claſſem Hiſpanienſem, quæ Septembris die decimoquinto altum conſcenderat, in Sinum ſuum rediiſſe, poſtquam mercatoriis aliquot navibus

Diligentia Naſſovii in deprehendenda Hiſpanorum claſſe.

bus ſecuritatem navigandi in Hiſpanias feciſſet, & Galeoticas duas, quæ refectionis egebant, in Morram S. Pauli perduxiſſet. Perhibebant iidem, ſubſidiarium militem è Flum. Ianuarii oppidis miſſum, ut & commeatus multum. etiam è Flum. Argenteo naves aliquot, novas verò militum cohortes è Luſitania exſpectari. Sic propè eſſe, ut in nos vis omnis belli eat, & amiſſa repetitum veniant Luſitani.

Quare tempus eſt, ut claſſem omnem Hiſpanicam, recuperanda Braſiliæ & Belgarum exitio paratam, in apertum mare protrahamus. Etenim Rex Hiſpaniarum longa fore bella rebatur, quæ terreſtribus hîc expeditionibus per temporum intervalla gerebantur; nec villarum, molarum, vicorum in vices incendiis, quæ privatorum damna ſunt, reſarciri jacturam publicam. Quamobrem eò conſilia convertit, ut inſtructiſſima & validiſſima claſſe, quali olim Britanniam, ſub Medinæ Præfecto, Sidoniæ duce, regnante Elizabethâ, tentaverat, littora Braſiliæ invaderet, quæ poteſtatis erant Belgarum, & junctis terra marique viribus, velut congeſtâ belli mole, eos obrueret potius, quàm lentè bellum trahendo, attereret. Hoc fine non ita pridem in Hiſpaniæ, Luſitaniæ, Callaicorum & Cantabrorum portubus, vim maximarum navium coëgit, mari fortunam experturus. Spes erat, ut victa & diſſipata no-

ſtratium claſſe, paterent portus omnes, facileque eſſet recuperare terras, præcluſo nobis Sinuum & littorum aditu. Naves ſtupendæ magnitudinis erant, machinis bellicis, militum & navalium ſociorum numero horribiles ac tremendæ. Galeones vocant, qualibus ligna pro coſtis intertexta quinûm & amplius in craſſitudine palmorum ſunt, contra globorum promiſcuæ magnitudinis vim ferè impervia. aliæ octingentos, aliæ ſexcentos, aliæ quingentos vehebant, quà milites, quà nauticos. Hæ littora paraybæ & Pernambuci prætervectæ Sinum omnium Sanctorum ſubierant & in anchoris ſteterant Ianuarii die decimo ſexto, Anni milleſimi ſexcenteſimi & trigeſimi noni. Navalium millia multa, mixtum genus ex Hiſpanis, Luſitanis, Cantabris, Gallo-Britannis, Hollandis, ex Septentrione totaque adeò Europa conquiſitis. Nec enim in Hiſpania tot gnaros rei navalis reperire erat. Aderant è flore Nobilitatis Hiſpanicæ Comites, Dynaſtæ, Equites, læti quod opportunitatem nacti eſſent, fidem ſuam egregio aliquo facinore Regi ſuo probandi, de ſubigenda & recuperanda Braſilia Belgica vix quiſquam ambigere. Quippe Belgas militum & annonæ penuriâ laborantes, nequaquam ſuſtentaturos vim tot veteranorum militum, qui & ſtipendiis pluribus & navalibus expeditionibus incliti forent. Totum, qui excurrebat annum, tranſegére in

Claſsis Hiſpanicæ deſcriptio.

ſta-

ſtationibus ocioſæ, nec quicquam hoſtile molientes. Cauſa moræ erat, quod exſtinctis in itinere tranſmarino ternis hominum millibus, quos peſtilens afflaverat contagio, circa Africæ oram, quæ Viride promontorium dicitur, ſupplementa è portu fluminis Ianuarii, & aliunde accerſita, exſpectarent. Intereà Archithalaſſus noſter octodecim navibus ultrò citròque ad Baiam oberrans, oneraria navi quæ ſacchara vehebat, potitus, faſciculos litterarum intercepit, quas Claſſis præfectus Comes de Torre & militiæ Hiſpanicæ eminentiores exaraverant. Ex iis ſtatum hoſtium, claſsis robur, & adverſa omnia, nec non Regis conſilia pleniſsimè perdidicit Naſſovius. referebant, claſſem omnem quadraginta ſex navibus, inter quas Galeones eſſent viginti ſex, conſtare: quinque illi fuiſſe armatorum millia, quorum tria in itinere peſtilenti Afrorum aura periiſſent: reliquos in Sinum Sanctorum tranſlatos valetudinarios contabeſcere & mori. In mandatis à Rege habebant, ut ſimulac Braſiliæ littora appuliſſent, abſque cunctatione militem in Olindæ proxima exponerent, mare omne Belgis occluderent, navigiis aliquot Oceanum ſulcarent, & adventantibus è Belgio ratibus inſidiarentur. Erat tum ea annonæ & apparatus omnis bellici apud Braſilianos noſtros egeſtas, ut niſi claſſem iſtam truciſſent maris aëriſque incommoda, cœptaque eluſiſſet

Littera Hiſpanorum intercepta.

ſiſſet

ſiſſet propitius Deus, deploratus fuiſſet rerum Societatis ſtatus & ruinæ affinis. At hoſtis refectioni claſsis indeſinenter ſtudere, aptos militiæ incolas omni ſtudio conſcribere, auxilia paſsim conquirere, laborantes firmare, eam belli rationem ſubducere, ut in proximè ſequentem menſem Sextilem, auctus copiis Comitis Banjolæ, quinque militum millia in Continentem exponeret, invadendis terris noſtris, duo millia navibus relinqueret. Nec minus perſuaſum ipſis, fore, ut Luſitanorum inter nos degentium duo vel tria millia defectionem molirentur. quod minimè vanum putabatur, cum parum firmi ſanctique habeat iſta gens & à Belgis animo ſit alieniſſima. At minus formidabiles Naſſovio viſi omnes hi conatus, ob ſummam, quæ Bahienſes quoque premebat, commeatus inopiam, quem longa profectio abſumſerat, quodque tantæ multitudini alendæ non ſufficeret hæc regio. Hoſti ſpes erat, uti farinæ compos fieret per eos, qui Ianuarium & Platenſem fluvium accolebant. quin & auxiliarium bina millia ex Hiſpania Inſuliſque Occidentalibus exſpectabat. quibus in bellum firmatus, ſupremum velut diem noſtratibus minabatur. Præfectorum militarium index repertus, hos loquebatur Duces, hunc militem : Ferdinandum Maſquereñgam Comitem de Torre terra marique Præfectum, Iohannem de Vega Caſtellanorum Archithalaſſum,

Claſsis Hiſpanica Duces & Præfecti.

laſſum, qui ſedecim Galeonibus imperabat, iis navibus exceptis, quæ regio imperio attenebantur; Rodericum Lobum, Luſitanici maris præfectum, qui Galeatis decem præerat; præter eas, quæ Regis rigidiore juſſu militabant. adhæc Comitem Banjolam, caſtrorum imperatorem, Franciſcum de Mora Equitum Magiſtrum, Antonium Rodericum Eqitum Vice-magiſtrum, Nunum de mello, Iacobum Pirezium de Lucena, Franciſcum Pezaram de Caſtro turmarum Duces; Baſcum Maſquerengam Comitem Dobidos, præfectum armorum, Paulum Nunum armorum Vice-præfectum. Tribunorum edebantur, Vrbanus de Vnada, qui milites ducebat mille. Ferdinandus de Silveira, qui mille & centum, Lodovicus Barbalio, qui mille & quinquagenos, Emanuel Maſquerenga, quem octingenti, Ferdinandus de Laduenga, quem quingenti, Hector de la Calce, quem centum & ſexaginta ſequebantur. Vicarii Tribunorum erant, Allenſo Simenes, Petrus Corco de Somona, Martinus Fereira. Vigilum Vice-præfecti recitabantur Antonius de Fretes, Franciſcus Duarta, Paulus Banjola, Iohannes Durugius, Petrus Martinius, Paulus de Parada. Militum domeſticorum & indigenarum cenſebantur nongenti, Braſilianorum ſexcenti, quibus Camero imperabat, Nigritarum quadringenti, quorum Dux Henricus Dias. Navibus inſu-

per

per ſervati bis mille. præter eos, quos nullo æ e merentes Regis ſui amor in bellum excivit. inter quos fuit Comes Caſtellus Melhor. His copiis longè inferior Naſſovius, non ultra militum terna millia armabat, annonæ & ſupplementorum, ob diminutas cohortes, egens. Et niſi in ſpolium ceſſiſſet hoſtilium navium una farinam vectans, dudum ad eſuritionis incitas redacti Belgæ Libitinæ vota ſua exſolviſſent. Verùm Dei benignitate, cum alimenta non amplius ſupereſſent, ſubventum aliquà inopiæ fuit. Manifeſtum quoque ex chartis iſtis fuit, mandaviſſe Regem, ut biennium integrum littoribus hiſce inerraret claſſis, ſubmiſſurum ſe quotannis & copiarum & navium quantum ſatis, quò maris potiri poſſet, & dominio ejus exuere noſtrates. Quæ res movit Comitem, ut continuas quoque à Fœderatis Patribus ſuppetias pertinaciter expoſceret, ni in præceps dare velint tanti imperii ſurgentem fortunam, & hoſtium ſannis ac ferociæ objectare tot Belgarum animas. quibus promtius eſſet armis, quam ſuorum negligentia ſuccumbere. Stabat quippe Comiti ſententia, cum hoſte de ſummâ rerum certare & ſuprema belli experiri. cum inter glorioſam mortem & ſordidam illam ab eſuritione, inter prælii & victus diſcrimina, non ſupereſſet, quod eligeret. Inciderat tum fortè in manus Braſilianorum, Seregippam Regiam incolentium, Nigrita

Nigrita captivi indicia.

grita

grita aliquis, ſub Henrico Dias miles & vexillifer. qui rogatus de claſſe, nec nihil nec multa dixit, ſive ignorantiam ſive erga ſuos fidem ſilentio profeſſus. ajebat claſſiariorum plurimos, priuſquam è Luſitania ſolverent, longiore in navibus morâ, inde ſub Promontorio Viridi morbis confectos, alios in Cœnobio Bahienſium receptos & maris incommodis malè affectos, indies fatiſcere. miſſum ſe à Gubernatore ſuo, ut vagis per terras noſtras manipulis, arundines ſacchariferas incendio perderet, Luſitanos, Braſilianos Mamolucchos, Mulatas, & quotquot poſſet Nigritas, ad ſe pertractos, in Belgas accenderet, donec appelleret Claſſis, quam ad Nazaretham exſcenſionem parare opinabatur. Sed hæc à Comite leviter excipiebantur, cum nec ſtatio iſta ſatis commoda videretur, nec veriſimile, de perdenda meſſe cogitare Hiſpanos, quos non levis recuperandæ Braſiliæ ſpes erigebat. Etenim RITE belligerantium eſt, ſervare terras, quas victuri venerunt, nec ſolitudinem facere, ubi imperia cogitantur. graſſari, vaſtare, urere, deſperatæ ut plurimum militiæ auſa ſunt, non bonis conſiliis ſuſceptæ compendia.

Comparatis è flumine Ianuario & aliunde copiis auxiliaribus & per claſſem omnem, quæ navibus conſtabat octoaginta ſex, diſtributis, ut jam militum eſſent undecim circiter aut duodecim millia, exceptis Braſilianis *Claſſis Hiſpanica è Sinu Sanctorum exit.*

nis & qui in mediterraneis conſcripti erant, portu Sanctorum egreſſa mare conſcendit. cujus adventus fama plurimum fuit trepidationis in publico. motis ubique præſidiariorum curis, cùm nulla præfecturarum pars à metu & periculo vacua eſſet, incertis omnibus, ubi hoſtis appelleret. Hæc eadem claſſis, cum ex Hiſpania primum ſolveret iis navibus immixta iverat, quæ poſteà in Belgium, duce Oquendo, malis avibus, curſum direxerunt, ut junctis claſſibus & navium ingenti numero terrorem incuteret & Braſilienſibus Belgis & Fœderatorum terris. At mox in altum provectis, diſtractæ claſſes fuere, aliaque infelici fato Braſiliam, alia Belgium oppugnatum ivit, itinere diverſo, eventu & clade pari. Quatriduo, ante quàm è Sinu Sanctorum abiviſſet Hiſpanica, claſſis Belgarum quæ ſub duce Guilielmo Cornelii Looſio, in Hiſpanorum molimina intenta, circa oram S. Salvatoris oberraverat, in Pernambucenſem ſe portum receperat, cum navibus tredecim, annonæ & aliarum rerum indigis. His peropportunè acceſſere è Belgio adventantes naves octo, inde duæ, mox novem inſuper. quæ omnes appulére, poſt emiſſam è portu Sanctorum Hiſpanienſem claſſem. hinc aliis conſternatio, aliis audacia. hic timenti, ille terrenti ſimilis, nempe ut quiſque ſuorum aſpiratione & flabello, ob novas ſuppetias, vel erigebatur, vel victo-

Claſſis noſtra.

riæ

riæ deſperatione dejiciebatur. Tanta erat feſtinationis ad bellum neceſſitas, ut nondum exoneratæ, ſe pugnæ aptare coactæ fuerint, & bellicis officiis fungi, accepto è Braſilia milite, quem è terreſtribus copiis & centuriis ſuis Naſſovius carpſerat. Naves numerabamus nos unam & quadraginta, diſpares mole, machinis, milite. His Præfectus noſter altum conſcendens, plenus animi & fiduciæ, hæſit in conſpectu Olindæ, quatuor à littore miliaribus. unde facile ipſi erat inſequi quaquaverſum Hiſpanos. Eos indiciis acceperat Naſſovius, aut in Paomorellum (fluviolus eſt Præfecturæ pernambucenſis liburnicarum capax) ituros, Boream verſus, aut in Candelariam, Auſtrum verſus. ubi exſcenſio hoſti pernicioſa fuiſſet, ob arces & propugnacula præſidiis machiniſque contra vim munita, etiam ob ſilveſtria & arenoſa loca quæ commoda noſtris credebantur; ob flumina quoque pontibus navigiiſque ſtrata, ſubmittendis, ſicubi neceſſe, auxiliis. Menſis Anno currebat ultimus, cum circa oram Auſtralem Allagoæ navigaret Hiſpanica claſsis. ubi jactis anchoris ad flumen S. Michaëlis, myoparonibus ſuis aquatum ivére navales ſocii. Tum temporis Mansfeldius vigilum præfectus, ſex à littore miliaribus, cum copiis tranſitu quodam conſederat, juſſus à Comite, percepta Hiſpanorum claſſe, pedem copiaſque referre. cum nullis hic mu-

Numerus navium.

Mansfeldius cum copiis terreſtria tenet.

nimentis reſiſtendo hoſti tutus eſſet. Subſtitit tamen octiduum imperterritus & Comitem de claſſis & claſſiariorum adventu certiorem fecit, qui cum exſcenſionem dicerentur (licet falſò) parare, eò ut ſe claſſis noſtra ocyus conferret, imperavit. ut Hiſpanam in anchoris ſtantem, incautam occuparet: aut ſi eam non offenderet, ad priorem rediret ſtationem. ſic terrâ ſimul ac mari bellum impellebatur & terreſtris miles hinc, inde nauticus, caſus ſuos, officiaque militari jactantia comparabant. quin diverſi deſideriis, ſuã quiſque ſortem extenuabat, & qui terra militabat, maris, qui mari, terræ militiam optabat. Vix vela fecerat Præfectus claſſis noſtræ, cum flante benignè Borea, ex adverſo Barrægrandis (Sinus eſt navibus commodiſſimus) ſtetit. attamen labente die & caligante veſpera, portum tentare veritus, proxima luce appulit, arbitratus hîc ſe hoſtium claſſem & prælii occaſiones reperturum. Verùm ad fluvium S. Michaëlis delatus, non niſi quatuor repperit navigia hoſtium minora, quæ apparatum bellicum apportabant illis cohortibus, quæ terra ducebantur. Ea ipſa Liburnicæ noſtræ in littora & vadoſa maris egére. Abierat Claſſis, exiſtimans futurum, ut parte copiarum noſtrarum in Allagoam, parte in Portum Calvum diſtracta, minus validus eſſet alibi Comes. Favente rurſum Æolo, cum ipſis anni milleſimi ſexcenteſimi & quadrageſimi

Claſſis noſtra vela facit.

An. CIↃ IↃ CXL.

geſimi auſpiciis, omnis Belgarum claſſis Pernambuci in ſtationibus erat, in omnem eventum intenta, ne aut elaboretur hoſtis, aut impunè exſcenderet. Tum nunciatum, Hiſpanam claſſem non longè à Parayba in oculis eſſe & lembis aliquot fluminis oſtia tenere, exſcenſionem ſimulare, non alio fine, quàm ut huc quoque militiæ aliqua vis raperetur. CONSVETA namque illa ducibus armorum ludificatio eſt, qua alibi oſtenduntur, alibi inferuntur. Nec diu fuit, cum ex Inſula Tamarica conſpiceretur. quare eadem nocte mandatum claſſi noſtræ, in altum ſe daret, flante Borea, hoſtium magis quàm noſtro commodo. Verùm paulò antè Naſſovius, coactis in unum Navarchis bellique Ducibus, hortatus omnes fuit, *pugnarent fortiter, occaſionem rerum gerendarum cœlitus datam. nuſquam certius Hiſpanum vinci poſſe, quàm per hæc littora, ubi facilis in Brevia & ſcopulos delapſus. Eodem*, inquiebat, *loco incolumitas omnium & gloria poſita ſunt. Suſpenſa ad lancem Fortunæ ſunt Regiæ Majeſtatis & Societatis decora. Braſiliæ imperium hæ naves, hæ claſſes vectant. Si vincet noſtra, tuta dominatio nobis. ſin minus Hiſpano. Tot annis, quibus in his oris de terrarum particulis dimicavimus, addite hunc illuſtrem diem, quo de toto Imperio dimicandum. Approbate Fœderatis Ordinibus, Principi, Societati, nec animos vobis deeſſe ad pugnandum, nec vires ad debellandum. Non ſunt nobis navium ſtupendæ moles, non ad terrorem fa-*

Naſſovius navarchos & militum Duces ad pugnam hortatur.

cilè metuentium facta carbaſa. Manus veſtra & arma & quem primò nominaſſe debebam, favor cœleſtis, fiduciam dant. Si cum novis populis, cum Barbaris, Pagatonibus, Anthropophagis pugnandum eſſet, conquirerem nova argumenta. Nunc cum Hiſpanis, Luſitanis, quorum nota vobis mari militia eſt, certandum. Iidem ſunt, quorum claſſes, aſpectantibus omnibus Sanctis, in ipſo Sinu olim exuſſerè gens veſtra. iidem, quibus incruento Marte gazas Peruanas & Mexicanas ereptum ivit. Vos eoſdem vos præſtate & durate in inclytam mari Batavorum famam. Decernent Fata. utcunque res cadet, memorabile facinus fuerit, cum Sole viciſſe vel cecidiſſe. Pugnantibus præſtò ſunt belli præmia, detrectantibus crux & mors. tertium eligi nec veſtra ſinit ſors, nec dignitas mea, ut prona ad remunerandum, ita à ſeveritate, veſtro crimine, minimè aliena. Ad has voces eminebat omnium ardor, & ingenti alacritate ad littora, ad naves & arma properatum fuit. Mane æquiora nobis ſpirabant flamina à Meridie, & mutuum viſi ſumus, ſub ipſis Pamorelii littoribus, ubi decretum hoſti, cum ſeptenis millibus egredi, quæ in minora jam navigia tranſierant, ut in littus ſe darent. Verùm cum univerſa claſſis ſparſis & diſtractis vagaretur ratibus, naves nonnullæ, quæ alias navigatione Prævertenrant, conſpectis noſtris, reliquæ ſe claſſi jungere parabant. At Belgicæ naves nactæ ſitus oportunitatem & ad latus Hiſpanorum auſpicatius proyectæ, inſtitere hoſti, qui verſus

Hoſtis exſcenſionem parat.

Borea-

Borealia littorū nonnihil prolapſus, non niſi circa horam pomeridianam tertiā nobis pugnandi poteſtatem fecit. Tum Claſſis noſtræ Dux Guilielmus Looſius, converſus ad multitudinem: *hodiernum*, inquit, *negocium occaſionis eſt atque virtutis, non furoris vel intempeſtivi quæſtus. quare macti virtute ſocii, qui dedecus nec oculis nec animo ſuſtinere poteſtis. omnia victoriæ incitamenta pro nobis militant, ventus, unda, navium ad pugnam commoditas. Non ita pridem eſt. cum morante hoſtili claſſe, fortiſſimi cuiuſque è veſtris voces audirem: Quando claſſis, quando hoſtis dabitur? fatigabat vos mora & expectatio. Adſunt è latebris ſuis & Sinu extruſi. Vota omnium & ſpes in aperto ſunt. in fronte, in oculis, ante proram, poſt puppes Hiſpani ſunt. ſi non arcetis, mox intrà naves erunt, & in illis vos perſequentur.* Numero *impares, neceſſitate pugnæ ſuperiores ſumus. Mihi ſtat mens, non puppes, ſed proras hoſti obvertere. Agite, Dei auſpiciis, mecum Prætoriam iſtam invadite, & ſi unquam pro gloria dimicaviſtis, nunc navalis diſciplinæ tenaciſſimi eſtote, & patriæ fortiſſimam operam præſtate. in tanta delendi hoſtis occaſione nec præmiis vos nec propoſita laude fraudabo.* Abrupit orationem præſens neceſſitas & favente aura, quæ plenius vela inflabat, per mediam hoſtium claſſem vectus hoc omni agebat ſtudio, ut Prætoriam Hiſpanorum invaderet. cum qua, ut & cum aliis inſuper quatuor Galeonibus ſibi circumfuſis, per trihorium obſtinatè & ferociſſimè conflixit,

Claſſis Præfectus ad pugnam ſuos hortatur.

ſævientibus in ſe mutuo indefeſſa tormentorum jaculatione partibus. at inter hæc ipſa prælii principia ictus & à morte victoriam auſpicatus, gloriæ ſuæ vivus non ſuperfuit. Cecidére primo hoc conflictu, præter claſſis præfectum, è nautica plebe tres, ſauciis quatuor. at navis Prætoria hoſtibus undequaque cincta, ſuorum ſe alacritate præſenti periculo expedivit & evaſit. Defuncti Ducis cadaver eadem veſpera in Tamaricam delatum illuſtriori ſepulturæ ſervabatur. At cui Alcmaria nomen, hoſtilibus globis confertim quaſſata & tranſverberata, aquas affatim hauriens, ad pugnam inepta ſeceſſit. Accidit prima hæc congreſſio inter Tamaricam & Gojanam, tribus à littore miliaribus. Superveniens nox diremit prælium, non bellaturientium animos. refectis quippe, qua fieri potuit feſtinatione, ratibus, velis, rudentibus, pluteis, tabulatis, quæ machinarum vis diffregerat, Poſtero die Secretioris Concilii Senatores in claſſem acciti per Petrum Grandem vigilum præfectum, qui militibus imperabat, & de obitu Præfecti edocti, illi ſurrogarunt propræfectum Iacobum Hugenium, honoris & virtutis hæredem. qui ſimul ac in navem, cui à Fama nomen erat & inſigne, tranſiit, tranſiit quoque in Famæ voces. noncupatis ad Cœleſtem votis, grandique adore nec remiſſioribus ſociorum animis, hoſtilem claſſem adortus, flante Auſtro, terribilem & cruenta

Primus conflictus inter Tamaricam & Goianam, Ianu. XII. Ann. CIↃ IↃ C X L.

pugnam

pugnam edidit. Paucis ratibus oppugnatæ plures, parvis maximæ, ut commiſſi cum montibus colles, cum turribus tuguriola, cum mitulorum teſtis vaſtæ eſſent pandæque immanium corporum alvi. Hoc potiores nos, quod cum hoſtium rates immobiles ferè eſſent ob molem, noſtræ in quamcunque partem vertere ſe & vento dare poterant. Occurſabant proræ proris, modo puppibus. modò concuſſis lateribus diſſoluta navium compages fuit. non tam pilæ globique, quàm decuſſæ tabulatis & ſubligaculis partes ac feſtucæ pugnantes interimebãt. Aquis merſi vel capti præda erant victoris, vel, neſciente modum bellandi rabie, in aquis trucidabantur. tormentorum tantus hinc inde furor, ut intermiſta caligo fumique cœlum ipſum hoſtemque oculis eriperent. Duravitque hæc ſecunda conflictatio in ſeram veſperam, paucis noſtrorum, pro pugnæ atrocitate, deſideratis aut vulneratis. locus pugnæ fuit Gujanam inter & Promontorium Album. Navium noſtrarum una à flavo Sole appellationem habens, machinis hoſtilibus diſſoluta prorſus, cum duce Mortamero & militibus XLIV merſa periit. Navarchus nauticique numero triginta quatuor in ſcapham deſilie-re, & quamvis continuis hoſtium globis peterentur, evaſere ſalvi. jacebant ſparſa per tranſennas mortuorum corpora, membris mutila, triſti, ſed non minus glorioſo ſpectaculo.

Secundus conflictus Ianuar. XIII.

Inter Guianam & Promontorium Album. *Cabo Blanco*

culo. Quæ dum refero, ſubit animum iſta cogitatio, ita armatas, ita commiſſas bellaturientium hominum acies, belluarum conflictibus non abſimiles eſſe. Quid enim? ardent oculi, pallent ora, furorem præferunt vultus, frende vox, clamor in anus & bacchantium, totus homo ferreus & minax & cruentis. crepant arma, fulminant bombardæ, tonitrua edunt machinæ, non minus horrenda veris, at magis noxia. Et quis rictus oris in ſingulis, quis fremitus quæ immanitas, quàm furioſus concurſus, tumultuaria mixtio, quàm cadentium & trucidantium crudeles vices, congeſtæ ſtrages, undantes cruore plutei & tabulata; Cumque ad humanitatem, manſuetudinem, comitatem, lenitatem nati ſimus homines, illud ſtupendum, quis Deus cauſuſve nos impulerit, ut ferrum lethale in mutua viſcera, totis caſtris, totis claſſibus, intrepidi ſtringamus. Et tamen in has hominum lanienas magna neceſſitate pertrahimur, libertatis, religionis, imperii, opum ergò. ut virtus ſit & honos maximus, capitis ſui periculo, vim arcere à liberis, uxoribus, aris & focis & potentiæ terminos latius proferre. Iamque emergebat dies ſubſequens, cum favente Belgis Auſtro, claſſem Hiſpanorum iniquius navigantem tertiùm aggreſſi ſumus. Præfectus Hugenius novam dignitatem dignè auſpicaturus, ſe inter Prætorias duas Caſtellanam & Luſitanam ingeſ-

Tertius conflictus ad Paraybam. Ianuar. XIV.

ſit

ſit, parum arbitratus, ſi cum ſimplici hoſte decertaret. Ea hîc ferociâ pugnatum fuit, ut uter ferocior eſſet, ignoraretur. quiſque Ducum navali peritia, cœlo, ventis, mari doctè utebatur. quiſque celeritate & furore mergere naves maluit, quàm captas ſervare. quiſque temeritatis nonnihil fortitudini miſcuit & quæ caſus offerebat, in prudentiam vertit. Nos ea felicitate pugnavimus, ut pauciſsimi ceciderint. id enim cautum à Duce Naſſovio ſapienter, ne naves ſuas hoſtium innecteret, ne à militum, quos habebant prætoriæ, numero obruerentur. ideò acceſsibus receſsibuſque crebris, hoſtem machinarum repetitis ictibus exercuimus. Hoc prælio, quod non niſi fugiente Sole deſiit, ad Paraybam pugnatum fuit, altero à littore miliari. illudque effectum, ut claſſis Hiſpana maris ventorumque iniquitate protruſa fuerit in Boreales Braſiliæ fines, ubi æſtus maris magna rapiditate in Occidentem fertur & invitas naves quaſcunque abripit. Hoc conflictu dejectus fractuſque fuit pilis è Prætoriâ Hiſpanicâ immiſſis malus navis noſtræ, quæ Oloris inſigne habebat. cui præerat funalis accendendi & præferendi officio, Iacobus Almericus, vir præliis maritimis ſpectatus. Quare ad pugnam invalidus, in anchoris præſidium quærere cogebatur. quo cognito, Hiſpanæ rates duodecim majores in eam ſe direxere, ut turbatis collapſiſque velis impeditum occupa-

rent. Præfectus noſter, perſpecto diſcrimine, eò ſubſidiarias aliquot amandat, quarum adventu deſeruere Olorem Hiſpanorum rates ſex. reliquæ projectis uncis Olorem tenuére. Nec mora, trajecti ducenti trecentive hoſtium, ſuprema navis puppiſque acroteria victores habebant. quos idem Aldericus, obſtinato ad extrema pugnæ animo, ferocia ingenii, Hiſpanorum ignavia & fortunæ indulgentia viriliter depulit. Tantum effecit mixta deſperationi audacia, ac timori pudor. reſectis namque, quæ anchoram detinebant, funalibus, verſus littorum brevia & pulvillos deflexit. quò & ſecutæ ſunt quatuor Hiſpanicæ, pari fato implicitæ. Verùm hæ præſentis periculi intuitu, diſruptis retinaculit, valedixére Olori, ſuis in navi Olorina non jam victoribus ultrà, ſed captis. quo caſu conſternati, pars in mare deſiliit, pars dum aliud effugium quærit, crudeli Marte, aut ferro cæſa, aut aquis hauſta periit. Quinta ratis, quam ducebat Antonius de Cunha de Andrada, præfectus ejus claſſis, quam ſubſidiariam Inſulæ miſerant, ignara Olorem vado adhærere, ſe illi per errorem applicuit, pariterque jam arenis defixa, cominus cum Olore dimicavit, tormentiſque hinc inde vibratis horrendum ſæviere. eo eventu, ut Hiſpani abjectis in mare, quos manu tenebant gladiis, ſalutem ſupplices ac væcordes oraverint. triginta, qui ſe in aquas præcipites dederant, adna-

adnatarunt, ut ab Olore noſtro, hoſtili licet navi, ſervarentur. quos omnes depulſos, efferatis pugnæ calore navalium animis, obtruncavit ira, Oceanus ſorpſit. Claſſiarii Belgæ, quos Olor vexerat, in lembum demiſſi, ablatis antè, quæ uſui eſſe poterant, vacuam navis ſuæ alvum mari permiſére. Ac tunc maximè uſus, rerum omnium magiſter, docuit, nihil validum, adverſus vim atque impetum tormentorum, humana ſolertia poſſe comparari. Expoſiti mox lembis Hiſpani, quos Andradæ habebat navis, ducenti & triginta, inter quos erat præfectus ſubſidiariæ claſſis ipſe Andrada, monachi quatuor, centuriones duo, totidem ſigniferi, & ex Æſculapidûm gente unus. præda in navi reperta argenti cuſi, elaborati rudiſque triginta florenûm millibus pendebatur, excepto aureo torque, aliiſque, quæ nauticorum clancularię rapinæ ceſſere. Andradam iſtum ſubactæ prudentiæ, virum & civilis ingenii in Belgium miſit Comes, arbitratus detineri ipſum aliquandiu Societatis commodo iſtic poſſe. Die, qui decimuſquintus menſi erat, eandem ventorum & cœli clementiam experiebamur, flante adhuc Auſtro. Tunc advocatis navium ducibus, maſcula verba locutus fuit Præfectus: *ne ſinerent elabi manibus victoriam; fugere hoſtem, & in maris infectos & æſtu metuendos tractus propelli: iam dignum aliquid nautica indole patrarent ſi ſalvos ſuos.* *Præfectus ad inſequendam claſſem hortatur.*

vos ſe & glorioſos cuperent; *nihil ob metum intentatum relinquerent.* Cumque Hiſpanam claſſem propius ad littora ferri conſpiceret, per Liburnicam præmonuit Caſtri Ceuliani, quod ad ripam eſt Fluminis Grandis, Gubernatorem, uti in adventum hoſtis intenderet, & ſua tutaretur. Deinde, ſumma animi magnitudine & omnium periculorum ſecurus, diſtributis, quà per tempus poterat, prælii partibus, denuò in Hiſpanum ivit. Cui jam propinquo tanta ſupervenit maris malacia, ut ludibrium pelagi eſſent geminæ claſſes, nec velis claviſque ſe regi paterentur. duravitque hæc ipſa in horam tertiam pomeridianam, quo tempore expergiſcente Æolo, ne imminens veſpera pugnam intempeſtivè abrumperet, & partes belli tenebræ confunderent, viſum fuit differre prælium in ſolidum diem. Quo illuceſcente & ab armis ac pyrio pulvere, per Liburnicam recens advecto, inſtructi, pugnam orſi ſumus. quæ toto die vehemens & obſtinatiſſima fuit, nec niſi labente die intermiſſa. Hoc conflictu, qui propè Canjahou accidit, ex adverſo Præfecturæ Fluminis Grandis, in littoralium conſpectu, uſque adeò Hiſpanorum Prætoriam fatigavimus & laceravimus, ut ſecundo vento ſe pugnæ ſubduceret. ſed minoribus navigiis cincta. quæ nos laceſſebant & pro-prætoriam noſtram exercecant, licet adverſo Marte, qualem & Galeatæ hoſtium naves ſenſe-

Iterum in hoſtem abit.

Quartus conflictus ex adverſo Præfecturæ Flum. Grandis. XVIII. Ianuar.

re.

re. Pugnam auſpicata Belgarum claſſis, mediam Hiſpanorum interſecuit, ea dexteritate, ut ventorum mariſque oportunitate gauderet, claſſe hoſtili infra noſtram dejecta. Nec illud ſine Numine contigit, ut quatuor his acerrimis præliis, è noſtris non niſi viginti duo occubuerint, ſauciis octoaginta duobus. Trahebatur ſic bellum in dies, & trahebamur omnes in Borealia maris, diſpari facie, hoſtis ignominioſe cedendo, nos inſtando glorioſius. Tum Præfectus, iterum habito cum nautarum primoribus concilio, repeti prælium poſtero die juſſit, ut hoſtem Braſiliæ littoribus prorſus depellerent & in avia maris agerent. Ille hoc omni conamine agebat, ut miſſis in littora parvis navigiis, de aquis ſibi proſpiceret. quarum penuria laborabat, enectis penè ſiti claſſiariis. At impedivere hos conatus oberrantes circa littora Liburnicæ noſtræ. quin & ternæ hoſtium onerariæ in littora truſæ naufragio periere, vectoribus, qui trecenti in Continentem evaſerant, ſilvarum & latebrarum præſidio ſervatis. Iamque diſperſa apparebat & in partes diſtracta, ob navium aliquot jacturam, Hiſpanorum claſſis; ut denuò animum ceperint Belgæ, hoſtem invadendi. qui anceps conſilii, cum videret ſe noſtræ claſſi adhærentem & innexum, Syrtes iſtas & ſcopulos, quos *Baxios de Rochas* vocant, ſuperare, ob navium molem, non poſſe, & ab exſcenſio- *Baxios.*

Quintò in hoſtem itur.

ne in littora & aquatione, quâ egebat affliĉtim, quaquaverſum prohiberi, noctu, flante Euronoto, relictis ad Flumen Grande noſtris, in aperta Oceani ſeceſſit. eo conſilio & viæ curſu, ut aut emetienda ipſi fuerit Æquinoctialis linea, in patriam remeanti, aut rectà in Occidentem navigandum. Iudicabant rerum maritimarum peritiores, tum Belgæ, tum Luſitani, non dari reditum claſſi infra Syrtes iſtas dejectæ, ob aquarum in Occidentem præcipitem raptum, & ventos perpetuo ibidem adverſantes. Præfectus Belga, obſervans hoſtium claſſem malè ferri, curſum inhibuit, & in exitium, in quod ruire eos prævidebat, ardentiore pugnæ ſtudio præcipitare ſuos noluit. Comperta quoque aquarum per naves ſuas inopiâ, ſufflaminavit cupidos & quietem fecit claſſiariis ſuis ad oſtia ſupradicti fluminis. Hîc refecti, ſpirante Aquilone, ipſis Calend. Febr. Pernambucum victores appulerunt. ubi per tractus omnes Belgarum imperio parentes, dictæ Deo ſoſpitatori publicæ grates, ob depulſam à cervicibus & littoribus ipſorum potentiſſimam claſſem, Braſiliæ terrorem, Regis robur & præſidium unicum. Varia quoque publici gaudii ſigna in Aulâ, arcibus, urbibus, pagis, accenſis ignibus & tormentorum exploſione, exhibita fuerint. At apud Bahienſes & per hoſtium paſſim terras, dolor diverſus plurimaque conſternatio animos omnium

Claſſis Hiſpanica abit.

per-

perculerat. dum alii propinquos, aut neceſſariorum fata, alii Regis fortunam miſerarentur· Liburnicarum noſtrarum aliqua, longius Hiſpanos inſecuta, retulit, eos in anchoris ſtetiſſe, propè Syrtes jam dictas, quindecī à Flumine Grandi miliaribus, Septentrionē verſus, propè fluviū *Vtetugo*, ibique aquatum exiviſſe. Creditū nauticis, non dari illinc maioribus navigiis reditum, minoribus dari. Sic diſſipatâ & fugata validiſsima Claſſe, fidem fecit Naſſovius, nondum cum Scipionibus, Regulis, Cimonibus, Duilliiſque ac Pompejis exſtinctam eſſe fortitudinem. Et, ut recentia memorem, poſt victum mari noſtro interno Boſſuſium, Britannico Sidoniæ Ducem, Flandrico Spinolam & nuper ſub Dunis Britannicis Ocquendum, hæc gloriæ Fœderatorum acceſsit illuſtris victoria. qua Hiſpanorum in Orbe occiduo vim fregimus, tot navium ſtupendum apparatum eluſimus, ſpem recuperandi has terras labefactavimus & potentiæ Belgarum illudere parantibus juſtæ defenſionis inſtrumenta oſtendimus. Illud adverſantibus fatis malè ceſsit Hiſpanis; quod cum iter omne à Sinu omnium Sanctorum ad oram uſque Pernambucenſem confici poſsit & ſoleat duodecim plus minus diebus, menſes aliquot cum ventorum iniquitate luctati tardius adrepſerint, conſumtis longiore mora aquis, quibus ob intenſiſsimos æſtus maximè ipſis opus. *Infelicitas Hiſpanæ claſſis.*

opus. Vt claſsis, quæ primo impetu validâ fuiſſet, & par victoriæ, per tædia & moras evanuerit. Obiere his prælijs partes ſuas virtutes plurimæ. Navalis peritia ventorum oportunitates mariſque æſtus captabat. Fiducia cum potentioribus congreſſa, iiſdem, quibus hoſtis, ſe periculis involvit. Prudentia militaris mergi naves maluit, & vibratis facibus, ardentibus ruinis opperiri, quàm captas non ſine publico diſpendio ſervare. Fides, conſtantia, labor pugnavêre fortiter. Moderatio ſatis credidit, fugaſſe hoſtem, quem tam pauca manu expugnari impoſsibile. Clementia inimicos exitio proximos ſervavit. Amor, periclitantibus ſociis ſuccurendo, non ſemel emicuit. Feſtinatio ingẽs nullum ſpiramentum conſiliis hoſtium relinquens, invaſit iteratis vicibus pugnare paratas, at tardius ſe moventes, rates. Hæc è noſtrorum analibus & chartis conſtant. At qui inter Hiſpanos pugnavêre, calamitatum ſuarum propius gnari, poſt narravere, quæ nunc odiar dicere. ut & hoſtium & noſtra confeſſione verum valeat: Ex Hiſpaniis profectâ claſſis, ſuperato Capite Viridi, Oceanum, ubi Æthiopicus eſſe incipit, emenſa, ſub littora Promontorii Auguſtiniani ventis mariſque æſtu, projecta, cum exſcendere ob vicinos Pernambucenſes timeret, in Sinum Sanctorum direxerit. ubi duodecim Hollandorum naves exploratum & prædatum miſſæ,

Narratio Hiſpanorum de iis, quæ his navalibus præliis evenerunt.

ſæ oberrabant. quæ cum claſsi, pelagi incommodis fatigatæ, inſtarent, ut jam nocere poſſent, moniti per piſcatoriam ſcaphulam Hiſpanorum Præfecti, Sinus interiora, ubi ab Arcium machinis præſidium eſt, ſubivére. Cumque à Bahienſibus ocyus adeſſent naves aliquot bellicæ, in ſubſidium, Batavi non pugnandum rati, claſſem deſeruêre. Etenim, in hoſtili loco, inter omnia inimica infeſtaque, potentiore hoſte, major damni metus, quam emolumenti ſpes ipſis oſtendebatur. Acceſſit Hiſpano inſigne robur à navibus XXIV, commeatu & milite firmatis. quas Luſitania ſubmiſerat Rex, ut & ab aliis duabus, quas Fluvii Platenſis incolæ ſedecim ſingulas tormentis armaverant. Moranti hîc Luſitano præcipua cura fuit, reficiendi claſſis lacera & quaſſa, & purgandi rates à marinis ſordibus, navigandi impedimentis. Quo tempore non levis ipſum metus habebat, fore ut à Pernambucenſium navibus infeſtarentur, pertractis in ſicca navigiis & machinarum bellicarum tum vacuis. Tandem expedita omni Claſſe, naves compertæ XCIII. inter quas XXIV Galeoticæ immanitate terrorem faciebant. aliæ, minores mole & vectura diſpares, quadragentarum, aliæ centum & quinquaginta, aliæ centum erant vehium. inerant illis armatorum millia multa, quos per Hiſpaniam, Luſitaniam, Bahiam, Flum. Ianuarii & Argenti terras, Inſulaſque delec-

tos, regia poteſtas attenebat, nec expertos omnes militiæ nec inexpertos. E ſinu Sanctorum lætis ſuorum vocibus & ſpei certa, quæ omnia magna pollicebatur, altum conſcendêre, & in Alagoam ivêre, ubi expoſitis militum binis millibus, ſub Iohanne Lopezio Barbalione, curſum in Pernambucum direxit. At prævia Hollandica ratis, continua in Hiſpanos machinæ exploſione, indicium ſuis faciebat de Claſſis adventu, & in Reciffam flectens nuntium pertulit. Nec diu poſt belgarum claſſis omnis navium XXXIII (ita rebantur) in Hiſpanicam magnis animis tetendit, hac ſpe erecta, mari vincendum hoſtem. ut qui expoſito milite, terreſtribus mox copiis longè Belgis prævaleret. Incrudeſcente pugnâ, Prætoria Belgarum, Fama, implicita Hiſpanis, inter Prætorias duas, hinc Caſtellanorum, inde Luſitanorum ſtetit. quibus ſacroſancta Ieſu & Mariæ vocabula venerationem dabant, tanquam horum ope, velut tutelarium Deorum, pugnaturis. Caſtellana machinis XXXII, Luſitana XXVIII armabatur. in utramque à latere ſociam ferociter & pertinaciter deronuit Fama, ut quidam ex ictu ruerent mortui, alii ſaucii ſecederent. Vix inchoarant prælium Martiæ partes, cum inter primos Belgarum Præfectus caderet, aggreſſus pugnam; cujus laudi teſtis ipſe defuit. Hoc poſteà è noſtris cognovêre Luſitani. merſum Aurei Solis navigium unius incolumitatem ſuis, at aliorum octo Hollan-

dis ipſis debuit. Inſequenti die, ſub Auroram, Hollandorum naves xxxv redintegrato prælio non ſegnius pugnavêre. pari ferè hinc inde damno. Noctilucæ Batavorum decuſſa atenna fuit &, qui upidromum ferebat, malus. Illuxerat tertius dies, cum naves, Grande Cornu & Chriſtophorus Magnus, Hiſpanienſis Ioſephi latera impellerent dejectis puppis acroteriis, & quæ hic eminebat Cruce, Chriſtianorum inſigni. Grandis-Cornu navarchus erat Antonius, cui nomen vulgare Ruſticus Durckendamenſis, hoſti metuendus valdè. cujus fortitudo docuit ſummos & in magna exempla natos, etiam inter ſtivam & aratrum naſci. Quartus dies atrocis rurſum prælii initium fecit commiſſis cum vice-Prætoria Luſitanicâ, cui à Ioſepho nomen, LIV machinis æneis terribili, Belgarum navibus, Chriſtophoro & Grandi-Cornu. Ea pugnæ facies, is ardor fuit, ac ſi mergere aut mergi certum eſſet partibus. paſſaque tantam cladem Luſitana claſſis fuit, ut de refugio cogitare & in ſaxa ſe Rochenſia recipere neceſſe habuerit. Perhibebant Vicariæ Prætoriæ Præfectus Franciſcus de Pimenta aliique, deſiderata hiſce præliis fuiſſe ſuorum millenos aliquot. S. Ioſepho, quæ ſeptingentos vexerat, deceſſere quadringinti. Tunc, ſive metu Lichthartii & Ioli navalium Ducum, quos adventare acceperant Hiſpani, ſive ventorum pelagique injuriâ in Occidentem adacti

aquæ & commeatus egentiſſimi, diverſis acti conſiliis, quà poterant, navigavere. mox appulere ad Margaretæ inſulam, fame enectis pluribus. Cumque nihil majus præſtare fortuna, poſſit, quàm hoſtium diſcordiam, diſtraxit hæc Luſitanos rectores, Præfectum & Vice-præfectum. quorum hic in Terceram flexit, inde Gades pervenit, fractis eſuritione & ſiti navalibus. Ea quæ S. Philippi vocitabatur Galeo, trecentes habebat morbo extinctos, præter illos, quos atrocior glorioſiorque mors pugnantes ſtraverat. E Galeonibus reverſæ domum fuere S. Ioſephi, S. Dominici, S. Philippi, S. Bernardi, inſuper vectoriæ duæ, una S. Iohannis, altera S. Georgii appellatione. reliquæ aut mari periere, aut diſſolutis compagibus, ad littora Novæ Hiſpaniæ vel interjectas inſulas, in principia ſua rediere. Quæ Hiſpanorum narratio an exactè verum dicat, timeo aſſeverare.

Eodem fere tempore de Hiſpanorum claſſe, ſub Britanniæ littoribus, triumphant Foederari Ordines.

Atque hæc dum mari geruntur ad Occidentem à Mauritio, alter cognati ſanguinis, AVRIACVS, ad Septentrionem non minus victor, mare Britannicum inſedit, & victricia ſigna per ejus littora, non magno temporis intervallo circumtulit. qua victoria cum nulla Belgis acciderit illuſtrior; operæ erit precium, chartis illam conſignaviſſe, utpote atrocem cædibus, & rerum undequaque magnitudine celebrem. Ducebat claſſem ſexaginta navium dux famoſiſſimus Antonius Ocquendus,

quendus, prælio navali non ita pridem cum noſtris in Sanctorum Omnium portu commiſſo, recenti fama celebratior. Inter illas Prætoriæ erant plures, quarum aliæ millenos, aliæ octingentos, aliæ ſeptingentos & ſexcentos vectitabant. militũ millia habebat decem, claſſiariorum millia quatuordecim, mixtos ex Hiſpanis, Luſitanis. Gallo-Britannis, Cantabris, etiam Flandris. His è Coronnæ portu, qui Galæciæ maximus eſt, per mare Hiſpanicum vectus, Fretum Britannicum ſubiit. Oberrabat in eodem Freto, non niſi duodecim navium contubernio, maris præfectus Martinus Trompius, qui ſub Hemſkerkio, ad Calpen, memorabilis iſtius prœlii pars fuerat, & mox ſub fortiſſimo Duce Petro Heynio navigans & pugnans, morientis lateri & laudi adſtes fuit. ita decernentibus fatis, ut cadente Imperatore, non diſpar ille militari virtute exſurgerent. Vt in conſpectum ſe è longinquo dedit claſſis Hiſpana, auctæ fuere Trompio vires, quinque navium acceſſione; ut & paulò poſt duarum, quibus Wittius præerat. His cum hoſte congredi cœpit nocte intempeſta & tormentorum jaculationibus majori pugnæ præludere. navium noſtrarum una, concepto igne, ob malè cuſtoditum pyrium pulverem, conflagravit. At illuceſcente Aurora aliis inſuper duodecim navibus bellicis auctus, quæ Dunkerkanum in Morinis portum præcluſe- *Martinus Trompius Gibraltar.*

 rant,

rant, prælii initium fecit. At vetuit Gubernator noſter, qui tamen mari depugnantium mos eſt, naves navibus annecti, ne ab hoſtilium navium mole & bellatorum numero vinceremur. Verùm hoſtium naves circumnavigans, jam divulſam claſſem interſecans, perpetui, eam ictibus fatigabat. capta navi minore & Galeonum una, cujus curam dum negligunt victores, intempeſtiva ſpoliorum cupiditate, à ſuis recepta fuit, & triumpho erepta. Ocquendus navium ſuarum magnitudine & numero animoſior, rectà in Prætoriam noſtram ferebatur, hoc vehementer agens, ut junctam & cohærentem arctiſſimè Fœderatorum claſſem diſtraheret. Verùm machinarum grandium ictibus lacer & perforatus ipſe, obliquato curſu, miſſos nos fecit & pugnæ ſe ſubduxit. Exactus dies, qui Veneris erat, crudeli certamine. Subſequens Sabbathi feriatus claſsibus fuit, ob nebuloſum aërem. Donec inter Iudæorum & Chriſtianorum Sabbatha, media nocte recruduit prælium & de refugio hoſtis cogitare cœpit. ſive metu, ſive quod juſſus eſſet non confligere. peritorum rei maritimæ judicio graviſsimè in eo peccatum ab Hiſpanis, quod noſtros continuis pugnis non attriverint, utpote longè potentiores. ideòque ſtricta illa & ſevera mandata rei navalis gnari improbabant, præſertim in maritimis. cum MAXIME fortuitorum capax ſit mare, & multa in eo

con-

concurrant, ventorum oportunitas, cœli, temporis, fluxus ac refluxus, tenebræ, lux, locorumprofunditas. ſæpè etiam intendendi curſus, & appellendæ claſsis commoditatem & ſecuritatem quærendam; quæ cuncta cum Regum ſe legibus adſtringi non patiantur, prudentiæ videtur, liberioribus præceptis pugnare nautam. Nondum victus ergo Ocquendus, poſt aliquam ſuorum cladem, navium fiſſuras & hiatus, fracta tabulata, prorarum puppiumque miſerandam faciem, in Britanniæ littora, ubi Ptolomæi Dunium eſt, ſe recepit. Hîc regiarum arcium præſidio ſe tutum fore arbitrabatur, nec paſſurum Regem, uti vim faceremus iſto loco, quem defenderent & bellis eximerent Majeſtatis jura, Dum in anchoris ſtat imbellis, otioſa, ab impotentiore hoſte velut cuſtodita, ludibrium debuit hinc Britannis, inde Gallis, rem tam indignam Hiſpaniarum rege adſpectantibus. Quia Præfecto Belgicæ claſſis copiam fecit, convocandi undique auxilia & reficiendi quaſſas rates noviſque belli inſtrumentis firmandi. à pulvere namque tormentario deſtitutus, impetratis oportuno beneficio à Comite Charaſto, Caleti gubernatore, belli requiſitis, lateri ſe Hiſpanorum cuſtodem, non tamen amicum præbuit. Interea, dum tabulas laceræ claſsis reficit Ocquendus, & ſub Britannorum caſtellis vecors latitat, Trompius per litteras Patrum opem ſollicitare, &

quæ evertendæ prorſus claſſi neceſſaria videbantur ſeriò efflagitare. Qui cum hoſtilem claſſem in arcto detineri accepiſſent, & fatali arenæ affixam, ex omnibus Belgii portubus & ſtationibus naves expeditas colligêre, tanta feſtinatione, ut non fabricatæ, ſed veluti cœlitus delapſæ, & natæ crederentur. Excita undique fuere maritima Collegia, quæ *Admiralitates* vocant, etiam Societates geminæ, quarum una ad Orientem, altera ad Occidentem mercatur & militat, ut non uno hoſte, ſed junctis Belgarum viribus, opprimeretur Aſiæ Africæque dominator. Auriacus, habito in caſtris delectu, fortiſſimos quoſque ſclopetariorum, numero bis mille, per naves Fœderatorum diſtribui juſsit, Ordinum decreto de invadendâ Hiſpanorum claſſe ſuffragatus. Iamque naves bellicæ centum & ultra ſub Britanniæ littoribus convenerant, intentis in tanti belli eventum vicinis gentibus. Tum prior ab hoſte impetitus Trompius claſsicum cani imperat, dum ſpectator pugnæ Britannus cum claſſe ſua extra partes manet. Belgarum dux ſuam in quinque contubernia diſtinctam, præſcripto ſingulis pugnandi officio, in hoſtem immiſit. Nec hic detrectaſſe prælium viſus, non ex fiducia & deſtinatò, ſed quia obſeſſus erat & ab hoſtibus circumfuſus. Equidem tantopere in navibus Hiſpanicis trepidatum fuit, ut maturandæ fugæ, cui oportuna erat nebu-

la

la & denſiſsima caligo, rudentes & funalia, quibus atrinentur anchoræ, præciderent. Trompius primus proximam ſibi Prætoriam, cui à Salvatore auſpicatum erat nomen, invaſit. Verùm hac fugam moliente, acrioris belli ſpectaculum præbuit Prætoria Franciſci Feij Galæciæ Præfecti. cui licet in prima coitione dejecta eſſent mali ſumma, ut decuſsis thoraciis & dolonibus maris arbitrio jactaretur, nec regi conſilio poſſet, non tamen ante veſperam noſtris victa ceſsit. Cum Prætoria Luſitanica Tereſâ ferociſsimè dimicatum. quam ſibi gloriæ materiam elegit acer bello Muſchius. At Trompius immiſsis in eandem navibus incendiariis, manifeſtis illam ignibus accendit, quibus immixta Muſchii navis, retinaculiſque adhærens, funibuſque hoſtis ſui implicita, ſimul conflagravit. Servati tamen cura Imperatoris fuere Muſchius ipſe & ſociorum plerique. Admotæ etiam igniferæ rates aliis, & Prætoriarum una in littus acta naufragium fecit. quæ Andream de Caſtro ducem vehebat, globis uſque à Trompio perforata & rimis fatiſcens, pari fato periit. At nullius æquè hoc prælio emicuit fortitudo & conſtantia, quam Lopezii, qui una navis parte merſa, altera incendio flagrante, ipſe brachio truncatus, pugnam adhuc ſuſtinuit, nec niſi aquis abſorptus, iræ ſuæ in nos & animi, pro Rege ſuo pertinaciter & glorioſè pugnantis, finem fecit. Oc-

quendus metuens ne à flammarum & ignium viciniâ flamas quoq; conciperet, comitantibus aliis nonnullus, enaviavit, & in Morinos ac portum Duynkerkanum invectus eſt. vbi, qua vectus fuerat, Prætoria, arenarum ventorumque injuria, Neptuno ceſsit & fluctibus. Victæ hoc ipſo die plures aliæ & in arenas illiſæ, Oceano, Æolo & Vulcano, Deorum veluti triumviratu, in Hiſpanum conſpirantibus. Summo mane ſubductæ ex oculis claſſis reliquiæ, incertis itineribus ferebantur, una excepta, quæ ad primum congreſſum deditionem fecit. Nec inſequens nox imbellis fuit Batavis, ſed indagando hoſti ſtudioſè impenſa. Tam atrox pugna & ſævientium machinarum fragor, & flammarum per piceas tabulas graſſantium ferocia triduum ferè duravere. Per Britannorum littora Ducum Principumque carpenta volitabant, ſpectaculi cauſa. promiſcua plebes è montium faſtigiis crudeliſſimi certaminis adſpectu, læta, dolens, prout quiſque affectus, non ſine horrore, fruebatur. Rex Britanniarum Carolus, federis ſui, quod cum Hiſpano & nobiſcum pepigerat, tenax, claſſis ſuæ Præfecto quietem imperavit, & utrique ſe parti neutrum ſe præbuit, miſertus tamen quarundam navium Hiſpanicarum, quas è tanto naufragio in ſuos uſus ſervavit. Quid, quod & ante prælium elapſæ quatuordecim hoſtium naves per maris vadoſa, Britannici Architalaſſi gratia ac feli-

citate,

litate, incolumes evaſerint. illiſa in littus Gallicum, ſtatim à prælio navium aliqua, præda Gallis fuit. Rex miram narro & ſeculorum memoria dignam. Navibus ſexaginta ſeptem iiſque ad ſtuporem grandibus, occurſum fuit navibus minoribus bis ſex. Eaſdem aggreſſi ſumus navibus octodecim, mox triginta. Exercitum viginti quatuor millium, tot & plures habebat regia claſſis, vix ternis militum millibus adorti, in incitas & littorum anguſtias protruſimus, & velut captam circumſedimus, ut elabi non poſſet. Præfectus noſter ipſi Ocquendo, cum moras necteret ob fractos malos, Liburnicæ ſuæ officium indulſit, tranſvehendis è portu Britannico lignis, ut refectis navibus maturaret pugnam. Confecto navali prælio, Dux Fœderatorum captas naves, adhæc militiæ Hiſpanicæ plurimos, duceſque ipſos Texelæ, Moſæ & Zelandiæ portubus triumphans immiſit. At Duynkerkæ, Antvverpiæ, Bruxellis funeſta omnia & luctus plena. In Hiſpania, Luſitania, in Cantabris, Callaicis & Aſturum regionibus, alii cognata fratrum, alii liberorum, alii amicorum plorabant. Cordatiores hæc ſecum muſſitabant; mittendos Belgas, aut induciis vel pace placandos. Victorem hoſtem non ſtare, ubi vicit, ſed ulterius progreſſurum ad ea, quæ cupiditati ipſius & victoriis patent. Non alia tam incruenta & minus nobis damnoſa victoria potiti unquã ſumus. Deſiderata è claſſe Belgarũ navis

una, militum & navalis populi vix centum. cum hoſtium cæſa, merſa captaque accipiamus millia multa, naves quà merſas, quà exuſtas, quà captas quadraginta, ceteris vel fuga vel Anglorum beneficio elapſis.

Cameronis expeditio terreſtris, adventante claſſe Hiſpanienſi.

Nunc è mari in terras Braſilianorum reverti libet, ubi non minore ſtudio intentus fuit hoſtis in calamitates noſtras. Antequam enim è Portu Sanctorum ſolveret dicta toties Claſſis, bina armatorum millia Luſitanæ & Braſilianæ gentis & inter hos Tapujarum, in fines noſtros miſſa, diſtinctis ſe agminibus ſparſerant. tum ne ab eduliis deſtituerentur juncti omnes, tum ne magna manu conſpicui, à limitaneis locis majore Belgarum potentia arcerentur. Qui enim minoribus manipulis contemni poterant, multitudine terribiles ad juſtam nos defenſionem irritaviſſent. Id in mandatis habebant, ut ad S. Laurentii pagum, qui ſeptem à Paomarello milliaribus abeſt, ſociarent copias, claſſiſque adventum exſpectarent, ut ſi fortè, poſt ejus appulſum, egredi in terras impedirentur à Belgis littus inſidentibus, adeſſent promti in armis & depulſis noſtris viam ſternerent ſuis, aditumque in mediterranea patefacerent: quo fini jam antè incolarum animos, Hiſpanicæ potentiæ oſtentatione, occupaverant & nobis iniquiores reddiderant. Copias iſtas ducebat Præfectus Camero, Braſilianus, variis apud ſuos militiæ experimentis clarus,

aſtu,

aſtu & audacia ſummus: qui ut imperata exequeretur, ad fluvium Viram cum cohortibus conſedit. Facilè illi fuit huc penetrare, cum miles ferè omnis noſter è mediterraneis evocatus, in littoribus detineretur, in adventum claſſiariorum. At hoc metu expeditus Naſſovius, & depulſa in maris incerta & avia Claſſe, ilicet lectam mille militum manum, ſub Tribuno Coino, viro fortiſſimo & militiæ experto, Cameroni objecit. Quo percepto, nec enim horæ ſpatio aberant, movit Camero, & diſtincto milite per ſilvas & dumeta progreſſus, hactenus evaſit. Coinus pari induſtria ſunt quoque diſtinctis catervis ſubmiſit, & accelerato itinere ſolitos ſilvarum tranſitus & egreſſus intercepit. Primam prælii occaſionem nactus centurio Tackius, duas cohortes ſclopetariorum in hoſtem immiſit, propè Pojucam, & conſerta manu cum ſexcentis Luſitanorum, quibus præerat Ioannes Lopezius Barbalio, acriter pugnavit, quibuſdam cæſis, reliquis fugatis. è noſtris deſiderati vexillifer unus, & gregarii ſeptem, vulnerati ſeptemdecim. Secundam arripuit vigiliarum præfectus Mansfeldius, qui cohortem agebat quadringentorum Belgarum, & Braſilianorum centum. quibus cum Barbalione ad S. Laurentium congreſſus, ad primas baliſtarum jaculationes, in fugam ipſum egit. ducenti erant, qui degeneres prorſus, projectis turpiter armis, militiæ nomen in-

Illi opponitur Tribunus Coinus.

Pellitur Camero & cæditur

fama-

famabant.. Ipſe Barbalio terga vertens, pilei ſui, qui capite fugientis fortè deciderat, necnon gladii & chartarum omnium, quas Luſitanis noſtrarum partium ademerat, copiam Mansfeldio fecit. etiam iſtarum litterarum, quibus agendorum rationes exaraverat Comes de Torre, hoſtium cum ſumma poteſtate imperator. Iis diſertè juſſerat ille, ne victores ſui clementia fracti parcerent Belgis, ſed nullo diſcrimine & hos & Braſilianos quoſcunque noſtris ſtipendiis merentes, mactarent, ſolis gratiam facerent Luſitanis. Morabatur per id temporis in Præfectura Paraybenſi Andreas Vidalius centurio, qui antè ſemeſtre huc è Sanctorum Portu miſſus, cum litteris ad Molarum dominos, clàm eos implebat ſeditionum ſtudiis. ut adventãte Claſſe arma caperent, in libertatem ſe priſtinam ſub Rege ſuo vindicarent, Belgarum ſe imperiis expedirent, in Claſſis potentiſſimæ adventum farinas colligerent. Non abnuebant complures, diverſiſque incitamentis corrupta fide, clandeſtinis colloquiis deterrimum quemque & novarum rerum ſtudioſos in partes ſuas pertrahebat. Cum in conſpectu eſſet Claſſis, promtis & aliis ſeditionum miniſtris, Vidalius accenſis molendinis aliquot, & cannarum ſtruibus, hoc agebat, ut terrefactos ſubitis ignibus Belgas à littore vocaret, arcendis privatorum damnis, vacuumque illud & imbelle claſſi oſtentaret. At

Andreas, Vidalius adventante claſſe, Luſitanos ad ſeditionis ſtudia hortatur.

Duces

Duces Belgæ ſtratagematum iſtiuſmodi non ignari, ſuiſque deque habitis privatorum diſpendiis & publicæ tutelæ dediti, perſtitere in littorali ſtatione. Mox fugatâ claſſe & periculorum ſecurus Mauritius, cohortem ſuam militumque ſeptingentos, duce Carolo Tourlonio, eò ablegavit, qui conjuratorum ſtudia & conatus reprimeret, & rebelles incendiarios in ordinem cogeret. Expoſitum fuerat ad flumen Conayou militum trecentorum agmen, ducibus Franciſco de Soſa & Henrico Dias, etiam Rebelhinho, qui æmulatione quadam ab illis diſtractus poſtea ſe Ioanni Barbalioni junxit. Cum his commiſſus Tourlonius, ubi ſe aperiunt ſilvæ, octuaginta & ſeptem cæſis, pluribus ſauciis captiſque, cœpta ipſorum eluſit. Interemti Franciſci Soſii indicium eſſe potuit, reperta ejuſdem inter manubias veſtis pectoralis, quam captivi agnovêre. Inter ſaucios Henricus Dias abjectâ parmula & enſe & pileo ingloriè fugit. Magna inter ipſos trepidatio erat & metus, cumque ſpes nulla eſſet claſſiarios in littore excipiendi, hoc quiſque ſtudebat, ut evaderet & in Salvatoris urbem, ſi quà poſſet, ob iter longum moleſtumque, & victus parcitatem, ſalvus remearet. Bimeſtri, antequam ſolviſſet è Portu Sanctorum Claſsis, in Fluvium Grandem è mediterraneis deſcenderant Tapujarum terna millia, cum uxoribus liberiſq;, ſtupentibus rei novitate Belgis. nec enim ante-

Tourlonius cum hoſtibus pugnat victor.

Tapuiarum tria millia ſe Belgis iungunt.

anteh ac tam frequentes ad nos acceſſerant; nec niſi viginti aut triginta circiter agmine. Venerant è locis uſque adeò à littore remotis. ut ubi domicilia & natale ſolum haberet hæc Anthropophagorum gens, ignoraremus. Nonnullos antiquæ libertatis ſpes ſtimulabat. plures odium Luſitanorum, quorum dominationem per Europæos ſubverti poſſe non deſperabant. Erant, qui opimam fortunam & ſpolia ampla ex novis rebus petebant. Et jam ſe noſtris jungere parantes, armis ad fines iſtos graſſabantur. Profectò ea tempeſtate, veluti cœlitus dati nobis videbantur in ſubſidium. Neque enim in mentem ulli venerat, fore, ut in hac Præfecturê belli ſe ſcena panderet. At ſimulac ex hoſtium claſſiariis plurimi non longè à Flumine Grandi exſcendiſſent, abigendis armentis & apportandis in claſſis refectionem aquis, exaratæ fuere à Naſſovio litteræ ad Regem Tapujarum, Ioannem de Wy, quibus obnixè petebat, uti hoſtem à pabulatu & aquatione arceret. Qui ſingularem in nos animi propenſionem teſtatus, ilicet filium ſuum cum Tapujis aliquot, veluti fidei & benevolentiæ vadem, miſit in Arcem Ceulianam, ſeverè effatus, ſe eandem vitæ neciſque ſortem nobiſcum ſubiturum, & jampridem juratum eſſe Luſitanorum hoſtem. cui dicto ut fidem faceret, Luſitanos duodecim, loci iſtius incolas, infelici ſanè ipſorum fato, veluti odii ſui in

Mauritius ad Tapujarum Regem ſcribit.

in gentem illam victimas, obtruncavit. Comes militum ſuorum ſexaginta, duce Garſtmanno, Tapujis addidit, ut ex communi conſilio & noſtra diſciplina in hoſtem iretur. Adſcriptis ergo in militiam Belgicam hinc Tapujis, ita à gentis nomine dictis, inde Braſilianis bis mille, pro nobis optimâ fide belligerantibus, validiores adverſus Luſitanos Hiſpanizantes viſi ſumus. cum INTERNI militis majus ſit in Duces ſuos obſequium, fides & veneratio, quàm externi, & loca ſedeſque magis tueatur genitus, quàm aliunde accitus. Naſſovius, ut aliqua neceſſitate fidem ipſorum adſtringeret, Tapujarum conjuges liberoſque in Inſulam Tamaricam deferri & liberalius illic haberi imperavit. facti cauſa hæc fuit, ut, ſi fortè defectionem per litteras ſuaderet Camero, quod & fecit, chariſsimorum pignorum intuitu deterrerentur. Inter litteras Barbalionis interceptas erant, quibus in dubium adducebatur ejus fides & militantium ſub ipſo Braſilianorum. quas, ut demereretur Cameronem, & hoc veluti lenocinio pelliceret, ipſi tranſmiſit Naſſovius. Nec diu poſt perlatum ad Comitem, ex ore navarchi cujuſdam, militarium trium ac nauticorum quatuor captivorum, reſiduas Hiſpanorum è claſſe rates, ventorum & æſtus marini ferocia in Occidentem raptas, in anchoris ſtare, minoribuſque navigiis in littora aquatum egredi. Illud quoque accepit, Præ- *Mira Comitis ſolertia.*

toriam Caſtellanam, triumanchorarum retinaculis decuſſam, in extremo fuiſſe diſcrimine, ut & alias duas prætorias, Galeoneſque. unam onerariam, quæ ſacchara vehebat, in ſcopulos *Baxios de Rochas* illiſiſſe, His maris periculis implicitos Hiſpanos, aliam ratibus ſtationem elegiſſe: & eas quæ aquatum in littora deflexerant, poſtquam mutatam Præfecto Hiſpanienſi ſtationem vidiſſent, deſerto littore, alias quidem in Maragnanam, alias in Terceræ inſulas, non exſpectato imperantis juſſu, conceſſiſſe: ipſum Claſſis Præfectum in Ocidentalia pertruſum, cum Galeatis navibus ad Siaræ portum ſtare. Creditum & illud, Præfectum Claſſis Comitem Torrenſem, cum domeſticis in Liburnicam tranſiiſſe, quæ in Sanctorum Sinum ipſum perveheret. reliquis juſſis vel conſilio, vel fortunæ gratia ac felicitate ſibi conſulere. Ajebant iidem, Prætoriæ Caſtellanorum vix ſex aquarum vaſa ſuperfuiſſe, ut Galeatæ omnes neceſſitate adactæ fuerint ire in Occidentem, ob potus penuriam. quem, utpote à liburnicis & minoribus navigiis deſtitutæ, (illa recentibus præliis ferè cuncta ipſis perierant) ex vicinis Inſulis transferre prohibebantur. At reliqui infauſtæ expeditionis Duces, Comes Banjola, Franciſcus Mora & Ludovicus Barbalio, cum diſtracta & accîſa Claſſis membra conſpicerent, nec reduci illam, unde abierat, poſſe, in hoc tandem convenere: ut

Baxios de Rocqua.

Barbalio cum mille quingentis militum terreſtri itinere Bahiam repetit.

ut Lodovicus Barbalio cum militibus mille quingentis omni armorum genere inſtructis, terreſtri itinere Sinum Sanctorum repeteret, viamque ſibi ferro inveniret. Franciſcus de Mora cum Comite Banjola conſcenſa minori victoria eò navigarent. Barbalio iter capeſſens ægros & ſequi impotes, dura neceſſitatis ac militiæ lege, trucidari juſſit, ne capti à noſtris adventus ipſius & profectionis per terreſtria indicium facerent. quod ſollicitè metuebat, uti ex captivis, qui ſe nemorum latebris abdiderant, cognovimus. Per hæc & quæ prædiximus tempora, ea accidêre, quæ referre non piget. Iudæus quidam, Bento Henricus, magnus, ut talium mos, jactator & promiſſor, grandis ſecreti, (Fodinæ puta) reperto erexit animos Senatorum. Verum incertam opum ſpem non levi precio licitabat. Indicii mercedem petebat ſibi & ex ſe natis & naſcituris, alteram proventuum & lucri partem. At Senatores, edocti FRAVDVM matrem penuriam eſſe, & tumidis ſtolidiſque imaginationibus impleri paupertatem, nec omnino abnuêre, nec annuêre poſtulatis. Verùm ea promiſere, quæ ex præſcripto præſidum Societatis, rerum utilium inventoribus indulta fuére. At Bento, non ſine ſupercilio, celare rem tantam, præ ſe ferre iter in Hollandiam, aliquid tamen de poſtulatis remittere. Senatores, veriti nè aliis rem aperiret, aut morte

Bento Henricus.

prævenſus nulli, iterum in colloquium cum Iudæo admiſſi, novis oblatis condicionibus, nihil effecére. ſed illo juſſo non exire Braſilia ne diſpaleſceret arcanum, diu ſola tantæ felicitatis expectatione felices fuere. Poſteà, cum ſolenni tractatu cum Vndeviginti-Viris, Societatis ſupremis rectoribus, tranſegiſſet, è Fodina, quam ipſe adiit, metallorum ſpecimina Pernambucum attulit. quæ poſt rigidum examen, deprehenſæ fuerunt ſulphureæ eſſe & plumbeæ materiæ, nec valoris magni. præterquam, quod ad Auſtralia S. Franciſci fluminis ſita eſſet, loco armis Luſitanorum & Belgarum controverſo, longiuſque à littore. Vidalius, cujus paulò ante memini, homo audax, callidus & prout animum intendiſſet, pravus aut induſtrius, in Paraybæ terris populationibus incendiiſque graſſatus, maximis damnis afflixerat Luſitanorum molas, agroſque cannis paſſim ſacchareis conſitos. Quibus malis avertendis, miſſi eò ad molarum tutelam militum manipuli plures fuere, qui junctis, cum res poſtularet, viribus, depellerent graſſantem. In ejuſdem Vidalii & Magalheinſii prædatorum capita, præmiis ingentibus exciti fuere circumquaque præſidiarii. Etiam pœnis terrefacti quidam è noſtris in Alagois & Portu Calvo, qui extorſionibus & direptionibus indigenarum per nefas, atterebant populum. Carolo Tourlonio prætoriæ cohortis Duci deman-

Vidalius graſſatur.

Inquiritur in expilatores civium.

demandatæ partes inquirendi in expilatores hoſce & coërcendi publicarum injuriarum autores. Venditi aliquoties ſub haſta Nigritæ ſervi, quos Africæ littora & portus tranſmittunt, luculentis preciis recreabant æraria. Attamen creba Servorum & Servitutis commemoratio, imperare videtur, ut de horum origine & ſorte pauca delibem. Eorum alios naturæ vitium fecit, alios lex. Illos voco, qui ingenii & indolis culpa nihil erectum dignumque hominis curâ ſapiunt. ut ex aliorum nutu & imperio ipſos vivere ſatius ſit, quàm ſuo. Lex servos facit, non illa melioris & benè ſe habentis naturæ, ut quæ liberos nos naſci vult; ſed quæ gentium eſt, contra naturam quidem, nec tamen ſine ratione introducta. Tales ſunt bello capti, qui cum iſto jure occîdi poſſint, ſervantur ad ſervitutem, aut pretio venditi emtique eadem lege adſtringuntur. Hæc ſervitus non Romanis ſolum, ſed & aliis gentibus paſſim uſurpata, dominis jus dedit vitæ & necis in ſervum. donec mitiori lege ſub imperio Romano coërcita dominia fuere, ratioque reddenda fuit occiſi aut crudelius habiti. Cæſar Dictator in Galliis ſub haſtâ captos vendidit, in Salaſsis Alpinis populis Auguſtus. Nec caruerunt iis Chriſtiani naſcente Eccleſia & multis poſt ſeculis. neque refragantur divinæ Apoſtolorum voces, ſed ſervitutem ordinant & præceptis informant. Exſtant de ſervis leges Caroli Magni,

Nigritæ magno ære venduntur.

De Servis & mancipiis diſcurſus.

Ludovici Pii ac Lotharii. ut & de conjugiis ſervorum decreta Alexandri III. Vrbani, Innocentii, Pontificum. Verùm poſteriore ævo paulatim apud Chriſtianos, doctrinâ & Chriſti genio manſuefactos, in uſu ſervitus iſta eſſe deſiit. Ita ut à temporibus Imperatoris Frederici II, ab annis nempe à Virginis partu CIↃ CCXII, omninò nulli fuerint. Fortè ob hoc, quod nefas crediderint, ita ſervire, ſanguine Chriſti in libertatem filiorum Dei redemptos; vel, ut hac nova & inſoluta humanitate pellicerent, alienos à

Epiſt. 31. Chriſti doctrina gentilium animos. Neque immeritò *Servum nomen ex iniuria natum ſcribit Seneca.* Majorem certè veteres Germani & honeſtatis & utilitatis publicæ rationem habuerunt, qui ſuis ſervis non crudeliter abuſi ſunt, Romanorum more, ſed hactenus tantum, ut frumenti modum, aut veſtis aut pecoris, tanquam colonis injungerent, ſuos cuique penates pro arbitrio permitterent. cujuſmodi ſervitutis veſtigia non obſcura, in agricolarum ſervitiis apud Sueonas, Polonos

Tac. de morib. Germ. alioſque populos obſervare eſt. *Verberare ſervum ac vinculis & opere coërcere, rarum. Occidere ſolent, non diſciplina & ſeveritate, ſed impetu & ira, ut inimicum, niſi quod impunè.* Atque hoc ferè more habere ſervos hodie ſolent gentilium & Chriſtianorum plurimi. Certè clementius & moderatius eos haberi cupit Se-

Ep. 47. neca: *Servi ſunt?* inquit, *imò homines. Servi ſunt? imo contubernales. Servi ſunt? imo humiles a-*

mici. Servi ſunt? imo conſervi, ſi cogetaveris, tantumdem in utroſque licere fortunæ. Tam enim tu illum ingenuum videre potes, quàm ille te ſervum. Crudele & inhumanum eſt, quod nec tanquam hominibus quidem, ſed tanquam iumentis abutimur. Cogita, iſtum, quem tu ſervum tuum vocas, ex iiſdem ſeminibus ortum, eodem frui cœlo, æquè ſpirare, æquè vivere, æquè mori. Sic cum inferiore vivas, quēadmodum tecum ſuperiorem velles vivere. Quoties in mentem venerit, quantum tibi in ſervum liceat: veniat in mentem, tantundem in te domine tuo licere. Vive cum conſervo clementer & comiter. Nunc poſtquam invaluit etiam inter purioris & in melius mutatæ Fidei Chriſtianos lucri cupiditas, aperiente viam bello & armis, rediimus & nos ad morem emendi vendendiq; hominē, Dei quantumvis imaginem, à Chriſto redemptum, imperatorem univerſi, & nihil minus, quàm naturæ ingeniique vitio ſervum. Vt & hac tempeſtate conqueri, ſub Chriſtianorum imperio in Braſilia, ſervorum aliquis poſſit & exclamare: *Quàm miſera res eſt O Iupiter & Dii, ſervum eſſe inſipientis Domini.* utiq; evenit nō rarò, ut ſapiētior ſtulto, bonus nefario, ſtupido ingenioſus ſerviat, & divinæ particulā auræ, nō naturæ ſuæ vitio, ſed ſortis alteri mancipet. Ariſt. in Pluto.

Quidā Franciſcus de Barros Regno ſuſpectæ vir fidei, ob hoc, quod ad S. Franciſci ripā habitaret, remiſſus otio, & ſua erga Regē Hiſpaniarū officia palā vēditaret, publiciſq; regiorū Officialiū tabulis cōprobaret, in Occidētales inſulas relegat⁹ eſt, INITIA quippe imperiorū

tuentibus, diffidendum victis, quavis occaſione ad defectionem & perduellionem pronis. Irrumpentibus quoque in Barbaro orbe in gentem noſtram ſoli vitiis, præſertim effera illa mutuis certaminibus pugnandi libidine, quæ in cædes, vulnera offenſaſque non leves deſinebant, non ſine Chriſtiani nominis dedecore; coërcita fuit Edictis rigidiſſimis ſingularium pugnarum petulantia & revocatus legum in homicidas rigor. Ob farinæ inopiam queruli Serinhaimenſes, Vnenſes, Paraybenſes, Allagoënſes & Portus Calvi habitatores, hoc impetravere, ut in eos animadverteretur, qui Mandiocæ proventus celarent Rectores. Et ne præſidiario militi deeſſent alimenta, panis demenſo ſolvti fuere Senatores ſuorum famem, donecè Belgio apportaretur liberalior annona. Fugiente anno CIↃ IↃCXXXIX perlatum in Mauritiam urbem cadaver fuit Illuſtr. Comitis Iohannis Erneſti Naſſovii. ita volentibus fatis, ut partitis natalium & obitus vicibus in utroque orbe inclareſceret, & quò virtutis ſuæ documenta daturus cum Fratre Mauritio venerat, daret mortalitatis.

Prohibentur certamina ſingularia.

Dixi abiiſſe laceram & diſsiprtam huc illuc Hiſpanam claſſem. At reduce in Pernambucenſem ſtationem noſtrâ, naves iſtæ, quæ per anguſtiam temporis, ſub prælii navalis initia, exonerari non poterant, jam juſſæ ſunt onera ſua poſt victoriam exponere, &

Quæ poſt claſſem diſſipatam evenerint.

mer-

mercantium deſideria implere, Naſſovius, revocato è r. tibus milite, terra ſe formidabilem hoſtibus oſtendit. Ludovico Barbalioni, qui duobus armatorum millibus Paraybæ imminebat, obvius ivit Picardus, excubiarum Præfectus & Centurio Dayus, qui hoſtem obſervarent & abactis armentis alimenta ſubducerent. imperatum quoque navarchis & littora tenentibus, ut in omnem eventum inſtructis navibus præſto eſſent, ſi quà irruptionem Luſitanus tentaret. Naves plurimæ in Sanctorum Sinum miſſæ, obſervandis & occupandis, ſi fors ſineret, hoſtium navibus. Cumque copiis ſuis Paraybæ proxima teneret Ludovicus Barbalio, miſſi è Gojanæ terris præſidiarii & centurio Mellingius, ſuam cohortem & Braſilianos ductans, & eam, quæ Artiſoskio paruerat in Iguaraca, revocata in hanc centuria Ducis Eintii; in Olindam, quæ Pironis erat. Tunc publico Senatus judicio in navium aliquot Duces, ob rem negligenter geſtam, animadverſum. Etenim Navarchorum, quotquot præliis iſtis navalibus interfuerant, quidam fortiter pugnavere & lumen virtutis bellicæ indefatigabiles pugna aliis prætulére: quidam turpi & erubeſcenda væcordia, dejectis mortis metu animis, militiæ decus maculaverunt, ſpectatores pugnæ, non actores. Noſſovius, ut exemplis ſeveris diſciplinam militarem contineret, ſelectis ad hanc rem Iudicibus, animadverſioni illorum

Ludovico Barbalioni opponitur Picardus.

Supplicium ſumitur de ignavis Ducibus.

reos ſubjecit. ne inulta foret gloria militaris læſa, & velut piaculo propitiaretur Mars, duo ex Iudicium ſententia capite perfidam ignaviam luerunt. uni gladius clementiæ index & meritæ mortis ſupra verticem iit: uni parcitum fuit, ob priſtina merita. Vidit hanc ſeveritatis ſcenam Antonius de Cunha Andrada, miratus, quamvis parta victoria, inflexibilem militiæ Belgicæ rigorem. quem & laudabat, tanquam tenaciſſimum vinculum ſecuritatis publicæ & imperii noſtri ſtabilimentum in hoſtili ſolo. At præclarè meriti Duces, non laudibus ſolum præconiiſque cumulati, ſed & aureo ſinguli numiſmate, in rei memoriam, donati. Ejus latus unum claſſis naviumq; imaginem exhibebat, cum hac inſcriptione: *Deus contudit faſtum inimicorum.* alterum effigiem Comitis Mauritii, & appellationem. Barbalio per mediterranea militem ducens, per eas terras, quas Mattos vocant, iter affectabat. quò ſe Tourlonius ad obſidendas vias recepit. Picardo & Donckero mandatum, ut relicta Gojana in Terram Novā ſe conferrent, & hoc omni cura agerent, ut hoſtiles copias, ſi quà poſſent, aut ſternerent aut fugarent. Verum non ſegnior hoſtis, cohortes aliquot noſtrorum, quæ Gojanæ erant, incautas occupavit, interfectis Picardo & Lochmanno Centurione, gregarii ordinis centum, aliis vel ſauciis vel fuga elapſis. Qua ſuorum ſtrage perculſus Naſſovius, ipſe co-

Præmia dantur benè meritis.

Caduntur aliquot Belgarum copiæ.

actis undequaque militaribus copiis, bellum capeſſere ſtatuit. Accîti è navibus in terram milites & navalium ſociorum ducenti quinquaginta, Duce Iacobo Alardo. Mansfeldius & Hooghſtratanus ex Comitis imperio ſe junxere copiis ad S. Laurentii ſedem. Centurio Hoeſius, contracto è Moribeca milite, una cum aliis centurionibus, Dyckio & Sluytero in Olindam ſe recepit. Prætori Statio imperatum, uti octuaginta Nigritarum ex molendinis conſcriberet, portandis caſtrenſibus impedimentis. Civibus verò, ut vacua præſidiis urbe excubias ipſi agerent. Entius quoque movere ſe ex Ihuaraca juſſus & cum centuria ſua adeſſe. Interea Tourlonius è Parayba hoſtem inſecutus, moleſtiſſimo at celerrimo itinere, quippe XVII millia duodenis horis confecerat, ſuis fame attritis, fruſtra fuit. Certior namque factus Luſitanorum indiciis de Tourlonii adventu, moverat caſtra in Mattos, magna, ut videbatur, feſtinatione, ob relictas hic illic militares penulas ſarcinaſque. Noſtri latitantes aliquot hoſtium in arundinetis, protractos trucidarunt. His ad Comitem perlatis, decretum, ut ab expeditione abſiſteretur, remiſſo, qui conſcriptus fuerat, in ſua loca & ſigna millite, navalibus in ſuas rates. Nec diu poſt Mansfeldius in Mattis cum hoſtium cohorte dimicavit. quæ poſt velitatiões aliquot abjectis

Naſſovius ad bellum ſe parat.

Diſſolvitur bellum ad abitum hoſtis.

Comes inſtare ſuos hoſti jubet.

abjectis impedimentis, in fugam ſe dedit, penulis, quas ducentas reliquerant, non farina ad victum, ſed ſacchato, ob farinæ penuriam, repletis. Non deſtitit Comes variis locis, ubi ſecuritas publica exigebat, hoſti inſtare, per Tourlonium Cameroni & Iohanni Barbalioni, per Mansfeldium, qui mille & ducentos in prælium ducebat, Ludovico Lopezio Barbalioni, cum mandatis, ut ad Fluminis uſque Franciſci ripas, hoſtem ipſe perſequeretur. at Tribunus Coinus vnam uſque, inde in Serinhæmum reduceret militem. miſſæ quaquaverſum in portus noſtros rates plurimæ, commeatum ferentes reficiendis copiis. Sub hæc tempora, aliquot ordinis Eccleſiaſtici, Franciſcani, Carmelitæ, Dominicani Præfecturæ Pernambucenſis, numero ſexaginta, ob clandeſtina cum hoſte conſilia, & tentatas militum defectiones, ſubmiſſamque Hiſpanis annonam, in Tamaricâ inſula detenti, inde in Indiam Occidentalem ex Senatus Supremi decreto, deportati ſunt. ubi licet affectu, ob partium ſtudia, nocere poſſent, locorum tamen immani intervallo à Braſilienſibus ſegreges, nocere prohibebantur. Quæ res licet primò commoviſſet populum, poſtea tamen, ſublatis è conſpectu, quos retinere cupiebant, elanguit cum indignatione deſiderium. præſertim cum relicti ipſis eſſent, obeundis ſacris, Parochiales Preſbyteri. Depulſo finibus hoſte, non armis ſo-

Comes inſtare ſuos hoſti iubet

Aliquot ſacri ordinis relegati.

ſummodo, ſed & frugum inopiâ, quarum cum indigenis negotiationes prohibitæ aliquandiu, per belli neceſſitates, fuerant; veniam fecit denuò Senatus incolis, per vicinas terras & oppida farinas divendendi, & quò vellent, diſtrahendi. Vtique noverunt militarium & civilium rerum sciti, extra bellum ſubminiſtrari poſſe alimenta, quæ vigente bello prohiberi minimè nefas fuerit. Ideòque in hoſtium eſſe partibus, qui talia ſubvehat, poſt publicam ſignificationem. cum annonæ copia augeat bellum, quantum inopia minuit. Braſilianis militantibus injunctum, ut, ceſſante hoſtilium irruptionum metu, in ſuos quiſque ſe vicos reciperet, & culturæ agrorum vacaret, ſublevandæ frugum parcitati.

Nec ſegnius Societatis Directores in hoc domi incubuére, ut attrito bellis milite, auxilia in ſupplementum ſubmitterent Braſilienſibus, quæ toties Comes, toties Senatores per litteras tamque ardenter efflagitaverant. Cumque tanti Imperii molem ſuſtinere non poſſent eo quæſtu proventuque, quem ſufficeret Braſilia, afflictis molendinis & vaſtata paſſim meſſe, ea conſilia inivere, ut armis bellique fortuna languentem rem reſtituerent, potentiamque in rates argentiferas, quæ è Terra Firma, Nova Hiſpania & Honduris quotannis dites abeunt, converterent. Quare novam adornavere claſſem, navium viginti

&

Expeditio Ioli in portus Sanctorum terras.

An. CIↃ IↃ C XL. Mart. XVII.

& octo, ſub Præfectis Cornelio Iolo, & Iohanne Lichthartio. qui pubeſcente anno, (erat is milleſimus ſexcenteſimus & quadrageſimus) Belgio egreſſi, in Braſiliam appulerunt primo Vere. adductis ſecum Iohanne Walbeeckio, qui Aſſeſſoris, Nieulandio & Alevvino, qui Senatorum & Moucherone, qui Advocati Fiſcalis munere fungerentur. Deliberatum ſeriò, quid ex Societatis uſu facto opus eſſet. Deſignabatur omnium votis Vrbs S. Salvatoris, Braſiliæ metropolis, nuper à noſtris fruſtrà tentata. Eâ in poteſtatem redacta, totam mox Braſiliam noſtram fore, omnemque ſacchari proventum, ob molendina hujus provinciæ plurima. Verùm uti ſpe facile eſt complecti maxima, ita potiri cupitis difficile. Iudicabat Naſſovius, non eſſe ſibi militum ſatis obſidendæ urbi. hoc auſuro ſenis minimum armatorum millibus opus eſſe; illi à validis præſidiis proſpectum eſſe, & advocari in ſubſidium vicinos populos nullo negotio poſſe. fame illam expugnari, longioris eſſe moræ, quàm anni tempeſtas ob pluvios, menſes ferat. adhæc Directorum Societatis recentibus mandatis bellum Occidenti indici & regiis claſſibus. Itum itaque in eam ſententiam, ut novus miles in hoſtium terras immitteretur. qui, uti tentatum & factitatum à Barbalione fuerat intra fines noſtros, flammis ferroque obvia vaſtaret diriperetque. ita futurum, ut ſuo damno

ſa-

ſaperet hoſtis & bella in poſterum gereret clementius. facta vaſtitate, ipſi deſore pabula alendis præſidiis, mercantibus lucra, ærariis reditus, nobis otia fore & quietem. Poterant moviſſe veterum Romanorum exempla, qui iſto fini in Hiſpanos, Campanos, Ligures, Nervios & Menapios populati fuerunt. Quod & antè fecere Halyattes in Mileſios, Thraces in Byzantios, non tam hoſtium odio, quàm prudenti ratione, minuendo bello & flectendo ad pacem hoſte. Quare dum naves aliaque ad violentam expeditionem neceſſaria Parantur, Iolus cum navibus octo, quæ milites vehebant ſeptingentos & Braſilianos bis centum, in Portum Francicum vela fecit, ut cohortium Barbalionis relliquias in Allagois hærentes, incoliſque cædibus graſſationibuſque graves, ſubmoveret. cujus adventu percepto, in Auſtralia progreſſus Barbalio, incolas omnes, tribus quatuorvè exceptis, ſecum abduxit vacuaſque ſedes fecit. at horum, utpote transfugarum & jam à partibus hoſtium, bona, agri, domuſque Fiſco noſtro adſcripta. Lichthartius Claſſis pro-præfectus & Carolus Tourlonius militum dux, in Portum Sanctorum valida claſſe navium xx ivere, quæ militum habebat bis mille & quingentos. ubi expoſito in terram milite, ſævientis Bellonæ horrida crudaque documenta dedere. Molæ Luſitanorum omnes, tribus exceptis, *Quis finis populationum.*

Lichthartius populatur in Portus Sanctorum terris

in cineres redactæ, navigia minora, quotquot ſe hic illic offerebant, vel capta, vel exuſta. agri circumjacentes, vici prædiaque, aſpectantibus oppidanis, vaſtata & direpta. Inſula Tapeſiqua aliæque prorſus expilatæ, ne damnorum cetera memoremur, hoſte nullibi morante aut vim noſtram ſuſtinente. quicquid virilis ſexus armiſque metuendum, ferro ſternebatur. ſoli parcitum ſexui muliebri & imbelli ætati, hæc miſerationem duo attulerunt & excuſationem. cum mulieres belli præmium facere, immite ſit. & in infantes, qui modo in lucem vitamque humanam venere, ne calumnia quidem, quod dicat, habet. Tribunus Coinus, poſtquam in Portu Francico tres militum centurias in naves recepiſſet, in Fluvium Regalem, dominii Hiſpanici, rectà tetendit, ut eandem vaſtitatem faceret. facti cauſſa fuit, ut fixa in hoſtico belli ſede, levarentur annonæ penuria Pernambucenſes, militi noſtro alibi alimonia eſſet. accedebant & hæ rationes: exinde opportunas eſſe excurſionibus Luſitanorum præfecturas; ſatius eſſe, vim inferre foris, quam domi pati: ſic ſementem, ſic meſſes ipſorum intercipi: ſic pecudum, quibus victabant, capturam impediri: non alia belli facie adduci poſſe hoſtem, ut reducto è provinciis Belgarum milite, ſuæ ſtuderet tutelæ: quin & alibi occupatis copiis noſtris, melius tranquilliuſque fore domeſticis. Verùm dum hic moramur

Rationes populandi hoſtium terras.

& vin-

& vindictam ferro ignique explemus, non ea hic reperta pecorum copia, quæ Belgis ſufficeret. utique commeantes & remeantes per hos tractus Barbalionis copiæ, pecoris indigentiam fecerant. juſſi quoque fuerant, adventante Coino, Fluvii Regalis accolæ omnes, ut & Tapicurenſes, quicquid eſſet armentorum, in Sinum Sanctorum agere. Itaque hoc rerum ſtatu, alibi ſui uſum eſſe poſſe optabat Coinus. Peragratis quippe iſtius territorii agris omnibus, ad milliaria uſque viginti, nuſquam inſignes nocendi hoſtibus occaſiones nactus fuit. Iamque Brandius vigiliarum præfectus ex captivis hoſtium acceperat, pro-regem dicti Sinus, Georgium de Maſcarengas, cum navibus octodecim eò devectum, quibus nautici & bellatores vehebantur bis mille & quingenti. adduxiſſe eum ipſum tribunos militares quinque: detineri regio juſſu Gubernatorem Comitem Torrenſem, Barbalione juſſo in Luſitaniam reverti. Idem Brandius cum cohorte ſua in mediterranea animoſius progreſſus, ab hoſtibus mox circumventus cæſuſque clade non levi fuit. deſideratis centum, pluribus, inter quos Brandius ipſe, captis. Per Coinum, magni aliàs animi & prudentiæ virum, infelicius quoque tentata fuit Vrbis Spiritus Sancti, in præfecturâ cognomine, oppugnatio, ob minus exercitatum militem, & minorum navium penuriam, quæ prohibebat militares

Vrbs Sp. S. in præfectura eiuſdem nominis tentata.

litares citò exponi. etiam ob præmonitum hoſtem. qui oppidulum feſtinis operibus muniverat, auxiliares Braſilianos è portu flum. Ianuarii acciverat, ſeque in montem receperat, è quo tormentis quinque Belgas non irritis ictibus impetebat. Dux in montis faſtigia conatus aſcendere, ut propulſaret hoſtem, ſuorum puſillanimitate & vecordia receptui ſignum dare coactus fuit, incenſa pluribus locis urbe, quæ ob lateritias domos flammam non concepit. Abductæ ſolum è flumine naves onerariæ duæ, quæ ſaccharorũ ciſtas habebat quadringentas & quinquaginta. Sed hoſte in illas machinis detonante & compagem omnem diſſolvente, ſuavior ſaburra in alias naves translata in prædam ceſſit. Cecidere è noſtris gregariis ſexaginta, & dignioris militiæ aliquot, ſaucii octuaginta. Graſſante per Sanctorum præfecturam Lichthartio, Barbalio, ut afflictis ſuccurreret, revocatis ocyus ſignis, quæ in finibus noſtris hærebant, trajecto S. Franciſci flumine, dominii Belgici limite, Sinum ſuum repetiit, conſumtis attritiſque valde fame & viarum incommodis, quas habebat, copiis. Duo hoc tempore quam maximè ſuæ curæ eſſe putabant Naſſovius & conſortes conſiliorum Senatores. Vnum, ut Sanctorum Sinu Vrbeque potirentur: alterum, ne decreta in Occidentem per Iolum expeditio negligeretur. Prius confici non potuit, ob militum inopi-

am

am & commeatus, quem abſorpſerat Ioli Claſſis, abitura in Occaſum. Placuit ergò poſterius effectum dare. Duobus quoque incommodis flagellabantur Societatis lucra. Prius à prædonibus erat, & graſſatoribus iſtis, qui incolas cogebant vivendi in agris ſecuritatem ære redimere. quæ cauſſa fuit, quod parcius cæderentur Braſilienſis ligni feraces ſilvæ. poſterius ab incendiariis, vel privatâ vel publicâ authoritate nocentibus. His malis obviam itum, quà potuit, militum per tractus omnes pro viribus & modo locorum, diſperſione. qui prædones Nigritas, etiam Luſitanos, captos abducerent, & locorum Iudicibus ſiſterent. Erat illorum primipilus Petrus Viſtus Nigrita, ſilvis ſe abdens. qui hoſtium mandatis inſtructus magnas Belgis calamitates dedit, nuper non levem viciſſim ab ipſis cladem paſſus, ereptis ipſi, quos Ingeniorum Dominis ſubduxerat, Nigritis centum. In eo laboratum valdè à Comite & ſuis, ut faciliores & æquiores erga nos redderentur Luſitani quorum plerique ejus erant animi & ſententiæ, bona ſe fide arma in Regem capere non poſſe, aut prædonum ferociam ac quotidianas excurſiones coërcere. ideòque ſilentio, conſiliis, ipſo opere, graſſantibus favebant. Itaque conſcripti à Comite per provincias tres, Pernambucenſem, Itamaricenſem, & Paraybenſem, qui Luſitanorum dignitate, opibus fama maximè conſpicui

Comes ſtudet ſibi animos Luſitanorum conciliare.

Conſcribit Luſitanorum præcipuos.

ſpicui eſſent, rogatique, ut ad publicæ ſecuritatis cuſtodiam conſilia operaſque conferrent; hoſtium Societati & amicitiæ renuntiarent. cum nullum ab Hiſpana Claſſe præſidium ſupereſſet; mercaturæ ſtudia erigerent: vim omnem ab aris & focis unanimes arcerent. ſe nihil intermiſſurum, quod ad ipſorum faceret commoda, gentiſque Luſitanicæ honorem. rigidiſſimis edictis cautum iri, ne à milite vel Officialibus ſuis indignè haberentur & ne non manus modò, ſed ne veſtigium cuiquam pacato nocuiſſe dicatur. Hæc aliaque quæ mitigandis, devinciendiſque animis faciebant, elocutus, ſalubria omnium aſſenſu decrevit.

Status rationum quoad lucra & reditus.

Qui ærariorum rationes ſupputabant accuratius, notant per hæc tempora, ex Dominiis Regiis, quæ ſaccharorum decimis, eſculentorum ponderumque tributis conſtabant, in Societatis rationes rediiſſe florenûm ter centies mille & quinquaginta. at patiebatur æquitas remiſſionem aliquam indulgeri illarum exactoribus, ob afflictas hoc anno incendiis rapiniſque Operarum domos. Mercium ex Belgio hunc allatarum, quæ privatorum erant, vectigalia, confecere quater centies mille florenûm. Saccharorum hinc in Belgium evectorum, ter centies mille. Debitæ ex molarum venditionibus, fundis & captis Nigritis pecuniæ, erant vicies & quater centies mille florenum. Ex ſpoliis profecta

trecen-

trecenta florenûm millia. Nigritæ apud Afros empti, hîc divenditi, ſexcenta millia valuere. Hi Braſiliani ſoli reditus erant & lucra. præter quæ, ſua quoque colligebant domi Belgarum æraria. Et fuiſſent ſane luculentiores reditus, niſi ſacchari vilitas illos diminuiſſet. cujus precium intendi potuiſſet, partim hoſticarum molarum ſubverſione, qualis jam cœpta fuerat, partim iſtorum ſaccharorum interdictione, quæ quotannis Orientalis Societas apportabat. Illud quàm maximè ad promovenda Societatis Occidentalis commoda facere judicabant Senatores; ſi lex illa vetus Luſitanorum revocaretur. quâ vetuit Rex, ob nomina & debita, ſubduci Ingeniis Nigritas operarios, aut utenſilia ipſorum. ut quibus ablatis ceſſarent operæ omnes & qui inde ad Regem redibant fructus, prorſus interciderent. Enimverò, uti ſine Intelligentiis Cœlos moveri negant Peripatetici, (date hanc periodum, Lectores, hiſtoriam ſcribenti) ſine nauta regi navem, ſine auriga currum; ita ſine Nigritis, tanquam Formis Aſſiſtentibus, ſuaviſſimos ſaccharorum orbes verſari poſſe, negant Braſilienſes. Præterea, ſi plus noſtratis pecuniæ tranſmitteretur, in quotidianos operantium uſus. Luſitanis eam, quæ regiæ eſſet & dignioris monetæ, occultantibus & parcius erogantibus. Etiam, ut Braſilienſi Nicotianæ valor ſuus, qui fuit antè, redderetur, zingiberiſque

Quæ utilia Societati Occidentali.

culturæ vacarent indigenæ. Sed nihil æquè utile ac fructuoſum, quàm frequens colonorum miſſio, & privatorum liberrima commercia. non ſolum ob uberiores, qui inde expectabantur, reditus, ſed & ob imperii ſecuritatem; cum, QUOS VICERIS, amici credendi non ſint, & facilè ab impoſito jugo reſiliant, non aſſuetæ novis frenis gentes. Imperavere inſuper iidem Senatores, ut plures inſtruerentur Liburnicæ. quæ portus Afrorum ad Angolam, ut & Braſilianorum, ad oſtia fluminum Ianuarii & Platenſis, obſervarent & hoſtium navibus vectoriis inſidiarentur ut quæ maximi precii merces vectare ſoleant, Nigritas, vina, farinacea, aliaque, quæ his in oris diſtrahi cupidis mercatoribus amant. At confici illa minus, quàm poſtulabat res, potuére, ob navium penuriam, quarum pleraſque ſecum abduxerat Iolus.

Hector de la Calce neceſſitate adactus ad Paraybam fertur.

Commodum tamen evenit, ut in Paraybam neceſſitate compelleretur Neapolitanorum militum Tribunus Hector de la Calce, è Sinu Sanctorum paulò antè egreſſus, navem penè dehiſcentem rimis & malè cohærentem, in portum noſtrum dixerit, abiturus in Occidentem, cum militibus ſexcentis. Qui, ne annonæ noſtræ graves eſſent, in Occidentem tranſvecti fuére, retentis Hectore & Officialibus. ut per hos redimerentur ii, qui noſtratium captivi in Havanæ portu detinebantur. Hunc ipſum Hectorem, optimæ. ut

com-

comperio, notæ virum, interjecto tempore, in Hollandiam miſit Comes, ipſo poſcente. Sed, quâ fuit fide, & videri voluit, detrectavit in Hiſpanicam reverti, niſi primum impetratâ captivis extra Belgium noſtratibus dimiſſione, & penſatis Societati iis ſumptibus, quos tranſvectandis ſuis feciſſent.

Sed ad Iolum & Lichthartium, quos aliquot retrò menſibus Braſiliæ Septentrionalia circumvectos, in Occidentem ſua claſſis vexerat, naviget oratio noſtra. Ea navibus conſtabat viginti quatuor ad bellum paratiſſimis. navalium numerabat millia duo, militarium mille & ſeptingentos. Erexerat hæc expeditio, magni alicujus eventus exſpectatione, animos non Braſilienſium modò ſed & Europæorum omnium, Luſitanorum & Belgarum. Nec enim utilius cupidiuſque pugnari poſſe videbatur, quàm ubi ſe cupiditatis humanæ luculenta offerret materies, non aromata, ligna, ſacchara, ſed ipſiſſimæ Occidentis gazæ & auri argentique uberes maſſæ. Verùm, quod in bellis non infrequens, maxima cœpta ſæpenumero deſtituit ſucceſſus, præſertim mari: ubi ventorum æſtuumque arbitrio ſubſunt humana conſilia. Stabat claſſis omnis, ipſis Calendis Septembris, in celeberrimi portus Havanæ, qui in inſula Cuba eſt, conſpectu. mox diviſis in contubernia navibus, per maria huc illuc oberrabat. donec excurreret menſis, & unà

An. CIↃ IↃ CXL. menſe Iulio.

Claſſis Ioli ad Havanæ portum.

prædæ ſpes. etenim exſpectabat deſideratiſſimè & cupiebat vehementer, ut Hiſpanorum claſſes è portubus exirent & pugnandi libidinem irritarent. Hiabant ad tantam fortunam omnium cupiditates, quas opum vicinitas accendebat. Sed fefellit eos ſua exſpectatio. quamvis enim, uti impatiens moræ eſt pecuniarum ſitis, ex captis hic illic piſcatoribus percontati eſſent de claſſium adventu, nihil fando reſcivere. Etenim optimis conſiliis & prudenti metu in ſuis quæque portubus hæſere. nec conſultum credidere, armatæ cupiditati objicere aureas argenteaſque meſſes. ſatius arbitratæ, tantarum opum tranſvectionem differri, quam in certa ferri diſcrimina. Obortæ quoque tempeſtates, invaleſcente Æolo, tam gravibus procellis incubuere claſſi, ut illa disjectâ, aliquæ navium in littora Cubæ impegerint, ab exurgentibus undarum molibus depreſſæ naufragæque, captis, qui evaſerant, vectoribus. qui in portum Havanæ abducti ibidemque aliquandiu detenti, poſteà Pernambucum reverſi, Hiſpanorum erga ſe humanitatem & comitatem mirè prædicavere, non ſe in carceribus ſordibuſque habitos, ſed liberiore cuſtodia, neque victu parço, ſed ad neceſſitates copioſo. quatuor aliæ, quò ſors mariſque furor & venti ferrent, aberravére. Vna in Belgium præmiſſa infelicis cœpti nuntia fuit. at earum, quæ aberraverant, duæ

Disjicitur tempeſtate

per

per Bahamæ fretum actæ, nempe Naſſovia & altera Erneſti, ſalvæ Pernambucum pervenére, alia in Hollandiam delata fuit. Refectis in Matanccæ Sinu claſſiariis, reliquæ naves ſedecim, quibus militares ſupererant ſexcenti & nonaginta, nautici nongenti & triginta octo, Braſiliam appulére: at fractæ multum & adeſæ. Eæ in novas expeditiones reſtauratæ abſque mora fuere. ne tantarum impenſarum fructus omnis periret. Vtique Comes, operum indefeſſus, alias ſub Lichthartio in flumen Ianuarii vela facere juſſit, invadendis hoſtium, ſi quæ vel ſubirent vel altum conſcenderent, ratibus; alias in Angolæ littora, ut Luſitanorũ iſtic naves opperirentur, & pugnæ occaſiones occuparentur.

An. CIƆ IƆ CXL. Novem. XIII.

Eclipſis Solaris deſcriptio.

Incidit in finem Anni quadrageſimi ſupra milleſimum & ſexcenteſimum, Eclipſis Solaris, quæ totum penè Solem Braſilienſium oculis eripuit. Quod noto, non tanquam rem miram his ſeculis, quibus rerum iſtarum cauſſæ innotuere: verùm quia in omen conveniens à benevolis civibus accepta fuit. illis puta. qui Principibus cœleſtem favorem & Numinis indulgentiam ex ſiderum obſervatione promittere amant. hi vota ſua ſperantes erigebant & hanc ætherei luminis privationem, Hiſpanici fulgoris in his terris occaſum defectumque interpretabantur. Comitem extollentes, per quem ampliſſimi honoris Regii tantus ſplendor minui potuerit.

A B. Ecliptica.
C. Centrum Solis.
D. Centrum Lunæ.
C D. Diſtantia intra Centrum Solis & Lunæ.
E F. Magnitudo Eclipſis in digit. & min
E G. Reliqua pars Solis lucida.
F C E G. Diameter Solis.
H F D E. Diameter Lunæ.

Tempus æquabile Vraniburgi d. ſtyl. nov. 3. ſtyl. vet. 13. Novemb. h.	3. 12′. 3″.
Locus Terræ perpendiculariter Soli ſubjectus	21°. 4′6. 2″. *Scorp.*
Locus ☊	21. 23. 21. *Scorp.*
Reductio	6. *Subtr.*
Locus Lunæ in Orbita	21. 45. 56. *Scorp.*
Arcus inter centra	2. 5. *Bor.*
Ampliatus phyſicè	2. 7.
Parallaxis Lunæ, ſeu Semidiameter diſci terræ	63. 41.
Semidiameter Lunæ	16. 22.
Solis	15. 27.
Semiſsis parallaxis Solis	30.
Semidiameter Penumbræ	32. 19.
Semidiameter Lunaris Vmbræ	55.
Summa Semidiametrorum	1. 36. 0.
Horarius Solis } *veri*	2. 32.
Lunæ } *veri*	38. 27.
Lunæ à Sole verus	35. 55.
Ampliatus phyſicè	36. 29.

Erit

Erit igitur defectus alicubi centralis & totalis.

Scrupula dimidiæ durat. omnimodæ Eclipſ.

1. 35. 59.

Scrup. dimid. moræ total. umbr. Lunæ in diſco

1. 3. 39.

Scrupula dimidiæ moræ penumbræ in diſco

31. 18.

Ergo H.

Tempus dimidiæ durationis 2. 37′. 51″.

moræ Vmbræ 1. 44. 41.

moræ penumbræ 0. 51. 28.

Tempus adparens mediæ Eclipſ. Mauriciæ

erit die. 2 ſtyl. nov. 12. ſtyl. vet. Novemb.

H. 23. 47′. 48″.

Tempus adparens viſæ Veneris &

maximæ Ecclipſis Mauriciæ

in Braſilia, 2. St. v. 12. ſtyl. nov. Novemb.

H. 23. 27. 6.

Ad illud tempus datur Latitudo Lunæ viſa

7′. 25″. *Merid.*

Aggregatum Semidiameter Solis & Lunæ 31. 49.

Ergo

Pars deficiens 24. 24.

Et quantitas deliquij Solaris 9. Dig. 28′. 32″.

Scrupula durat. dimidiæ omnimodæ 30′. 56″.

Hinc H.

Tempus duration. dimidiæ omnimodæ 1. 13′. 59″.

Et Initium Eclipſis Mauriciæ 10. 13. 7. *Ante*

Medium 11. 27. 6. *mer.*

Finis 0. 41. 5. *poſt mer.*

d. 3. ſtyl. nov. 13. ſtyl. vet. Novemb.

Apparere Eclipſis Mauritiam incolentibus cœpit, Novembris die decima tertia, hora decima ante meridiem; & ad ſummum provecta fuit hora undecimâ, treſque Solis tertias obſcuraverit, cum minutis viginti octo. ſicut minus quarta ſui parte hîc mundo luxerit. Verùm quadraginta ſeptem ab hora duodecima minutis, labore ſuo tenebriſque evolutus Titan, pleno refulſit lumine. At alia per id temporis facie apparuit Nicaraguæ populis, totus immerſus umbræ Lunari. alia Carthagenæ, & fluvium S. Marthæ habitantibus, in America Boreali. alia rurſum Portus Securi terris in Braſilia. alia Angolenſibus, Abyſſinis in Africa, Fluvii Platenſis & Freti Lemarii accolis, ob longitudinum & latitudinum Sphæricarum diſcrimina. Fuit illud inter alia laudatæ curioſitatis & induſtriæ in Illuſtri Comite documenta, non promiſcuum, quod per Mathematicos ſuos, quos domi militiæque ſecum habuit, depingi & deſcribi hùnc Solis laborem imperaverit, exemplo maximorum & clariſſimorum Imperatorum. qui media inter prælia, Aſtrorum cœlique plagis Superiſque vacarunt. ut de ſe apud Lucanum perhibet Cæſar. Quid, quod antè viſam Eclipſin, in mandatis dederit naucleris; quotquot maria abituri conſcenderent, ut Eclipſis hujus futuræ faciem & momenta omnia vultuſque difformes, ſuis ſinguli locis poſiti, attentius obſervarent

&

& chartis conſignarent? In gratiam eorum, quibus Phænomena cœleſtis machinæ & immobiles Planetarum vices noſcere ſtudium eſt, apponam Eclipſis hujus faciem, pro temporum momentis aliam atque aliam. prout illam ad Aſtrologicam accurationem delinéavit Matheſeos peritiſſimus G. Marckgravius, Comiti in Barbaro Orbe ab his ſtudiis. Lichthartius, poſtquam è portu S. Alexis ſolviſſet, & ſuperatis vadis, quæ Abrolhos vocant, in oſtio fluminis Ianuarii ſtaret, in tria contubernia claſſem partitus, in obvias hoſtium rates avidè intendebat. at nihil tantis motibus dignum obtulit iniquior ſors. ſola in ſpolium ceſſit navis, vina habens, & alia ſacchari non multùm. illa valuit nonaginta quatuor florenûm millia. hæc non niſi duo. Quare refectis ad inſulam Grandem claſſiariis, in Pernambucenſem portum rediit. At malè habebat rerum Societatis in Belgio principes, hæc in Ianuarium expeditio; cum eam Braſilienſibus armorum, militum & navium vim fuiſſe contenderent, quæ expugnando Omnium Sanctorum Sinui & Braſiliæ totiùs metropoli ſufficeret. Quare Braſilienſium Præfecti, honoris ſui intereſſe arbitrati, ne tantæ negligentiæ rei haberentur, criminationem iſtam graviter refutavere & ut omnem de ſe malè ſuſpicandi occaſionem ſufflaminarent, in hunc ferè ſenſum deſcripſere: malè calculum poſuiſſe Directo- *Inſula Grande.*

res

tres, non ſibi iſtum fuiſſe aut navium aut militum numerum, quem tabulis ſuis ipſi inveſtigarant. navium minorum tum in procinctu fuiſſe viginti tres, non quadraginta & unam: Liburnicarum non viginti & duas, ſed duodecim duntaxat. aliarum navium vectoriarum non triginta, ſed octodecim. in militum cenſu non undena millia ſe reperiſſe, ſed quina & trecentos inſuper. addebant, magnis validiſque præſidiis per illa tempora munitam fuiſſe Salvatoris urbem; adverſus hoſtem incendiarium opus fuiſſe multo milite, qui per præfecturas accendis illis diſtribueretur, ne ſacchari meſſis omnis molendinorum dominis intercideret: littoralia loca defenſoribus eguiſſe, adverſus vim externam & inteſtinas Luſitanorum molitiones; aliaque, quæ diluendis objectamentis & ſiniſtris interpretationibus eminentium poteſtatum faciebant. INQVIETA res eſt mercantium animus. nunquam illi tam plenè occurrere & obſequi ulla fortuna poteſt, quæ vota exſatiet. Facilè invenit, quod amplitudinis ſuæ curatoribus imputet. ac dum ſuas ſpes anteire parat, vellet confectum, quicquid animus deſtinavit.

Hoſtis de temperamento belli cogitat. AN. CIↃ IↃ C XL.

Qui Vrbem S. Salvatoris tum imperio tenebat Pro-rex, revocatis ad animum damnis, quæ jampridem à Belgis, laxata belli licentiâ graſſantibus, paſſus fuerat, pertæſus ſerò tam immanſueti & feri moris, de tempe-

tamen-

tamento belli cogitare cœpit. Etenim Eccleſiaſticos Pernambucenſes aggreſſus, facilè ob communis calamitatis ſenſum, ab iis impetravit, ut à Comite & Senatoribus, per libellum ſupplicem, peterent earum legum reſtitutionem, quibus effera illa ſæviendi in captos, inermes, ſe dedentes & agros, obviaque quæque vaſtandi rabies coërceretur. Non præbuit ſe difficilem Comes, in lenitatem pronus, crudelitatis omnis oſor. qui nec ad aſpera iſta deſcendiſſet, niſi irritatus ab hoſte. qui, ne victis Belgis parceretur aut vitæ ulli daretur venia, prior juſſerat. reſcripſit ad libellum ſupplicem, ſibi non diſplicere mitiorem belli modum, modò eundem amplectantur & ſervent hoſtes. Vtique noverat, minoribus turmis invadi poſſe & affligi terras noſtras: hoſtium non niſi majore motu & maritimo itinere: eſſe inter ſuos, qui hoſtis cauſam clam agerent & incendiariis patrocinarentur, ſe à talibus in hoſtico deſtitui; ſpem quoque obtinendi Braſiliæ reliqua, iſtis incolarum & molarum direptionibus, ac villarum incendiis corrumpi. Nec renuit Pro-rex Marchio de Montalvan æquiſſima Comitis poſtulata, miſſiſque hinc inde obſidibus, convenêre in unum partes. à Comite miſſi ad Marchionem obſides, Hinderſonius pro-tribunus, & tribunus Dayus; à Marchione ad Comitem Martinus Fereira Luſitanus & Petrus de Arenas è gente Hiſpana.

Rationes, quæ Comitem idem facere impulerunt.

Obſides dati.

Legati ad illam rem hinc inde.

na. At qui rem diſceptarent, fuere à Belgarum partibus, Theodorus Coddæus Burchius, & Nuninus Olfardi Senatores, quique in partem principalium curarum & levamentum oneris advocaretur, Abrahamus Tapperus, Senatui politico à ſecretis. His mandatum, ut Latino idiomate uterentur, ne ſub linguæ ſuæ vocibus fallerent Luſitani. Nec caruit poſtmodum ſucceſſu ſuo hæc legatio. verùm poſt longas deliberationes conventum, uti jura belli circa captivos & agrorum vaſtationes, ſarta tecta utrinque eſſent. Hæc ipſa tamen, (ut poſt geſta annectam) ſequius interpretati fuerunt Rectores Europæi, quaſi hac tranſactione via hoſti patefacta foret, in imperii hujus ſecreta, per innoxiam & ſecuram familiaritatem, penetrandi. quod tamen facilè fuit Braſilienſibus refellere, qui non armorum ſe quietem pepigiſſe, ſed moderationem ſolummodo, reſponderunt: exploratorum abundè domi eſſe, ut ab externis metuere ſupervacuum fuerit: nullam colligendæ ſaccharorum meſſis fuiſſe ſpem, niſi per hæc pacta: nec occaſionem transferendi arma in Seregippam, Maragnanam præfecturam & Afrorum littora, niſi partâ hactenus ſecuritate. Dum Delegati juſſa peragunt, quidam Lengtonius, temporarii ingenii vir, in comitatum ipſorum receptus, deſertis Dominis, ad Proregem ſe contulit, & res noſtras, quoad norat, inſigni perfidiâ aperuit.

Lengtonius ad hoſtes tranſit

ruit. at obſides Belgæ perſuaſére malè feriato homini, ut miſſo Pro-rege, rediret ad priores dominos & datam patriæ fidem. rediit, & qui antè ſe proditionis crimine, jam ſtultitiæ & levitatis involvit. carceri & cuſtodiæ in rigidius examen datus, corrupto, ut credebatur, caſtrenſi prætore, cum hoc ipſo aufugit. indici promiſſa præmia, indictâ capitis pœnâ & bonorum iis, qui hoſpitio perduellem dignarentur.

Nondum abiverant legati Pernambucenſes, cum hoſte ſuper belli temperamento tranſacturi, cum, ecce, litteræ Proregis ad Comitem perferuntur, quibus de Luſitaniæ motibus perſcribit: juraviſſe in novum Regem Brigantiæ ducem Luſitanos: arces regni omnes ſeſe in poteſtatem ejus fidemque ultrò dediſſe: ſe militemque, cui præeſſet ipſe, eidem regi acclamaviſſe & ſacramentum dixiſſe; exceptis Caſtellanis & Neapolitanis. quibus religio erat novis rebus conſentire, & à veteri domino deſciſcere. Venerant non ita pridem in Sanctorum Portum, miſſi à Luſitanorum Rege, Franciſcus Vilhena, ordinis Ieſuitici, & protribunus Petrus Corera de Gama, non ſolum ut tantæ rei nuntii eſſent, verum ut in novi Regis fidem reciperent Pro-regem & quas in præſidiis haberet militares copias. Hi ipſi mandatis eorum, qui Luſitanis illic præerant; ad Comitem profecti, vacationem ab armis inter ſu-

Prorex Braſiliæ Comiti defectionem Luſitanorum nunciat

os & Pernambucenſes petere. donec de iis, quæ inter Triſtanum Mendozam & Fœderatos Ordines acta eſſent, conſtaret. Illam ut impetrarent, captivos laxant triginta, retentis tamen Garſmanno & Brandio: Paulum de Aequinhas impunè adhuc per terras & fines noſtros graſſantem, ad ſerias Pernambucenſium querelas & minaces litteras, revocant. peractaque legatione rediit ad ſuos Vilhena. remanſit, ut volebat, Petrus Correa. Tum nuntium mendax perculit Bahienſes, Fœderatos Ordines claſſem quinquaginta navium adornare, quibus Sinum Sanctorum invadant & urbem oppugnent. Qua re commoti Luſitanorum animi, muniendæ Urbi omni ſtudio incubuere. donec per Comitem confoſſo rumore ad ſe rediere. At illa Luſitaniæ omnis memorabilis defectio, ſimulac utrinque accepta fuit, hoc effecit, ut ad alia conſilia hoſtis, ad alia deſcenderint Braſilienſes Belgæ. facilè enim conjectabant partes, futurum, ut hoc Luſitanorum facinus pacem afferret aut inducias Portugalliæ & Fœderatorum Ord. terris, & mox ipſis Braſilienſibus. pacis aut induciarum pactis deſiturum jus acquirendi novi dominii & differendi latius imperii. Quare ex Comitis & Senatus communi ſententia placuit, turbata Luſitanorum defectione Hiſpania, ea tentare, unde inſignis aliqua fieret acceſſio ad Societatis res. judicabant ſaga-

ciſſimi, OPORTVNOS magis auſibus eſſe tranſitus rerum. invigilandum huic occaſioni & obſecundandum tempori. luctanti cum ſuis hoſte & de imperio contendente, anguillis capturam eſſe. De motibus iſtis jam antè per Potentiſſimos Ordines certior factus Naſſovius, mandata de proferendo imperio acceperat. Quibus enim litteris dimitti petierat, reſcripſere: *eam eſſe rerum Braſiliæ & ſtatus Europæi faciem, ut dimitti ipſum hac tempeſtate minimè expediat. jam perſpecta ipſi terrarum loca & populorum ingenia facilem præbere gubernationem. dilatatis finibus, abactis quaquaverſum hoſtibus, his ferociam, civibus metum ademptum: Turbatam magnis motibus Luſitaniam à Rege Philippo deſciviſſe, & Bragantiæ Comiti acclamaviſſe. non poſſe non hinc occaſiones ſubnaſci Naſſovio, inſigne quiddam & glorioſum audendi, per eas oras, quas Luſitanorum præſidiis & armis tenet Hiſpaniarum Rex. In eam ſententiam iviſſe Reipub. ſuffragia, ut pro Brigantino Duce auxilia decreverit, adverſus communem jam & Luſitanorum & Belgarum hoſtem. Quæ cum ita ſe habeant, non dubitare ſe, quin pro eo, quo im Rempub. hanc fertur, amore, prorogari ſibi in aliquot annos imperium ſit paſſurus. ſeditiones hoſtium flectendas hoc tempore in imperii uſus eſſe, & velificandum inter diſcordias; fracta apertis ſuorum defectionibus Hiſpanorum potentia. felicibus cæptis præſentia ſapientiaque ſuum adderet perpetuitatem: famam rerum geſtarum, mores, quibus in animis hominum valet,* aſ-

Fæderatorum Ordinum litteræ, quibus Comiti miſſionem petenti ſuadent manſionem.

Iis de Luſitanorum defectione perſcribitur.

aſpectum etiam ipſum hoſtibus amabilem, conciliaſſe ipſi apud plurimos obedientiam, ſtudium, amorem. ſe ingentis beneficii loco habituros, ſi cœpta præclarè imperia plus diuturna eſſe velit: non defore Patriæ Patribus animum voluntatemque iſta Comitis obſequia dignis præmiis honoribuſque condecorandi. At Societatis rectores explicatius locuti in mandatis dedêre Comiti, *ut poſtquam concuſſa Luſitania ferendis auxiliis impar illa eſſet, ipſe occaſionum obſervans, de finium amplificatione ſeriò cogitaret, continenti militiam gloria extenderet, priuſquam per pacis tractatus ſopirentur Martis ſtudia, aut terminarentur. patere adhuc omnia victori. per conventionem ſua ſingulis ſalva fore, nec iri* PLVS VLTRA *poſſe. Speciem ſe faciendorum ſeverè non præſcribere, cum pro temporum, locorum, virium, hoſtiumque ratione geri iſta debeant. Attamen maximè ſe in votis habere, ut collectis undique præſidiis & Braſilianorum ſuppetiis, nova aggreſſione tentetur Sanctorum Sinus, ob miram portus & navium exſtruendarum oportunitatem, & provinciarum quotquot nobis parent ſecuritatem. omnes ingenii & militaris induſtriæ nervos intenderet, quò vel vi vel dolo expugnari poßit. aut ſi ſperari hoc nequeat, ſaltem obſidio urbem cingeret, acceſſioneſque præcluderet. cum obſeſſarum urbium non leve momentum ſit, magiſque parabiles ſint, ubi de armorum ceſſatione diſceptatur.*

An. CIↃ IↃ C XL. Februa. XXVI.

His Fœderatorum Ordinum & Societatis rectorum litteris permotus Naſſovius, pro ſuo in Patriam & Reipub. Patres obſeqio & vene-

veneratione, paſſus ſibi fuit imperium in longius tempus prorogari, certuſque permanendi de dilatandis Societatis finibus conſilium cœpit. Primò Seregippam Regiam, deſertam antehac regionem, quæque primi hactenus occupantis fuerat, viſum fuit annectere Societatis imperio. cui fini eò cum copiis abiit Andreas arcis Mauritianæ ad flumen S. Franciſci præfectus. qui, præmunita providè Arce ſua, Præfecturam iſtam invaſit, ædem ſacram, quæ iſtic erat, vallo cinxit, armamentarium condidit, oppidulumque adverſus hoſtiles inſultus munivit. Expeditionis cauſæ fuere, quod regio hæc, inter Sinus Sanctorum provinciam & eas, quæ noſtri ſunt dominii, poſita, tutandis finibus faceret, armentis abundaret, & fodinarum non unam ſpem faceret. Solus, ni fallor, Nicolaus Olyveira ſcriptor Luſitanus Seregippam Capitaniis annumerat. Barbari provinciam Ciriii vocant, à flumine cognomine. in oppidulum modico amne itur, qui majoribus navigiis non patet, ob exiguam æſtuarii altitudinem. à Flumine Regali undecim, verſus Auſtrum à ripa S. Franciſci vix ſeptem Arctum verſus milliaribus abit. Plurima ſepta habuit & pecuaria cogendis & aſſervandis armentis, quæ collapſa præfectorum cura reſtitui poſſunt. regioni à piſcium captura, nam mari coëxtenditur, ingens laus eſt. Verùm quam de fodinis conceperant ſpem Bel-

Seregippam ſive Præfecturam Ciriii imperio Societatis addit Naſſovius.

gæ, eluſere metalla illic pluribus locis effoſſa, cum argenti nihil habeant aut mercis bonæ, referente Petro Morthamero. cui iſtius arcani inquiſitio demandata fuerat. incolarum ſecuritas omnis ex Arce Mauritiana dependet, cum mediterranea adverſus hoſtium juſtas copias defendi nequeant.

Expeditio in Angolæ regnum ſub Iolo.

Atq; hæc in Novo Orbe per Braſilianorum terras evenere. Verùm majora in veteri Orbe apud Afros. Illic cum maximum eſſet momentum Nigritarum in Angolæ regno, ſine quibus nec Regiis fodinis, nec Braſilienſium molis ſuus conſtat labor, placuit Mauritio eò quoque bellum mitti; quo ejus mercaturæ vim commodaque ad ſe transferret Societas. quæ Nigritarum venditione & emptione iſtic quàm maximè viget. Qui tantam rem conficeret, deſignatus à Comite & Senatu fuit Iolus, magnorum ſemper facinorum adminiſter. Hic claſſe navium viginti, nongentis inſtructa claſſiariis, bellatoribus bis mille, Braſilianis ducentis, cum Henderſonio Pro-præfecto in Africam navigavit. expoſitos excepit præſentiſſimus Numinis favor, penè ſupra quàm voluiſſent. adeò enim victoria fuit in proclivi, ut præter audendi invadendique conſilia & unius pugnæ laborem, vix aliud fortitudinis exemplum reliquerit fortuna. Non longè ab ipſa urbe inter ipſas hoſtium arces provecti Belgæ, furorem jaculantium hinc inde contem-

An. CIϽ IϽ CXL. May XXX.

ſere;

fol. 343.



A. Ieſuitarum Coenobium.
B. Capucinorum Coenob.
C. Turris ſive reductus.
D. Caſtrum Novum Sÿbyla.
E. Caſtrum Vincentÿ
E. Suggeſtus tormentarÿ
G. Coenobium vrbis inferi:
oris.
H. Caſtrum Centurionis Benti:
I. Caſtrum novum eiuſdem.
K. Caſtrum S. crucis
L. Caſtrum maritimum ubi
nōſtri appullerint.
M. Mare. N. Locus deſignatæ
Arcis aßerendæ urbi.
O. Naues Luſitanis eretæ.

ſere; pari furore, evibratis in naves noſtrorum hoſtilibus machinis. illæ à cuſtodibus deſertæ omnibus egrediendi in terram poteſtatem fecére. Hinderſonius, ſuis ad pugnam ordine diſpoſitis, eodem, quo exſcenderat, die, copias ad urbem S. Pauli admovit. ubi cum hoſtem inſtructa acie bellum parantem offenderet, duobus tormentis bellicis pugnaturum, prælium orſus eſt, ſclopetariis primum impetum ſuſtinentibus. pari ferè Marte initio & paribus damnis pugnabatur. mox, crudeſcente pugna & urgentibus hoſtem Belgis, primò in fugam ſe dedere Nigritarum millia multa, quorum in bello uſus fuerat. Hos ſequebatur ſimili vecordia fugiens Loandæ gubernator. Petrus Cæſar de Meneſes, agmen ducens nongentorum, quà militum, quà civium armatorum; deſertaque tormentorum ſuorum ſtatione, urbem omnem arceſque & vallos permiſit poteſtati Belgarum. In eâ, præter milites aliquot mero epuliſque gravatos & ſenum aliquot tardigrada corpora, repertus nemo; omnibus ad adventus noſtri famam dilapſis & profugis. Ceſſére in ſpolium tormenta ænea viginti novem, ferrea ſexaginta novem, magnaque armorum & inſtrumentorum bellicorum congeries, vini farinæque plurimum, naveſque majores ac minores triginta. Ipſa urbs in monte poſita nullis ſe munitionibus defendit, templorum cœnobio-

Vrbem S. Pauli Loandæ invadit Hinderſonius.

An. CIↄ Iↄ C XL. Auguſt. XXIV.

nobiorum & ſplendidarum ædium multitudine decora. Arces portui plures longa ſerie imminent. Victa urbe, præmunitæ ocyus à noſtris fuere aggeribus & vallis plateæ omnes aditusque. Conditæ mox in ea, ex Naſſovii conſilio, Arx major & minores duæ. quæ adverſus novos motus valerent, relictis ad locorum defenſionem centuriis duodecim. Tenebat Luſitanos ea opinio, Belgas prædæ ſolummodo cauſa eò digreſſos, non ut commorandi hic ſedem deligerent, & propria ſibi hæc littora facerent. Conſpecta namque Claſſe, juſſerat Gubernator, ut uxores quiſque ſuas & liberos & quæ haberet bonorum cariſſima, auferret & abduceret. Mox edoctus Belgas urbem, arceſque omnes ſibi ut peculium bello partum vendicare, per litteras ad Iolum de injuriâ queſtus, illud urgebat: jam conveniſſe inter Fœderatos Ordines & Luſitaniæ Regem; fœdere junctos Belgas & gentem ſuam, ſublatis bellorum & irarum cauſſis. Belgæ repetundarum poſtulati, reſponderũt, de iſta cum Portugallis tranſactione nihil ipſis certa auditione conſtare, ut nec hoc: utrum novi Regis, an Philippi partes ſequeretur ipſe. Quod ſi illud Gubernator ſciſſet, antè expugnatam urbem & illatam noſtris hoſtiliter vim, ſignificandum fuiſſe: POST pericula & ſuperatos belli caſus, ſeram eſſe apud victores querimoniam. Ne vero ſub torrido & exucco climate aquæ deeſſent novis hoſpiti-

Arces conduntur.

Gubernator Loandæ de injuria queritur, poſt illatam noſtris vim.

ſpitibus, ad fluvium Bengo domum arcem ve vallo cinxére, tutandæ aquationi. in quam irruentes Nigritæ cæſi & in fugam acti ſunt. Tandem Gubernaror, cum nec querelis urbi ſuæ reddi poſſet, nec vi, inducias octidui paciſci voluit, ut interna temporis, aut ad nos cum civibus tranſiret & victores agnoſceret, aut abitionem pararet. Sed cùm iniquiſſima poſtularet, retrocedere ab urbe ſedecim miliaribus juſſus, ſuos à noſtrorum alloquio deterruit. quorum cum nonnulli conciliari victoribus cuperent, ultimum ſupplicium paſſi ſunt. Regulorum & Ducum, quotquot circum imperitabant, plures ad fœdera noſtra deſcenderunt, & pari odio Luſitanos in ſilvarum uſque abdita conſectabantur. Qui Portum Sanctorum, Angolam contra, tenebant, accepto nuncio, miſére Angolenſibus in auxilium Liburnicam, omni armorum genere inſtructam. qua capta ope Nigritarum, ſævitiam hi ipſi Luſitanorum ſanguine explevere. omnibus, prout quemque primum ſors obtulerat, trucidatis. quatuor exceptis, qui ſe navis alvo abdiderant. Reverſi in urbem incolarum plurimi, etiam ſacri ordinis, dimidiam mancipiorum partem obtulére Belgis, dummodo cum reliquis in Sinum Sanctorum trajicere permitterentur. at fructuoſius judicabatur, detineri hîc cives & in urbem liberalibus promiſſis revocari. cùm ex ipſis Angolenſium rectorum rationibus conſtaret, è ſo-

Iniquis condicionibus paciſci cupit.

lo mancipiorum mercatu colligi quotannis poſſe florenûm ſexagies ſexies centena millia, demptis, in præſidia, rates & rerum adminiſtros, impenſis. Vtique ipſe Hiſpaniarum Rex annuatim hinc arceſſere ſolitus fuit, Nigritarum millia quindecim. quorum ipſi uſus in effodiendis per Occidentem metallis. ut dubium non ſit, extrema tentaturum Regem, recuperando hoc Angolæ regno. cujus tantum in imperio Hiſpanico momentum. Illud quâ parte in Boream abit, regno Congenſi conterminum eſt. cujus flumen Congo, olim Zaida, centũ à Loanda leucis ſive milliaribus Hiſpanicis abit. Auſtrum verſus ad Arcem uſque Benguelam excurrit, quæ totidem à Loanda leucis diſtat. quadraginta milliarium ambitu definitur imperium, indigenæ Caſtellanorum Regi vectigales fuere, vaſallorum titulo. Quilongius, ad promontorium uſpue Nigrum, centum à Benguela leucarum intervallo viſuntur Nigritæ, Luſitanorum fœderibus innexi, commercia cum illis mutua agitabant. Qui mediterranea incoluére, ducentorum milliarium ſpacio, feuda & portoria Regiis præfectis ſolvebant, mercimoniorum itidem Societate gaudentes. Præcipuæ merces ipſi Æthiopes ſunt, è quorum venditione quotannis ad Regem rediere decies centena florenûm millia. à qua utilitate fructuque deſtitutus, etiam in poſterum oportunitate carebit, ea ſibi ſervitia com-

Flumen Congo.

comparandi, quibus fodinas Peruanas occupet & ſuorum in Braſilia molendina. Ipſa Loanda inſula eſt, ſeptem milliarium longitudine, plana & humilis, montium & collium expers. in hac ſi turgeſcente mari terram effodias, aquæ occurrunt dulces, ſi remiſſo, ſalſæ. Cœnobium habet & mancipiorum Domum & pagum Æthiopibus in habitatum. Continenti Africæ objacet, in cujus littore urbs eſt S. Pauli Arceſque aliquot. *Loanda Inſula.*

Hac Africæ parte potitus Naſſovius, Fœderatis Ordinibus aperuit, validiſque rationibus perſuadere ſtuduit, regimen ejus Braſiliano annecti debere eique ſubdi. cum Nigritæ non niſi ex iſtis littoribus in Braſiliam tranſvehi & hinc divendi quaquaverſum ſoleant: nec certius promptiuſque aut armis defendi aut conſiliis juvari poſſint Angolenſes, quàm per vicinos Braſilienſes: inſuper æquiſſimum eſſe, & ex belli more, iis deferri locorum gubernationem, quorum Marte & induſtriâ victa illa ſunt & in poteſtatem redacta. præterquam quod plena periculi res ſit, præfectum illic conſtitui cum plena poteſtate, vel natalibus aut fama minus conſpicuum; ubi Luſitanorum fraudibus, unius nutu, in diſcrimen ſummum adduci poſſet provincæ ſtatus & parta Societati imperia. At ſecus viſum Societatis Rectoribus, qui Afrorum provincias ſuæ curæ eſſe voluerunt. cum idem factitaſſent antè Portugalliæ & *Rationes, ob quas ditiones Africanas Braſiliano imperio iungi expediat.*

Secus viſum Societatis Rectoribus.

Caſtellæ Reges, diſtinctis ſemper horũ locorũ imperiis. movebant & hæc: quod ipſa comeatũ Braſilia è Belgio exſpectare habeat, nec illũ ſufficere Afris poſſet: uti nec neceſſarias merces: quod rationum Braſilienſium metueretur nimius labor & cũ Africanis rebus conturbatio: quod iter eſſet longius, & per ambages iretur, cùm recto itinere è Beatavis in Angolam navigatio ſit & pari ferè, quo in Braſiliã, tempore, per Braſiliam verò in Afros non niſi circuitione, longiore mora & auctis periculis. Nec poſſe eduliis, circumducto per Braſiliam itinere, conſtare ſuam bonitatem. utilius etiam primò navigari in Angolam, cum expoſitis ibidem mercibus, iiſdem navibus recepta mancipia in Braſiliam transferri poſſint, ſi & inde ſaccharo graves remeare in Belgiũ.

Expeditio Ioli in Inſulam S. Thomæ.

An. CIↃ IↃ C XLI Oct. II.

Nec ſtetit intra hos ſucceſſus Naſſovii induſtria, Verùm morantibus Induciarum inter Fœderatos Ordines & Luſitanorum Regem pactis, integro adhuc belli jure & cauſis, claſſem ſuam in inſulam S. Thomæ dixerit victor Iolus. primus illi appulſus fuit, ubi ſe S. Añæ molendinũ aſpectui exhibet, duobus ab ipſa urbe milliaribus. quod ipſum eadem, qua appulſũ, veſpera, militi incolumi ac vegeto adhuc, pro hoſpitio fuit ac diverticulo. Poſtero die juſſæ ſunt rates omnes ſub ipſa Arce in anchoris ſtare, nec hoſtile quicquam moliri, niſi laceſſente prius hoſte. At hic in Belgas machinis ſuis ſæviens & eodem mox à Belgis

Mar-

Marte exceptus, ſeriam belli faciem adſpexit. Navis Enckhuyſa ſive hoſtium jaculationibus, ſive ſuorum incuriâ, malè cuſtodito pulvere, conflagravit, & triſte belli tyrocinium fecit, vectoribus magna parte mari vel igne pereuntibus. Interea in littus expoſitæ copiæ, fruſtra hic illic adverſantibus Nigritis, proceſſére ad Caſtellum, à milite omni & cuſtode deſertum. at ſex tormentis metuendum. hoc potitæ, pervenére ad caſtrum majus, cujus muri ad altitudinem viginti octo pedum attollebantur. à quo poſt acerrimam dimicationem, deficientibus ſcalis & petauriis, retrò movére Belgæ, plurimis ſauciis. qui in naves ocyus abducti ad curationem fuerunt. ad urbem, cui Pavaoſæ nomen, progreſſi, eam à civibus, milite, ſupellectile omni, & impedimentis domeſticis vacuam ſubiére. ut nec pugnaturis adverſarius eſſet, nec habendi cupidis ſpoliorum quicquam. Tunc converſæ omnes Præfecti curæ in Arcem, quæ erecto ſine mora, ad ſacellum vicinius, militari ſuggeſto, mortariorum glandibus impeti & quati cœpit. at hæ in arcem lapſæ, minus, ut videbatur, damni dedére. Erat proxima Arx alia, quâ in obſidentes detonante, juſſus fuit dux Valletus cum ducentis militaribus in eam impetum facere. captam, cum minus uſui eſſe crederetur, dejecére noſtri, translatis in urbem machinis. dein locatis in ſuggeſto recens conſtituto tormentis majoribus

Pavaoſæ urbs Inſulæ Thomæ

Præfectus Arcem oppugnat & expugnat.

ſex.

ſex, ad deditionem intra paucos dies compulſa fuit. poſtqam glandium iſtarum (terribile repertum & urbibus exitiale) ſexaginta quinque excepiſſet. quarum viginti maximam cladem & vaſtitatem fecére. Egreſſus Gubernator cum præſidiariis octuaginta, Nigritis, candidis mixtique generis. milites Regiæ teſſeræ viginti quinque, ut pepigerat, ſecum in Luſitaniam abduxit. In Arce repertæ à victoribus machinæ majores triginta ſex, quarum viginti ex fuſili ære, pulveris pyrii & incendiariorum funium & pilarum affatim, ut in longiorem obſidionem ſufficerent. annonæ verò non niſi in menſem. Iolus urbe Arceque potitus, edictis Luſitanos in urbem revocavit, & intra dies quatuordecim adeſſe juſſit, æquiſſimè cum iis tranſacturus. Venére Luſitanæ gentis primores duo, qui molarum direptionem legumque ſuarum obſervationem redemerunt, Crucigeris quinquies mille & quingentis, & ſacchari Arobis decies mille. regios inſuper reditus & tributa victoribus cederent. Plurimi & Nigritæ & molarum poſſeſſores miſſionis litteras petiére & impetravére. nõ malo cõſilio dimiſſis iis, qui alieni à novis imperiis erant, & in rectores noſtros queruli. Dum reſtaurandæ Arci incumbitur, nec ab hoſte periculum eſt, Belgæ, iniquius hic cœlum & iovem experti, endemio & familiari his terris morbo laborare cœperunt. ita graſſante malo, ut catervatim

Morbus & languor horum locorum endemius Belgas corripit.

affe-

affecta corpora, non in Martis ſed mortis triumphū ſervata fuiſſe viderentur. trahebat languida membra robuſtiſſimus quiſq;, & paulò ante in muros & vallos enixus miles, jacebat imbellis & invalidus. qui pugnaverant turmatim, turmatim ægrotabant, & nuper in aciem ducti ſuis ordinibus, iiſdem ferè ad tumulos deferebantur. Quæ victoriæ recentis fuerat, Libitinæ domus facta eſt funeſta urbs morientium & elatorum paſſim quotidiana ſpectacula ſanos exſpectorabant. ad eã paucitatẽ redactæ erant centuriæ, ut vix 10. aut 12. in ſingulis integra valetudine conſerentur. Sine diſcrimine militem & duces afflabat aëris malignitas. Deſiére vivere imperiis millitaribus eximii & militiæ fama inter ſuos clari, Maſtmackerus, Valettus, Dammertius, Claudius, Tackius, Teerius, & ipſe expeditionis Dux Iolus. qui durante Arcis obſidio, noctes ferè omnes inſomnes duxerat, aſſiduus operum, in accelerandis acceſſibus & viis ſubterraneis, promotor. Elatus fuit militari pompa, quà potuit, non quà meruit, & in urbis Baſilica terræ mandatum cadaver, audacis animæ domicilium. Non ad apparatum & aulicas elegantias factus vir erat, ſed ſimplicem cœpti pertinaciam, & Hiſpanorum internecionem. naturæ bona, quæ incomta ipſi erant & horrida, illuſtrabat immortalitatis ſtudio, quam ex hoſtium inſigni aliqua calamitate ſperabat. nihil unquam imperatoriæ lux-

Exſtinguuntur duces plurimi & ipſe Iolus Præfectus.

Exequiæ & laudatio funeſtris Ioli.

luxuriæ, nihil voluptatum oſtentans, cibum potumque eundem, quem cæteri navales, capiebat. laborum omnium non modo particeps ſed princeps autorque, adeò cunctis venerabilis erat, ut nihil non cum illo & pro illo facturi cupidiſſimè navales viderentur. natalium humilem originem virtute tranſcendit. hanc pluribus belli motibus teſtatam fecit. quorum hic ſub Æquatore ſupremus illi fuit. ita res ejus moderante Numinis providentia, ut non alibi ultimò vinceret, & moreretur, quàm ubi bis quotannis Sol, mundi oculus, meritorum teſtis, rectis radiis virum hunc, Boreali & Meridionali hæmiſphærio victorem ex æquo oſtentaret. Sublata quippe Auſtralibus & Septentrionibus de tumulo controverſia eſt. ut quem, pari hincinde diſtantia, linea mundi media habet, cœli adſpicit. Nec deceſſit, niſi ſurrogato in locum ſuum digno ſucceſſore, Matthæo Iohannis, qui navem Leænam claſſis pro-præfectus rexerat. Hic arbitratus civitatem ſine civibus nullam eſſe, magna humanitate & comitate Luſitanos ad commercia & priſtinas negotiationes invitavit, &, incorrupto Ducis honore, dominum ſe pariter ac patrem ſubditis præſtitit. Sæviente adhuc morborum inclementia, cum jam vix ſupereſſent agendis excubiis, vix navalium tot. ut in duas naves ſufficerent; perſcriptum ad Comitem fuit, ut militem, annonam, vinum potentius

Succeſſor Ioli.

robo-

roborandis ſtomachis, etiam inſtrumenta bellica & fabrilia tranſmitteret. ſecus, pejora omnia, nec ſtabilem illic fortunam metui. miſſa quoque in Inſulam proximam Annabon Liburnica, quæ, quas ejus loci gubernator decimas hujus inſulæ præfecto ſolverat hacten⁹, novo domino depoſceret. Quotquot ferè hic ægri periere, capitis dolore ad inſaniam uſque vexabantur, turbato caloribus cerebro. nonnulli quoque de ventris doloribus queſti tertium aut quartum intra diem exſtincti fuere. Cauſſas alii alias conjectabant, uti in inſolitis fieri aſſolet. peritiores conſuetudinem cum Æthiopicis mulieribus, aut captata, poſt ingentes corporum æſtus, refrigeria, dormitiones humi, vel nimium atri ſacchari uſum, etiam liquoris è nucibus Cocicis expreſſi, qui alvum in diarrhæam ſolveret. pro cauſſa adferebant. Malignis adhæc Inſula & venenoſis vaporibus ſubinde obducitur. quo tempore morandum ſub tectis, quod facere neglexére Belgæ. Luſitanorum ſpeciem vultuſq; æſtus vehementia mirè im̄utaverat, & perhibebant ipſi, vitam omnibus ſibi brevis ævi eſſe, nec ultra ſemiſeculum procedere. nec minus lucri cupidinẽ vita potiorem duci. hinc ipſum Morboniæ regnum amari. pluribus ad eam opulentiam provectis, ut non paucis ducenta trecentave ſervitia elaborando ſaccharo famulenter. Accepimus à rerum curioſis, Portugalliæ Reges, ex-

Inſula Annabon.

Cauſſa morborum in inſula Thomæ.

 actis

actis circiter centum annis, cognita ſoli fœcunditate, hunc transportaſſe nonnullos. quos cum aëris malignites omnes exanimaviſſet, poſteà alios in Guinea primùm, mox ulterius in Angola, poſtremum in inſula S. Thomæ conſediſſe, ut ſuis veluti gradibus diſcerent aëris intemperiem ferre. Etiam illud: Ioannem Regem, Iudæis ad fidem Chriſtianam coactis, abnuentes pro mancipiis vendidiſſe, eorumque infantes baptizatos, magno numero eò tranſvectaſſe, & hinc ferè oriundos, qui inſulam nunc inhabitarent. Sub Æquatore ipſo poſiti, utroque Æquinoctio, Martio pura ac Septembri, Solem in vertice adſpectant, umbraſque modo Septentrionales ac dexteras, modo Auſtrales ac ſiniſtras, modo, quod bis in anno evenit, nullas in meridie habent. Aëris æſtum primo Vere & Autumno, menſibus Martio & Septembri, pluviæ temperant, ultimo Vere & per æſtàtem, menſibus Majo, Iunio, Iulio, Auguſto Zephyrus & Auſter. Non flant hic Boreas & Eurus, ſive occultis de cauſſis, ſive quod inſulæ objecta ſit Africa, flaminum iſtorum curſum montibus ſiſtens. At Sole per Capricornum, Aquarium, & Piſces meante, menſibus Decembri, Ianuario & Februario, calores intenduntur. Qui candidi vultus his degunt locis, octonis quibuſdam diebus febriculam perſentiſcunt, primumque horror frigusque, dein calor per membra omnia dif-

fuſſus duas admodum horas durat. His malis mederi volentes, venas ſibi quater quotannis incidi curant. indigenæ periſtunt, exteris plerumque funeſta accidunt, illam febris ſpeciem, quæ peſtis dicitur, neſciunt. Nigritæ ſeculum attingunt vel ſuperant, pulicum & pediculorum benigni hoſpites, à quibus cute candidi immunes ſunt. Inſulæ inditum nomen à B. Thoma, quia hujus feſto à Luſitanis primùm inventa eſt. In media inſula mons eſt valde nemoroſus, qui perpetuis albeſcit nivibus, adeò denſis, ut ex ſilvis aquæ manent irrigandis ſacchari arundinibus. Solum ipſum lentum, tenax, colore ſubrufo. Cancrorum genus alit, quod in terra talparum inſtar degit, thalaſſii coloris, ſolum ſubvertens, omnia longè lateque arrodens & abſumens. Haud procul inde, gradibus ferè tribus ab Æquinoctiali. inſula eſt *Principis*, proventu ſacchari celebrata, quæ ex eo nomen traxit, quod Principi Portugalliæ ejus reditus cedant. Eſt & alia inſula, Annobon, jam dicta pari intervallo, ubi piſces volantes apparent. In Thomitanâ Vrbs Pavaoſa ad torrentem jacet. qui aquas limpidiſſimas & bibentibus gratiſſimas defert, familiis D C C circiter habitatur. Epiſcopum habet & alios Eccleſiaſtici ordinis. ſolum omne in colles & montes aſſurgit, ferendis ſacchari cannis aptiſſimum. cœli temperies intemperatiſſima, præſertim noſtratium corpori-

Cur Inſula S. Thoma dicatur.

Inſula Principis & Annobon.

 bus.

bus. uti & Africæ ferè ora omnis in Meridem vergens. Nec abs re fuit, quod ad Fœderatos Ordines poſtmodum ſcripſerit Naſſovius, ægrè hanc inſulam per noſtrates ſtipendiarios defendi ac coli poſſe. ideòque factitandum ipſis, quod Hiſpaniarum Regi. qui hanc proſcriptorum & ad triremes ac gyaros damnatorum eſſe coloniam voluit. poſſe hîc Belgii propudia & damnata capita, utilius publico vivere, & honeſtius mori, quàm ignominioſe in carceribus & ergaſteriis domi conſeneſcere. Quamobrem & ipſe proſcriptos à ſe nefarios, purgamenta urbium, flagitiorum compertos eò poſtmodum ablegavit, ut quos ſua ſcelera infami fato devoverant, aliqua publici boni ſpe ſupereſſent. Morborum inibi graſſantium cauſas memoravi. at non curatorum cauſam, à medicaminum eſſe defectu plerique aſſeverabant. Hunc Societatis rectoribus imputabant, qui imbuti falſa perſuaſione, in terris iſtis reperiri ſuis malis remedia, decreta fecêre, ut permiſſis ſibi & cœli inclementiæ ægris, à medicamentorum miſſitatione abſtineretur. Non deſtitit tamen Comes, ſortem ſuorum miſeratus, efflagitare per litteras afflictis ſolatia, & eorum operas, quorum muneris eſt, pharmacorum confectio. Flagitavere idem & Medici Pernambucenſes & Pharmacopolæ, litteris movendæ miſerationi ad Societatis primores. exaratis. In hanc Inſulam Anno CIↃ IↃ C

Expeditio in Inſulam hanc ſub Douzâ.

dela-

delatus fuit claſſis Belgicæ præfectus Nobil. Petrus Douza, & qui vicariâ tunc poteſtate fungebatur Stormius. qui pari tunc fato periere, cũ centurionibus navalibus ſeptendecim. ex his, qui terrâ militi imperaverant, non niſi uno ſuperſtite. Prædæ noſtris plurimum erat, ſed & necis, ab infecto aëre. illius cupidine eam Douza adierat, quamvis monitus de aëris contagio. Ad diem VI Id. Octobris inſulam advecta Douzæ claſſis erat, eductiſque in terram tormentis ſeptem, primum caſtellum deditionem fecit. Alterius caſtelli cuſtodes profugére; civibuſq; non ultra decem ducatorum millia ad redimendam vim offerentibus, incenſa urbs, prædaque in naves delata fuit, ciſtarum ſacchari millia aliquot, dentium elephantinorum ingens vis, ſericum & è lanâ panni, præter tormenta ex fuſili ære viginti & unum. inter quæ duo miræ magnitudinis. ſingula decies mille libras pendebant. Quatuordecim dierum ſpatio mille periere, capitis & ventris doloribus. quam ob cauſam inciſis cadaveribus liquefactus aquæ inſtar adeps in abdomine repert⁹ eſt. Intra tertium aut quartum diem extinguebantur. Claſſe mox hinc digreſſa naves ſenæ Braſiliam adierunt, tentandæ fortunæ. reliquæ in patriam properabant, frigidiore illic cœlo multiplicatis & morbis & mortibis. Numerati uno tempore ægri mille & octingenti, plerique ſcorbuto affecti. adeò

ut penuria hominum navis una fuerit deprimenda. Altera ad Sluſam, adempto per nebulas proſpectu, delata, cum præda in hoſtium poteſtatem venit.

Iter Eliæ Herckmanni per deſerta Copaobæ. Tranſit hic loci admiratio ad audaciam fortitudinemque Eliæ Herckmanni, ſæpius nobis non ſine viri fortis ac cauti laude memorandi. Hic ut Societati memorando facinore fidem probaret, iter omnium conſenſu ac ſpe ingreſſus eſt formidoloſum inviumque, viam ſibi facturus per aſpera & ſilveſtria quà poſſet. Potentiæ Belgarum alii viam aperuêre armis & bello. hic, ſtudioſa terrarum & populorum indagatione, induſtria potentiam opeſque augere ſtuduit. licet egregiis cœptis abnuerit fortuna, humanis conſiliis potentior. Illuxerat Anno CIↃ IↃ CXLI Septemb. tertius, cum ex conſilio Illuſtr. Comitis & Senatorum Reciffa abiens, exacta in Igarazu Pernambucenſium oppidulo vel pago nocte, ſubſtitit ad flumina Garamannam & Mombabam, quia reſtagnantes aquæ intumeſcentibus alveis viam interceperant. Inde in Fredericam Paraybæ oppidum progreſſus, poſt habitos ſuper itinere hoc cum Paulo Lingenſi ſermones. inquiſivit in viarum duces, in vias, ſi quæ eſſent, in armentorum ſepta, in ſecures, falceſque reſecandis frondicetis & dumetis obviis, in farinæ commeatum, in comites expeditionis Braſilianos & militares, in calceos

An. CIↃ IↃ C XLI III. Sept.

cali-

caligaſque adverſus ſoli aſpera & prærupta. etiam in medicamina, theriacam præſertim, contra ſubnaſcentes peregrinantium morbos. Deliberatum quoque ſuper his cum Emanuele Roderico Paraybenſi *Alcayda*, qui Anno CIↃIↃCXXV, quinque menſium ſpatio mediterranea emenſus, milliaria confecerat centum & quinquaginta, inde à Fluminis Grandis provincia & finibus, ſub auſpiciis Præfecti Gregorii Lopezii, annona in trimeſtre inſtructus. reliquum namque temporis, ſerpentum, glirium & mellis aggreſtis victu duraverat. Ajebat idem, pedibus iter, non equis, confici poſſe, ob montium præcipitia. ſolum omne torridum & exſuccum ſiti viatorem enecare; fluvium in remotiſſimis partibus amplum occurrere. quem in S. Franciſci fluvium effundi conjectabat, eò quod in Auſtrum ſe flecteret; in campeſtribus puteos reperiri vix pedis diametro, ulnæ profunditate. qui dulces recenteſque aquas novis ebullitionibus darent, frondibus & virgultis obſiti: montes ſe tranſiviſſe, in quibus preſſa ſolo veſtigia tinnitus ederent, non aliter ac ſi metalla ſubtus abderent; duos in itinere è comitatu ſuo ſiti enectos: in Copaobam ſe ad LX milliaria penetraſſe, ſed alimentorum penuria regredi coactum: hanc ſibi ſtare ſententiam, poſſe ulterius iri legentibus ripam fluminis Mongongaopæ. Quare conquiſitis undique ad iter neceſſariis, mi-

lite, Braſilianis, annona, apparatu bellico, qui ad expeditum iter ſufficeret, è Fredericâ oppido Paraybenſi ad pagum Tiberi, hinc ad fluvium Tenhaham profecti, modò in hoſpitales facileſque, modò in averſos & moroſiores molarum Dominos incidêre. Inde in Pacatonuam venêre, ubi Venturæ Mendizii pecuarium eſt, & ſaccharorum plantaria. Hîc fluviolum prætergreſſi, VTI attenta ſunt paupertatis ſtudia & vigiles oculi, viſa ſunt euntibus ramenta & arenæ fulgentes, quales auri ſunt. effoſſa ilicet mira alacritate ad altitudinem pedis tellure, invenêre & illic permixtas intermicare iſtiuſmodi ſcobes & ramenta, bractearum inſtar, quæ in ignem conjecta conflagravere, ad inſtar vitri Moſcovitici, quod Talcum vocant. Tum, luſtrato omni comitatus agmine reperti militum XL, Braſilianorum XXXVI. defecerant quippe à primo cenſu militares tredecim, Barbari viginti quatuor, ſive itineris tædio, ſive corporis debilitate. junxerant ſe illi tres quatuorve volones, nullo alterius imperio, ſolo peregrinationis ſtudio & terrarum novitate capti. Sequebantur ad curas & officia virorum feminæ aliquot Braſilienſes, ut lixarum & calonum officio fungerentur. impedimenta rhedis meritoriis ſeptem ſubvehebantur. Hac manu ad fluvium Wartam medio die conſedére, ubi pagi cujuſdam diruti veſtigia & rudera conſpicieban-

bantur. ſub veſperam in pago Tamoatameri pernoctatum. Cæſa in militum cœnas vaccâ, in Præfecti vitulo, ſub impluvio hic, illi ſub dio decubuere. Refectis omnibus, etiam jumentis, iter promovêrunt, modò per campeſtria & plana locorum, modò per ſaltus & nemora ducti, tranſitis torrentibus, & fluviolis aquarum expertibus. quæ ulterius ituris potus penuriam haud ſubobſcurè promittebant. Viſæ hic arbores, propè fluvium Poeſapaybam, grandes & ventricoſæ, dolii inſtar, quæ infernè ad radicem & supernè, ubi in coronam ſe ſpargunt, graciles, inſolito adſpectu Belgas detinebant. Tranſcenderat medium cœli Sol, cum in pecuario Duartæ Gommezii de Silveira conſtitêre, ad fluvium Mongongoappi. cumque impervia eſſent quaquaverſum omnia, ob denſiſſima frondiceta & arbuſta, viam ſibi prævii frondatores ſecuribus falcibuſque gnaviter fecêre, ut quo nollet natura, duceret labor & induſtria. tum ad montana deventum, ubi omnium labores cœna largiore ſolatus Herckmannus, animos ſibi quantulacunque liberalitate conciliabat. Poſtero die non minori ſtudio per ſaltus & teſqua itum, querulis rhedariis, ſe longius abduci. at promiſſis delinita impatientia reſêdit. donec perruptis ad ſeſquimiliare ſaltibus & ſilvis, ſuperato flumine Karnuhu, in plana devenêre, unde montes Copaobæ conſpicere erat. Sed

Arborum miræ formæ.

ob prærupta montium circumducto nonnihil itinere, ex Braſilianorum conſilio, callem equis vehiculiſque idoneum invenerunt. per hunc denuò in ſilvam delati, in arborum cavitatibus mellis copiam reperêre Barbari. Eum emenſi fluvium Schivaubuch attigêre, inſigni gratiſſimaque arbuſtorum fragrantia circumfuſi, ut incedentes remoraretur & ſiſteret odorum ſuavitas. Inde promoto itinere, præmiſſis qui virgulta & careƈta cæderent, ad paludem ventum. inde in planiciem Araruquajam, quæ tota ab accenſis ericetis flammis inardeſcebat. Suſpicio erat, terrendis Belgis incendia hæc Barbaros feciſſe. Ea ramalibus frondibuſque collatis operis obruta reſtinƈtaque fuére, ne rei novitate perterrefaƈta jumenta, excuſſis habenis ferrerentur. à caſu locum Incendii appellavére. Tum denuo ſaltus occurrére, moxque flumen ſe grande aperuit Araſſaohoh. ex ſparſis & reſeƈtis hic illic arborum truncis obſervatum, Luſitanos hac olim iter feciſſe in Copaobam. Hîc morati per totum diem, quievérunt, dum per denſa nemorum Barbari viam afleƈtant. Conſpeƈtæ hic fuere enaſcentes è terra virgæ ligneæ & ſtipites, quorum alii humi repebant, alii vicinas arbores ampleƈtebantur. flexi in terram, rurſus qua ſe incurvaverant, erigebantur. adeò ut ſpecies eſſet non rami reſurgentis, ſed novæ arboris è radice ſua genitæ. diſſciſſis humor

mor emanabat purpureus, qualis ſanguinis eſſe ſolet, qui ilicet in viſcidam & glutinoſam ſubſtantiam concreſcebat. Barbari ſanandis vulneribus conducere perhibebant. Hinc moto agmine per arundineta, ad radicem montis pervenére. Non levis inceſſerat metus, ne illa incenderent montana incolentes. nec enim evadere flammaram noxas furiaſque ulli datum fuiſſet. Tum ſe montium prærupta & impervia equis loca aperuére. ubi expeditis ulteriore vectura rhedariis, miſſus ad Comitem fuit, qui confectum hactenus iter referret. feſſi corpora paſſim ſternunt, refectique farinæ modico demenſo montis faſtigia conſcendérunt, relictis ad pedem montis invalidis & ſequi neſciis. qui remeare ad ſuos in Paraybam juſſi. In cacumine montis Inſignia Societatis inſculpta cippo memoriam ejus in Novo Orbe oſtentavere Barbaris. Exemplo Alexandri Magni & aliorum, Nomen monti huic erat polyſyllabum & terribile, *Irupari-bakau*, *Hic reſpexit Diabolus*. Invaluit quippe apud illos fabula, Diabolum, cum in hæc faſtigia aſcendiſſet, velut facti novitate attonitum, retroſpexiſſe. Demandatâ hîc cibariorum cura militibus aliquot & Braſilianis, geſtiit Herckmanno animus ulterius ire. ſed deterrebant obvii paſſim ſaltus & magnus ubique labor in montibus erat. quantum in altitudinem egrediebantur, magis magiſque ſil-

ſilveſtria & pleraque invia loca excipiebant. Quare viſum magis Borealia legere & campeſtria, per quæ Tapujarum gens è mediterraneis in Provinciam Fluminis Grandis proficiſci aſſolet. Itaque devitatis montium acclivibus, inceſſere per planiora, ubi duo lapides molares exactæ rotunditatis, & ſtupendæ magnitudinis viſi. quorum diameter ſedecim erat pedum, craſſities verò tanta, ut è terræ ſuperficie vix media lapidis pars attingi extremit digitis ab erecto poſſet. alter alteri ſuperincumbebat, major minori. è centro, miro ſpectaculo, frutex ſe attollebat, Karavvata. Quo fini hos congeſſerint Barbari, in tanta harum rerum ignorantiâ, non facilè dixerim. Ad pagum perducti, quem Petiguares Indi, è ſinu Trahiſonio, metu tyrannidis Luſitanorum, profugi incoluerunt, valles patuére amœno ſalubrium aquarum uſu frequentes. Braſiliani, itineris hujus ſocii, hanc patram ſuam & natale ſolum dictitabant. hinc ſe verſus littoralia pellectos & tranſductos à Luſitanis. qui à potentibus vicinis ſibi metuebant. ideòque patrii ſoli dulcedine (ut mortalium cæteri) capti, orabant manſionem diuturniorem. Verum Herckmannus moræ omnis impatiens, inſtabat ſegnibus, & ad profectionem eos hortatus, juſſit incîdi nemorum obſtacula. iter fecére per cœnoſa, quæ genua tenus ſubinde viatores hauriebant. Iis emerſi, montem conſcen-

dere

dere manibus pedibuſque annixi, eminentia ſaxa complexi, levavére ſemet, aliis ſaxis inferioribus ſeu gradibus inſiſtentes. die inter metum laboremque conſumto, ſuperato monte & fatigatione continuatæ itionis affecti omnes ſtratis paſſim corporibus, in inviis jacuere, quietis cauſa, ad fluviolum, ubi aquæ ſuppetebant affatim eæque dulces. Manè aſſumtis in dies plurimos eduliis, montes adſcendere & deſcendere longa ſerie habuerunr. viſi iterum magnæ molis lapides humano labore congeſti. quales etiam in Belgio Drentia regio habet, quos nulla vectatione, nulla hominum vi illuc deportari potuiſſe ob magnitudinem credas. ea formâ, ut Aras referre videantur. Tum pagum Wirarembucam, quondam Braſilianis inhabitatum ſubivére, ubi hominum notata veſtigia. ad fluvium progreſſi Tambahujam, eum nova appellatione *Moſchi* fluvium vocitavere, ob fortem odorem Crocodilorum & ſerpentum, ſimilem moſchi odoribus. Hîc ſoli & terrarum faciem mutari compertum. quod enim hactenus ſabuloſum, nigrum fuſcumque apparuerat, jam flavum & globoſum ſpectabatur. nec minus ferax, luxuriante paſſim, ſementis defectu, lolio & zizaniis. Mox ad torrentem limpidiſſimum devenére, qui ab aquatione Luſitanorum, hîc olim belligerantium, Capariguaba dicebatur, *torrens aquatione equorum*; In valle duo ſcopuli

ſub-

ſublimes, turrium inſtar rotundarum, viſebantur ab omnibus attentius. quorum alter ſeparatus à montibus circumiri poterat, alter montibus parte inſertus & connatus, ſpeciem referebat Operis iſtius, quod Lugduni Batavorum in urbis meditullio ad Rheni ripam conſpicitur, à Saxonibus olim duce Engiſto exſtructum. non artis illi, ſed naturæ opera videbantur. Tum in montem aſcendêre, omnium, quotquot ſuperaverant, altiſſimum, è quo reliquos deſpectabant. verùm aëre ſpiſſo & caliginoſo longior proſpectus impediebatur. referebant Barbari, oppidum hic fuiſſe Arazembeam, idque validum & incolis frequens. quod ob inviſa cum Gallis commercia expugnavére Luſitani, duce Duarta Gomezio de Silveira, pluribus indigenarum bello abſumtis, plurimis abductis verſus maritima, ipſo loci Principe ad Regem Hiſpaniarum tranſmiſſo. ubi extorris extra Barbariæ ſuæ ſedes deceſſit. Erant in hac ipſa, quam ductabat Herckmannus, turba hujus Principis filii duo, è primoribus Maſiurebbæ & Gargaovæ. Huc progreſſi Braſiliani, viarum difficultatibus territi Socios pari formidine implebant, & ſecretis ſermonibus incitabant. neque ultrà eas ſibi perſpectas aſſeverabant. quare reditum ſuaſére, aquarum ſe penuriam metuere queſti, utut farinæ nonnihil ſupereſſet. Serpebant, veluti contagio, querelæ in militem. qui ut

mo-

mobili impetu fertur, pertæſus quoque itineris, invectivis diriſque vocibus animi ægritudinem teſtabatur. duci ſe, quo viam natura negaret, per opaca ſilvarum, montium prærupta, viarum anfractus, nulla gloriæ, nulla emolumenti exſpectatione. At majoris animi Præfectus, *ſe in veſtibulo itineris ſui ſtare* ajebat. *ſuperatis tot moleſtiis proximum ſe fructum exſpectare. quod huc uſque confeciſſet iter, plus habere nominis & operis, quàm uſus. à Braſilianis objici incommoda, ut profectionem ſegnes abrumperent: maiora eſſe vero, quæ ſpargerent. nihil metu omittendum, aut inexpertum relinquendum. Batavos, Belgas ſe meminiſſent, qui non facilè perturbarentur. laudem priſtinæ virtutis inter exteros retinerent, pergerent ulterius, quò fata ducerent: ſe ducem ſequerentur, cui pari cum ipſis ſorte farinæ pugillus laridique buccella victus eſſet demenſum.* *homines* inquiebat, *venandi ſtudium ac voluptas per nives & pruinas, trans montes, per ſilvas rapit. rebus maximè neceſſariis eam patientiam non habebimus, quam luſus & amœnitates ſuadent? In mandatis habeo* (tabulas oſtendit & interpretatus Luſitanicè fuit) *Capaobæ terras & deſerta ſtudioſius ſcrutandi; Soli indolem proventuſque rimandi. non hoc agi, ut veteres ſuas ſedes luſtrarent Braſiliani & natale ſolum animi gratiâ reviſerent. Si vias neſcirent, ſe aperturum, fatorum ductu & ingenio. ad manum eſſe magneticas directiones, quarum certa demonſtratio. de potu non deſperare ſe, cum nec montes vallibus, nec valles aquis deſtitui compertiſ-*

Oratio Herckmanni ad comites.

ſimum

ſimum ſit. laborem cædendi diminutum, cum non vehiculis jam callis, ſed ſingulis aperiendus ſit. id ſaltem laudis ſectarentur, quod pleriqueper abrupta, licet in nullius rei uſum, glorioſa morte conſecuti ſunt. induſtriam & vigorem Ducis obſequio ac modeſtia iuvarent. Quod ſi obfirmatis animis redire promtum eſſet, ſe Comiti & Senatoribus non aliam intempeſtivi reditus cauſam daturum, quàm inertiam, formidinem & contumaciam. His & talibus verberati, ſe non detrectare juſſa ſignificavere, ſed ſubituros quidvis. modò à ſecuribus, falcatis enſibus, aliiſque utenſilibus inſtruerentur. Iam lux appetebat, cùm fiduciæ ac ſpei, poſt objurgationem, plenus, accingere ſe omnes & alacres progredi jubet. Avarities & gloriæ & emolumenti, nihil invium, impeditum, remotum videri ſinebat. miſſi, qui relicta à tergo cibaria apportarent. reliqui ex agmine, quo conſederant loco, tuguriola ſibi ſubitaneo opere ſtruxére. Decem, à quorum ſibi loquendi procacitate & turbido ingenio metuebat, Paraybam relegati abivére. Unius tunc feræ & prima captura fuit, quam Barbari Tatou, nos Armadillam vocamus. Ejus ſupra memini. accuratius deſcribit Franciſcus Ximenes. Animal eſt (inquit) monſtroſum, mole catelli Melitæi, ſed cauda grandiore, cruribus inſtar erinacei, quorum anteriora quidem quatuor digitos habent, poſteriora quinque; roſtro ad eundem modum ſed longiori & ſubtilio-

ri, auribus cartilagineis & depilis. tectum eſt toto corpore (præterquam ſub ventre & circa collum) laminis quibuſdam, inſtar cataphraſti equi, quæ certis tendinibus ita conjunguntur, ut in omnes ſe partes facillimè poſſit commovere. laminæ ipſæ planè ſunt oſſeæ. Eæ in pulverem comminutæ & drachmæ pondere hauſtæ è decocto ſalviæ, provocant ſudorem & ſingulare ſunt remedium contra luem Veneream. penultimum autem oſſiculum caudæ, quà corpori conjungitur, in ſubtiliſſimum pulverem redactum & cùm aceto roſaceo in pilulas coactum & auribus inditum, miraculi inſtar ſurditatem tollit eam, quæ à cauſa eſt calida. Etiam laminæ in pulverem comminutæ & mixtâ aquâ in maſſam coactæ, extrahunt ſpinas è quavis corporis parte. Non pluvium alium diem, quàm hunc experti fuére. Frigus nocturnum acre, quale, eâ tempeſtate, in Belgio. Cuniculorum venationi invigilatum, captum nihil. Erecta hîc iterum poſteritati ad ſpectaculum & miraculum Inſignia Societatis fuére. Iter directum in Auſtrum & Occidentem, flexumque, pro montium ſitu. trajecti torrentes, viſi lacus, campi, ſilvæ, arundineta, lapides inuſitatæ molis. alios Pyramides dixiſſes, alios Mauſolea, ea forma, ut manu fabricata jurares. tam lentum fuit iter, ut non niſi duo aut tria milliaria in dies ſingulos confecerint. rupes interdum ita ab-

Armadilla deſcriptio ex Ximenio.

ſciſſæ, ut diſpici vix ſine vertigine quadam ſimul oculorum animique poſſent. ſilvæ aliquoties adeò opacæ, ut præ denſitate arborum immiſſorumque aliorum in alios ramorum, vix perſpiceretur cœlum, & interdiu, haud ſecus, quam nocturno itinere, dubio calle incederent. nam ut, quæ longius abſunt, opaca apparent, ita propiora ob denſiores frondes in arboribus nigra videntur. Iis difficultatibus ſubſidio erant duo; Braſilianorum ſcientia in inveſtigandis viis & labori in aperiendis. Poſt hæc in pagum delati, Tapujarum ſedem, nihil præter collapſa aliquot tuguriola occurrére, qualia ſtruere ipſis mos. recenti fronde tecta, Caravvattam vocant, ſupellectilem habebant minus ſuperbam & operoſam, ad paupertatis, cui modicum ſatis, uſum. Calathi erant, Calabaſſas appellant, & pocula aliquot fictilia, quibus hi ambulones noſtri coquendis carnibus utebantur. quas transfixis per illas bacillis torrent. Pilea inſuper reperta & calcei, faſciæque librandis oneribus. piſcantium quoque utenſilia, ut & arcus, ſagittæ, cepitacula, tintinnabula, luſoria inſtrumenta. at ſitu corrupta omnia & fœda. Hæc ipſa, pro derelictis habita, tumultuariè abiiſſe & fugiſſe Barbaros fidem faciebant. id credibilius, non Tapujarum hunc pagum, ſed Tapiviorum aut Nigritarum ſilveſtria incolentium fuiſſe. quod pilea calceique loque-

quebantur. Tandem ubi ad Tapujarum ſtationes perveniſſent, ſubſtitére, & cum metu eorum tenerentur, ſtativa ſua concædibus objectis munivére, ut velut vallo adverſus inſultus concluderentur. Progreſſi aquas offendére ſaporis pravi, rubicundas turbidaſque, mox nullas, inde ſalſas, quales marinæ. Vtque pronum in querelas militare vulgus, mota iterum controverſia Præfecto fuit. qui tenax propoſiti ire juſſit, quò præiret ipſe. iterum hortatus, pari ſecũ fato aut morerentur, aut evaderent: pari victu in dies aliquot durarent: ſuum potius exemplum quàm mandatum ſequerentur. Auſcultavére, at muſſitabundi, ut obſequia invita & extorta pudore partim, partim metu, animadverteres. Continuato itinere, fluvios tranſivére, modò montes & campeſtria, rurſus in ſilvas delati per acclivia, declivia. recta, obliqua itione, curſu modò in Auſtrum, modo in Zephyrum directo. Hic denuò militum quidam de reditu verba fecêre & dimitti à Præfecto petivêre, quod negatum. Luſtratis è montis vertice circumquaque campeſtribus, viſi montes Capaobæ, ſed miliarium novem aut decem intervallo. Iamque ſiti valdè affectis omnibus promptiſq; redire, inter diſcordem multitudinem, maledicas voces, cunctos jam peſſimos, licentiam audaciamque incompoſitæ turbæ veritus, hærendum diutius non rebatur. quamobrem in reditum conſenſit, *Herckmannus redit.*

unicum malorum imminentium levamentum. Mons unde digreſſi, reditus Mons dictus. Obſervatum à redeuntibus fuit, in fluvi Araſſoahuh arbores è gurgite ſupra aquarum ſuperficiem attolli, quarum faſtigiis adhæreſcebat alga & muſcus. unde in iſtam altitudinem intumeſcere fluvium non vana ratiocinatione colligebant. murium, glirumque & anguium toto itinere abundè fuit. caprearum, aut ſuilli generis nihil. Armadillæ non niſi tres quatuorve captæ. Aër quoque per hos dies, abſque volucribus, viſus. Repetitis iiſdem, per quos venerant, montibus, illic loci ſubſtitêre, ubi vehicula & alimenta aſſervabantur. directum tunc in Septentrionem & oppoſitum Deſerti Braſilienſis latus, iter, exploraturis & hîc regionum faciem ac proventus. verebatur utique, ne vanitas ſuſceptæ profectionis ludibrio eſſet malevolis & invidis. Itum per montoſa & inhoſpita fuit, donec ad Confluentes fluvios Araſſoam & Marigniam perventum, per arundiceta & junceta. ubi arbores conſpectæ Cannæ fiſtularis, flumenque tot mæandris & flexibus tortuoſum, ut ſepties tranſeundum fuerit. Erat, ubi in montis cujuſdam radicem avida ſedulitate incumberent. cum enim fragmenta lapidum conſpicerent, rati metallica eſſe, ſollicitè quæſivere, num fulgore ſuo aurum argentumque promitterent. Sed & hîc ipſorum expectationi illuſere ſaxa. Fuit, ubi accenſa

cenſa arbore, duo ſerpentes ex ſemiuſto ſtipite proſiliére, quos gladiis diſſectos Vulcano immolavére. Attamen, cum tot peragratis vallibus, ſuperatis montibus, eadem appareret locorum facies, nec ſpem faceret commodi, dato receptus ſigno, ad eundem montem rediere, ubi Armarium erat. Cauſa hujus in Boream excurſionis Herckmanno fuit, quod fando inaudiviſſet, argenti fodinas hîc eſſe, quas Anno CIↃ IↃ CXXXVII fruſtra adiiſſent Belgæ, ob annonæ inopiam redire coacti. Sed hæc ficta plærique & opum ſpem prædicari credebant, decipiendis noſtris, ut hianti cupiditate longiſſima itinera temerè ſuſciperent. Convaſatis omnibus converſi in Braſiliam, nova eaque invia viâ ivére, ubi montes & plana paſſim vitreis bracteis, ad Solis radios micantibus, conſperſa apparuere. hos montes iſtos cryſtallinos credidére, quorum ſcriptores meminére. licet cryſtallum ignorent Braſiliani. Ego, cum plura tranſcribantur, quàm credantur, nec affirmare ſtudeo, de quibus ambigo, nec ſubducere iis, quæ legi. Poſt dierum aliquot iter ad ſepta & notas Luſitanorum ſedes molaſque venére. Occurrebat redeuntibus agmen Sertanorum ſive deſerta incolentiũ, qui adventu noſtrorum turbati ſeceſſerant, jam abitu reditum parabant. poſt bimeſtrem peregrinationem, inde à Septembris die tertio ad Novembris quartum Reciffam & Mauritiam

ſubivére, graves incommodis, leves ære. Quæ legentibus, ſubibit cogitatio, nihil profectò à Societate, Naſſovio & Senatu Braſilienſi intermiſſum, quod promovendæ publicæ rei faciat. Bellis, mercatu, terrarum indagatione quæſita lucra. Non ſilvæ, non rupes, non flumina ac maria ſtitére queſtus avidiſſimos. ADEÒ VEHEMENS de pecunia opinio eſt, ut immenſa & incredibilia audeat & poſſit. ſive in latentia lucra inveſtigandum, ſive manifeſta devoranda ſint; nec tamen præſentibus & nuper repertis omninò felix, & ipſa quærendi cupiditate miſerrima.

Expeditio in Maragnanam præfecturam.

Poſt debellatam Loandam & S. Thomæ inſulam in Afris, translata belli vis in Braſiliæ Borealia fuit & expugnata armis noſtris provincia Maranhaon, ſive Maragnana. Suaſerant expeditionem Societatis Optimates, litteris ad Comitem exaratis XXVIII Mart. Anno CIϽ IϽ CXL. Illa his rationibus nitebatur: ita latius diffundi Societatis imperia & partis antè bello provinciis robur ſecuritatemque addi: Braſilianorum auxilia & animos laxioribus ſpatiis nobis conciliari, & moribus noſtratium adſueſcere è gente barbara plures: grandia adhæc incommoda creari Luſitanorum commerciis, remque eò perduci, ut non aliunde metus ſit nobis, quàm à maritimis Hiſpanorum inſultibus, redactis ſub poteſtatem locis littoralibus: Marignanam provinciam infeſtandis maris Septentrio-

Rationes expeditionis.

trionalis Inſulis Hiſpaniola, Cuba, Iamayca, Portu Rico & Occiduæ Continentis littoribus oportunam eſſe. Invitari eò Belgas ab aëris ſalubritate, ſoli, ferendis ſaccharo, goſſypio, zingibere, tabaco, ubertate, à ſalis mercatura & fodinarum ſpe. Duces hujus expeditionis fuére Lichthartius & Coinus, Artiſoskii ſucceſſor, viri veteri militiæ fama illuſtres. qui poſtquam è Pernambucenſi ſtatione ſolviſſent, menſe Octobri, Anni CIↃ IↃ C XLI, navibus majoribus octo, minoribus ſex, circa oſtia Maragnani fluminis diu anxii hæſere, ob brevia & infeſtas ſubeuntibus Syrtes. ideoque ne rates omnes eidem periculo exponerent, aliquas præmiſere, quæ tutiores acceſſus explorarent. hæ directo in alveum Occidentalem curſu feliciter navigavére, arcemque hoſtilem prætervectæ, quæ in eas ferocius explodebat, anchoras ſub ipſa urbe. cui à S. Ludovico nomen, fixere. Coinus in inſulam egreſſus, diſpoſito ad invadendam arcem milite, propius ad eam admovit. Venére illi in occurſum à Gubernatore arcis miſſi duo, alter politici, alter ſacri ordinis, rogantes Coinum, num animus eſſet paciſcendi. Annuit Coinus, & humanum ratus non tentare armis, quod facilitate impetrari poſſet, conceſſa omnibus vitæ bonorumque incolumitate, caſtrum ſubiit, & exarmatis præſidiariis, quos trecentos ac triginta offendit, ſui illud juris, æquis militarium condi-

Duces expeditionis Lichthartius & Coinus, veteri militiæ fama illuſtres.

Ann. CIↃ IↃ C XLI. XXX Oct.

Caſtello potitur Comus.

tionibus, fecit. De ſacrorum adminiſtratione nihil motum, nihil pactum. illud non ægrè impetravére, uti militi liceret illic commorari, donec aliter ſtatuiſſent Comes & Senatus Braſilienſis. Repertæ hic machinæ bellicæ majores quinquaginta quinque, & pulveris pyrii ſic ſatis, etiam vina in neceſſitates victoris. molæ, quarum uſus eſſet, non niſi ſex, reliquis nondum perfectis. Plures continens habebat in Tapicurenſium ditione. Hi quoque in fidem ac poteſtatem Societatis recepti, arcem ſuam Centurioni Scaddæo aperuére. Poſtea ad nos tranſire Tapitaperenſes, & triũ pagorum in inſula Maragnanâ incolæ. navicularum, quas hic offendimus, exile aut nullum ferè fuit precium. navalium quadraginta quinque in inſulas Capitis Viridis, quas Saliferas vocitant noſtrates, tranſvecti. Cum Tapicurienſibus tranſactum ſuper ſacchari vaſis trecentis, quibus recipiendis & in Belgium avehendis relicta hic navis. tres aliæ in Barbudas & Chriſtophori inſulam flexere, mercatus cauſa. manſere Belgarum ſexcenti, perficiendis munitionibus & tutandis adverſus hoſtiles motus, indigenis. Diſputationes Geographorum de flumine Maragnone, utrum ejus nominis hîc ſit, an verò inſulæ ſolummodo ea ſit appellatio, fluviis verò è Continente labentibus aliæ à Barbaris inditæ ſint voces & quæ, non eſt mei inſtituti ſollicitè expendere. Illud reperio, Bel-

garum

garum tabulas & diaria de flumine Maragnone & inſula cognomine loqui. In terrarum & fluminum appellatione erraviſſe, leve arbitror, modò certa poſſeſſione illas terras ac flumina & oſtia teneat Societas. Inſulæ Maragnanæ magnitudo quadraginta quinque milliarium ambitu definitur. Vicina eſt Æquinoctiali lineæ, à qua paulo plus duobus gradibus abit, tribus magnis præcingitur & alluitur fluminibus, quæ è Continentis ora in Sinum hunc ſe exonerant. Unum idque Orientale & maximum, Mounim indigenis dicitur. Secundum idque medium, Tabouçourou. Tertium idque Occidentale, Miarii. Pagorum mira forma eſt. domiciliis conſtant paucis, ſed quadrangularibus, relicta in meditullio patentiore area, ceu foro. Hæc ipſa in longitudinem ducentorum & quingentorum paſſuum exſtructa, latitudine paſſuum x x v, ex arborum inter ſe nexis truncis & palmarum frondibus gratiſſimum ſui præbent ſpectaculum. Soli eam Euri perflant, unde inſulanis ſua ſalubritas. amœniſſimam nec nebulæ nec morbiferæ exhalationes infeſtant. Martius, Aprilis, Majus, pluvii ſunt. cætera anni ſereniſſima. aquarum dulcium crebris ſcaturiginibus gaudet, licet ſalſis undecunque cingatur. fructibus maturitatem accelerat calor, quos aliquoties ſingulis annis reddit. Ex radicibus *Maniot* farra conficiunt, quibus vi-

Inſulæ Maragnanæ deſcriptio.

ctitant. Præter ſacchara, lignum Braſilienſe habet, & croceum, & goſſypium. Laccæ quoque ſpeciem & balſamum, Arabico non inferius; ut & acerrimi ſaporis piper ac Tabacum non ignobile. Arbores plurimas oſtentat noſtro orbi incognitas, inter quas proceritate eminet *Acayou* dicta. quæ, quod infrequens, fructus fert quadrifariam diverſos: unum pyro ſimilem, nucleo amygdalino, ſucculentum flavumque: ſecundum acidioris ſucci & rubicundum: tertium acidiſſimum, unde acetum conficiunt: quartum ſaporis gratiſſimi. pſittacorum aliarumque avium varietas & multitudo maxima. Inter has corporis mole, ferocia, robore & plumarum elegantia eminet Ovyza-Ovaſſou, aquilâ duplo ferè major, cui oves diſcerpere, & in capreas ſævire mos & indoles. Veſpertilionum hæc grandium ſedes eſt, ipſis hominibus terribilium. Mare piſcoſiſſimum piſcium ſpecies plurimas ſufficit, longitudine inſigni, figura varias. præter cervos, capras, erinaceos, ſimios, cercopithecos, alit Armadillum, quem Barbari *Tatou* vocant, de quo ſupra; ut & Europæis vulpeculis ſimiles vulpes. Inter angues maximè formidabilis ille, quem *Boyeten* vocant, pelle maculis variegatâ inſignis, morſu caudæque ictibus lethifer. hæc ipſa veſiculæ articulis ſuis diſtinctæ formam habet, cujus ſtrepitu, quoties per vepreta & dumeta ſerpit, ſui & imminentis homini

exitii,

exitii, ceu crepitaculo, indicium facit. quadrupedum animalium maximè ſtupendum eſt iſtud, quod *Vnau* appellant. cujus paulo antè injecta mentio. caput illi pro corporis mole exiguum eſt, brevibus pilis ſubrufis, ut & menti gutturiſque pars, obſitum. roſtro ſimiam quodammodo refert. breve illud, glabrum & obtuſum ſimiſque eſt naribus, exiguis etiam dentibus, at latis, rictu non valde amplo. quatuor pedibus incedens, promovet parum. iis in ungues tres diſſectis arbores prenſat & conſcendit. adeò ſegne eſt & pigrum, ut Pigritiæ illi nomen indiderint Hiſpani. Incolæ corpora erecta & vegeta ſatis oſtendunt, bajulandis oneribus apta. depreſſis ſunt naribus, colore fuſco & olivaſtro tincta, longævi, nec calveſcentes. capillorum curam, quos ad ornatum & comam diſponunt, viri habent juxtà feminas. mares labia perforata nareſque gemmis ligniſque induunt, cutem coticula acutiore diſcindunt & coloribus diſtinguunt. Antropophagi ſunt, in hoſtes truculenti valdè. quos probè ſaginatos mactant & vorant. proximos Tapujas habent, ſed hoſtes. Adiére hanc inſulam olim Amſtelodamenſes & Rotterodamenſes, annis retrò XXIV, mercatus cauſa.

Hoc ſanè laudabile in ducibus Coino & Lichthartio, quod pelliciendis in amorem Belgarum Barbaris, egregia humanitatis exempla ediderint. Quippe decretum facere, *Laus Coini & Lichthartii.*

ne

ne pro mancipiis haberentur Braſiliani aut Indorum quiſquam, eodem libertatis jure cum Belgis fruituri. Id veniæ jam ante Siaram habitantibus fecerat Naſſovius, uti captos à Tapujis hoſtes hoſtiumque liberos redimere pecuniis liceret. quos aliàs ad mactationem & ingluviem ſibi ſervabat antropophaga gens. tantis in Luſitanos feruntur odiis, ut vix imperiis noſtris coërceri poſſint, ne in illos vim facturi irruant & vindictæ ſuæ ſanguine litent. Hîc inventæ per Gedeonem Mouriſium Salinæ apud Vpamemam & poſteà Elberti Smienthi curæ commiſſæ, magnorum redituum ſpem fecére. Quæ tamen poſt decennales cum Luſitanis inducias & attritam ibidem variolarum morbo gentem & impenſas lucris majores, neglectæ & minus curatæ fuerunt. Verum enarratis ante Afrorum & Braſiliæ damnis offenſi Luſitanorum Rectores, ad induciarum pacta provocabant. Ipſe Portugalliæ Rex per legatum apud Potentiſſimos Ordines, non ſine bile, peroravit & amiſſa repetiit; iniquam dictitans: ab iiſdem Dominis ſuppetias & claſſes mitti Luſitanorū Regi, & alibi ipſius terras alia claſſe invadi: una manu, quod ajunt, aquã, alia ignem porrigi: jura gentium & naturæ violari, amicorum oppreſſione: nec debere conſilia pacis novis belli motibus turbari. Sed ſurdis fabula. cum hæc aut ante pactas inducias, aut nondum à Rege Luſitano probatas: aut, quod ex induciarum legibus fa-

Salinæ apud Vpamemam.

Querela Legati Luſitanorum Regis.

Reſponſio.

ctum oportuit, promulgatas, geſta omnia confectaque fuerint.

At poſtquam, per Inducias decennales cum Luſitanorum Rege pactas, prohibitus fuit Naſſovius in illam gentem bello ire, ne iners omnino eſſet Societas, cui pax noxia erat, omnis in bello ſeges gloriæ atque emolumenti; apparuit illi, poſſe utiliter aliò arma transferri & exercendæ virtutis materiam reperiri. Primò patere mare omne Pacificum, in quod è Braſilia facilis & expedita ſit navigatio, flantibus per æſtatem Aquilonibus. quibus aut per fretum Magellanicum, aut illud nuper à Lamairio repertum, perveniri in Auſtralem Oceanum poſſet. Hîc experiendum, num Chilenſibus animus ſit, Belgis opitulantibus, exigendi terris ſuis Hiſpanos. Deinde occaſiones hîc offerri invadendi auriferas Peruanorum rates, & Manilianas iſtas, quæ ex portu Acapulco ſolvunt. quæ Equiti fortiſſimo Thomæ Candiſhio aliquando præda fuére. Quin minoribus jam impenſis explorari poſſe Terræ Magellanicæ & Auſtralis oras. quæ, ſi quid fortè lucrorum promitterent, compendioſo itinere à Braſilienſibus adiri poſſent.

An. CIϽ IϽ C XLI Nov. X.

Naſſovius Societati novos modos viaſque aperit proferendi imperium.

Fuit hic annus Braſiliæ celebris, non ſolum Luſitanorum defectione, quæ magnarum rerum ſpem faciebat Belgis, verum & privatâ calamitate. Etenim tam crebri denſique abſque intervallis decidére imbres, ut

auctis

auctis & intumeſcentibus fluminum alveis, terras circumquaque inundarent & turbine atque unda raptarentur agris contenta. perruptis aut ſuperatis aggeribus aquæ agrorum conſpectum oculis ſubduxerant. Illi navigiis tranſibantur, & coloni navitarum munia peragebant. hominum & Jumentorum miſeranda ſtrages fuit, maximè ad ripam Capivaribi fluminis. cannæ ſacchareæ recens natæ in ipſa herba ſuffocabantur, adultiores aquarum frigore tactæ ſpem quoque dominorum fefellére, medullæ quicquid intus erat, exedentibus vermiculis, in aquâ natis. Tum aliis quoque ſignis iram ſuam Deus teſtatus eſt, accedente ad hanc agrorum calamitatem, aliâ hominum, à morbillis & variolis. quæ adeò ſæviére per univerſam Braſiliam, ut in ſola Paraybenſi provincia exſtincta fuerint Nigritarum undecies centum, multis languida membra trahentibus; reſoluta quaſi nervorum facultate. Fecit hæc res, ut fatiſcentibus & fractis imbecillitate operariis, agrorum proventus interçîderint. deſperata ſegete nata ſeges alia libellorum ſupplicum, quibus debitorum nominumque aut expunctiones, aut dilationes, aut remiſſiones petebantur. has concedi intererat creditorum; non concedi, ſtrictiſſimi juris videbatur. ideò ob rei momentum miſſæ in Belgium ad Rectores litteræ, quibus reſponſa ex ipſorum arbitrio petebantur. illud quan-

Imbres crebri Sacchaream meſſem ſuffocant.

Graſſantur morbilli & variola.

quantivis erat, decimarum emptores non niſi decimatum decimas offerre. quod recepti ſub Rege moris eſſe ajebant, quoties precii diminutionem cœli calamitas fataque imperarent.

Iam tum tranſmiſſæ Comiti fuére actorum inter Fœderati Belgii Proceres & Triſtanum Mendozam Luſitani Regis legatum tabulæ. ex quo mitius ſe geſſere partes, nec ſævitum ultrà in agros, & molendina. Deſævierat bellum, nec tamen pax fuit. ſed alibi, mari potiſſimum, belli fortuna parva adhuc irarum documenta dabat. At fœderis ratihabitionem ſuo incommodo morabatur Luſitaniæ Rex, Dux Braccantinus. jamque effluxerat annus, cum ejus compotes demum facti fuerunt Fœderati Patres. Hi ocyus eam in Braſiliam ad Mauritium miſére. qui nulla cunctatione per imperii ſui terras denunciari ſolenni eam ritu imperavit, præmiſſa ad Deum, pacis utique & concordiæ Deum, publica gratiarum recitatione. Abiit in Salvatoris urbem tubicen, qui iſtam deferret. In Maragnanam provinciam per navem Loandam delata nuntia, ibidem lætis Induciarum vocibus populos implevére. quod & in Afrorum factum littoribus, ubi Mina, Loanda, S. Thomæ Inſula eadem pronis animis accepit. Huncuſque in diem quicquid armis belloque partum, non controverſo titulo noſtrum fuit, & inſtitutæ poſt, ſuper ante geſtis querelæ,

Comes Tabulas accipit Actorum inter Foed. Ord. & Triſtanum Mendozam.

Mittitur exacto anno Ratihabitio.

relæ, vanæ voces fuere, vigente tunc belli jure, per ſuſpenſæ & dubiæ adhuc pacis tempora. Vt vero hujus controverſiæ originem fonteſque noris Lector, arceſſenda paulò altius ſunt Luſitani Regis, Ducis Braccantini cum Fœderatis Belgis fœdera. quæ prius agitata, at ſancita ſerius, ut remiſſioris belli, ità nuper captatæ ad victoriam non unius occaſionis in Afrorum terris & alibi cauſa fuére. Enimverò poſt defectionem Cataloniæ, novis motibus turbata Portugallia, abdicato Philippo IV, in Ioannem Bragantiæ Ducem juraverat. Diu agitata conſilia una hora patefecit, & occulta in Caſtellanos odia furor & ſeditio aperuit. Commota Oliſippo tanti facinoris dux fuit, factoque in regiam impetu, remotâ, quæ Regis nomine imperabat, Mantuæ Duce & trucidato ſecretorum ejus adminiſtro, tanquam publici odii victimâ, veterem Dominum Majeſtate exuit. linguâ clamoribuſque elocuti, quod vellent, conjurationis ſocii, pervenerunt ad gladios, & adhibita vi, arcibuſque per regnum omne velut flumine occupatis, recenti imperio ſecuritatem quæſivére. Tot annis latens vindictæ ignis erupit, & documento Principibus fuit, PESSIMVM diuturnitatis magiſtrum eſſe metum. quo ingemiſcentes Luſitani occaſionem & fortunam exſpectavere, excutiendi cervicibus inviſam dominationem. Nobilium & potentium in aula iræ, cœtus, concilia

Exponuntur cauſſæ & occaſiones Foederis inter Regem Luſitaniæ & Foederatos Ordines.

Illæ natæ ex defectione Luſitanorum à rege.

An. CIↃ IↃ CXL Calend. Decem.

cilia & ſecretæ conſultationes populum ad ſe & in partes traxerunt. Querebantur voce & ſcriptis, Luſitaniam per nefas à Philippo II occupatam, per tyrannidem teneri, ut ſolent malis artibus parta imperia pejoribus regi: exactionibus immodicis ſpoliari cives & deglubi: regno miniſtros præfici deterrimos: Luſitanos à publicis muneribus excludi, præferri Caſtellanos: religionem domi foriſque negligi deniq; ſervitutem miſerrimam & extrema quæque malorum Portugalliæ parari. Cumque libertatis ſpecioſum nomen prætexeretur, & in Regem inveherentur inclementius, gratiores plebi fuere. promtiſſimique audacia rebus motis fidiſſimi habebantur. Electus Bragantiæ Dux fuit, veteri controverſiæ, de ſucceſſore regni Portugallici, poſt cæſum à Mauris Sebaſtianum regem & exſtinctum Henricum Cardinalem Sebaſtiani patruum, immixtus. Erant tum litis famoſiſſimæ partes Philippus II ex Iſabella Henrici ſorore & Emanuelis decimi quarti Portugalliæ Regis primogenita natus: Dein Emanuel Subaudiæ Dux ex Beatrice, altera Emanuelis filia, prognatus: Præterea Ranutius Farneſius Alexandri filius, Octavii Parmenſium Ducis N. quem Maria Eduardi & Henrici fratris filia genuerat: Ioannes Bragantiæ Dux, nomine Catharinæ uxoris ſuæ, quæ rege Philippo ſanguinis gradu propior habebatur: Antonius Prior Cratenſis, filius

Cauſſæ defectionis Luſitanorum à Philippo IV.

Lodovici fratris Henrici, qui ſe non nothum, ut vulgo credebatur, ſed ex legitimo matrimonio natum dictitabat: Catharina denique Medicea, vidua Henrici II Galliarum Regis, jus ſuum à longinquo repetens, ab Alphonſo & Comitiſſa Bononienſi. Præcipuum certamen inter Philippum erat & Catharinam Bragantinam, pares ab Henrico gradu. Plurimorum judiciis regnum Philippo deferebatur, licet Antonium ex Ludovico Henrici fratre filium favor populi ſublevaret. à quo ipſi acclamatum Oliſſipone fuit. Philippus nil moratus ancipites Iuriſconſultorum voces, plebiſque Luſitanicæ in Antonium benevolos animos, litem armis decîdit, immiſſoque in Portugalliam exercitu, Albano Duce, regnum invaſit, pulſoque Antonio & vires nequicquam recolligente, per annos ſexaginta quatuor, pacatum populum habuit, licet querulum. Sed ſopitis verius odiis quàm exſtinctis, recrudeſcens poſt tot luſtra Luſitanæ gentis in Caſtellanum Regem ferocia, abrogato Philippo IV, ſecundi nepote, Ioannem Bragantiæ Ducem, Ioannis Bragantini nepotem, Regem pronunciavit. Qui, poſtquam primi tumultus reſidére, regno præſidia quærere foris cœpit & munimenta, quibus inſiſteret. Miſſis ergò ad Galliarum Britanniæque Reges ac Fœderatos Ordines Legatis, in belli Societatem alios pertrahere ob communem hoſtem ſtuduit,

aliis

aliis aditi regni cauſas probare. Venit in Belgium Triſtanus Mendoza Furtrado, inter conjurationis in Philippum IV anteſignanos non poſtremus, utque fidem animumque in novum Regem, ita fiduciam ſui & ingens Caſtellæ odium profitebatur. Is in Caſtellæ regem, nec enim Hiſpaniæ ultrà vocare libuit, ob avulſam ab Hiſpanico regno Cataloniam & Portugalliam, pacto cum Fœderatis Ordinibus Induciarum fœdere, ipſis Calend. Maji Anno CIↃ IↃ CXLI in condiciones plurimas conſenſit, paucis interpretatione lenitis, paucioribus expunctis. Eæ, quatenus Braſiliam & Societatem Occidentalem, attinent, hæ ſunt:

Articuli Induciarum inter Bragantiæ Ducem jam Regem & Fœder. Ordines, quatenus Societatem concernunt.

Induciæ decennales ſunto, per terras, portus, mariaque, commerciis dictæ Societatis, Fœderatorum Ordinum indulto, definita. nec ratæ illæ habentor, niſi à ſemeſtri, ex quo Rex Luſitanus autor fuerit.

Incolæ civeſque provinciarum Braſilienſium, adeòque quotquot Societati innexi ſunt, cujuſcunque tandem fuerint gentis, condicionis & relligionis, eodem commerciorum jure, emolumentis iiſdē & immunitatibus per Luſitani Regis terras omnes, quas in Europæo orbe poſſidet, fruuntor, quibus fruentur reliqui Fœderati Belgii incolæ. Excepit ſolùm Mendoza; dummodò in Portugalliam non importent Belgæ ſacchara, ligna tinctoria aliaſque Braſilienſium proprias merces & proventus.

Belgæ juxtà ac Luſitani per Induciarũ tempora mutuis auxiliis ſuppetiiſque attenentor ubi res neceſſitaſque imperabunt.

Quicquid arcium, urbium, navium, hominumque à Caſtellani Regis ſtabit partibus, id omne utrique populo hoſtile ac inimicum habetor, nulla habita limitum ratione. Mendoza annuit, modò Præfectus loci, ubi & unde cœptandum belli facinus, & hoſti inferenda vis erit, præmoneatur.

Iiſdem vel à Belga vel Luſitano victis, ceduntо quoque victori terræ, quotquot ejus erunt ditionis.

Quiſque populus parta poſſeſſaque antehac poſſideto, quæ qualiaque alterutrius fuerint, ab ipſa Indiciarum promulgatione. At quicquid agrorum limitaneas arces interjacet, bello armiſque acquiſitum, partiuntor, ut & populos colonoſque; quò & Belgis & Luſitano ſui conſtent imperii & defenſionis limites.

Quæcunque privati fuerunt dominii & poſt factum iſtam locorum diribitionẽ alterutrius partis eſſe deprehendentur, ſi deſerta fuerint à ſuis dominis, in Belgarum vel Luſitanorum territorio degentibus, reſtitui ſuis dominis minimè neceſſum, ſed iis quiſque, quæ abiens ſecum abduxit, contentus eſto.

Quæ verò loca à dominis ſuis inſeſſa cultaque uſque fuere aut vicariis poſſeſſoribus, eorundem ſunto. Iudicemque iſtarum rerum

quiſ-

quiſque in ſuo diſtrictu quærito.

Commercia populis ſingulis inter ſuos libera ſunto. nec frequentare Luſitanorum terras Belgis, nec Belgarum Luſitanis licitum eſto. niſi poſtmodum ſecus videbitur partibus. Mendoza hæc ad Braſiliam reſtringi voluit.

Cumque metus ſit, ut navigationem iſtam in Braſiliam infeſtent Caſtellani, non niſi majoribus navigiis ex præſcripto exſtructis ac armatis, eò nemo vel Belgarum vel Luſitanorum navigato. Quod ſi minoribus eò merces tranſvectare lubebit, nefas eſto iiſdem remeare in portus, unde exivêre. qui ſecus faxit, pœnam amiſſæ navis merciumque luito. Eadem lex ex Africa navigantibus & Nigritarum vectricibus ratibus ſcripta eſto. Hunc Articulum expungi popoſcit Mendoza, pauperum & mediocris fortunæ Luſitanorum miſertus.

Neutris, nec Luſitano nec Belgæ, venia eſto merces vel annonam in Indias Caſtellanas aliaque hoſtium loca deferendi, indicta navis merciumque jacturâ. vectores hoſtium condicione habentor.

Quæ à Luſitanis Belgiſque ad Africæ oram poſſidentur, limitationis non egent, cum interjectis aliarum gentium Barbararum regionibus diſcernantur.

Permiſſa ſunto utriſque in iiſdem Afrorum oris, in inſula S. Thomæ aliiſque commercia.

At qui mercatus auri eſt, Nigritarum & eboris in iiſdem locis, confiniiſq;, eadem vectilia pendito loci domino, quæ Luſitani aſſolent. Mendoza excipi inſulam Thomæam poſtulavit, ut quæ non cis, ſed ultra Æquinoctialem ſita eſſet.

Cumque Braſiliam in provinciam ex parte redegerint Fœderati Ordines, quo tempore Regi Caſtellæ obnoxii erãt ejus indigenæ, hoſteſque ſe Belgarum agnoſcerent, ut & Luſitani, jam ſocii & amici: nequaquam, coëuntibus nunc animis, jure poſtliminii vel quaſi, repetere fas eſto, agros Ingeniaque, quæ à Belgis empta poſſidentur. uti nec Fœderatorum ſubditis fas fuerit à Luſitanis, ut nec his ab illis exigere priſca nomina. verùm quilibet frui permittitor iis bonis, quæ ab Induciarum recitatione peculii ſui eſſe probaverit.

Quò verò inter Luſitani Regis ſubditos noſtroſque commerciorum æqua ſervetur ratio, paria ſunto utrobique mercium onera, tum illarum, quas Portugallia Belgiumque in Braſiliam importabunt, tum quas exportabunt. Mendoza, ob ſpecialia Regis ſui in ſubditos Luſitanos indulta & hunc diſpungi petiit.

Luſitano denique Regi ſubditi ac Fœderatis Ordinibus, Induciis hiſce decennalibus pacem mutuam ſine fuco & dolo colunto, priorum offenſarum injuriæque omnis immemores. Col-

Collegium Novemdecim-virale, penes quod tantarum rerum moderatio eſt, in propius horum capitum examen admiſſum, eam ſib mentem eſſe Potentiſſimis Ordinibus expoſuit, malle ſe æternam pacem, quàm temporariam, & tolli potius bellum, quàm denuò exſpectari. cum nulla cum Brigantino Duce antehac ipſi fuerit controverſia. Cumque Luſitanorum legatus commerciis mutuis exemerit ſaccharorum, lignorum Braſilienſium, aliarumque mercium in Luſitaniam per noſtros importationem, hoc quoque ſibi dari poſtulavere, ne eadem Luſitanis in Belgium importare liceat. Nec placuit illa Triſtani clauſula, ut quoties in hoſtem inimicum quid moliretur Belga aut Luſitanus, ſignificare hoc præfecto loci neceſſe haberet, cum illa præmonitionis morâ elabi poſſet rerum gerendarum præſens occaſio. Nec partitionem eam limitum inter Belgas & Luſitanos admitti viſum, quam olim fecere Luſitani, ſed illam, quæ ex communi partium conſenſu definienda erit. Navium, quibus è Portugalliæ portubus in Braſiliam ibitur, magnitudinem qud attinet, quam pro mercantium facultatibus liberam eſſe vult Triſtanus, lege ab Ordinibus præſcripta adſtringi poſtulavit. ne leviter inſtructæ naves nec firmæ adverſus hoſtem, potentiæ ipſius acceſſio fiant. Vbi cavetur, ne in Indiam Caſtellanorum merces tranſvectentur, addi petiere, naviga & Nigri-

tas, quibus hoſti maximè opus. At Inſulam S. Thomæ noſtrorum frequentationi eximi iniquum credidit, cum præſens Induciarum contractus, de ea mercatus libertate loquatur, quæ Tropico Cancri & Capite Bonæ Spei definitur. quibus terminis inſulam Thomæam includi compertum. Hæc aliaque tum inter Triſtanum & Potentiſſimos Ordines ſuper Braſiliæ rebus ſancita, pro induciarum legibus utrique genti fuere. Nunc perſequamur acta Comiti.

Carolus Tolnerius à Comite in Belgium mittitur, ut de Statu Braſiliæ referat.

Dum poſtulatam ante hac non ſemel à Fœderatis Ordinibus dimiſſionem, nondum impetrat Naſſovius, ablegat in Belgium Carolum Tolnerium à conſiliis ſibi & ſecretis. qui de Braſiliæ ſtatu ad illos referret, & factu neceſſaria promeret. Expoſuit is, Braſiliæ oram omnem, quæ à Maragnana provincia, jam pridem in poteſtatem Belgarum redacta, ad fluvium usque Regalem extenditur, alta pace teneri: nullo hoſte agros, ſacchareas molas, urbes pagoſque infeſtari; lapſa reſtitui, bellis deformia priſtino nitori reddi: novam ubique rerum faciem in melius apparére. Verùm, (quod pace Potentiſſimum Ordinum dixerit) omninò improbari Comiti hoc, quod acceperat Societatis inſtitutum, de abdicandis, qui militiæ honoratiore titulo præerant, Officialibus, & accîdendo militarium cenſu à frugalitatis minus tempeſtivæ ſtudio hoc profectum. at damnoſum

Rio Real.

Reipub. fore, ob Luſitanorum occultas in eam molitiones & prono in Regem, jam ſuæ gentis, affectu. hunc avidiſſimè arrepturum occaſiones recuperandi amiſſa. ea præſertim, quæ nuper in Maragnana provincia & Afris, morantibus Induciis, ſua feciſſent Fœderati: Hæc damna quàm ad animũ revocet, patere ex litteris Marchionis de Montalvan, nuper Braſiliæ Pro-regis ad Comitem, ut & ex iis, quas centurio quidam à Luſitanorum Rege in Braſiliam miſſus, ad eundem Comitem & Senatores dederat: infenſiſſimam ajebat, nobis eſte iſtam gentem, ob pulſos Ieſuitas & Monachos, relictis ad ſacra ſacrificulis aliquot, ordinis Eccleſiaſtici propudiis, gulæ potius, quàm aræ litantibus: plurimos Luſitanorum Societati & Belgis civibus magnis nominibus obnoxios inhiare turbidis: documenta dediſſe, quantis in noſtram perniciem animis ferantur, ſub nuperæ claſſis adventum; nec validiore eſſe Iudæos fide, quibus ad malos auſus prompta ingenia. affirmabat, iſtius decreti de exauthorando milite nuntio commotos duces complures fide ſe Societati data exſolviſſe, & in Luſitaniam ſub novi Regis teſſera militatum abiviſſe. indignum namque judicabant eam laboribus ſuis ac fuſo ſanguini miſſionem dari: fractos ac fatiſcentes contemptu & neglectu compenſari. Ita ſtare ſententiam Comiti, nondum immutandum, recentibus induciis, militiæ

ordinem, nec abroganda benè meritis ducibus, quorum fides in bello conſpicua fuit, belli decora. hæc citò abrumpere ad civiles & militares motus properantium eſſe. ideoque ingrata ipſi fore imperia, quæ cum militum & civium dolore exercentur. Mulcendos eſſe beneficiorum lenocinio Luſitanos nec contemptim habendos. præſtanda ipſis religioſè ſacrorum promiſſa quin appellationibus quibuſdam fulgidis erigendum eſſe turgeſcentem faſtu populum. nihil ad felicitatem Societatis æquè exigi, quam moderationem & lenitatem. MOLLIBVS plerumque remediis ſanari, qui contra vim pertinaces obnituntur. Illud inter prima rerum eſſe capita, ſi Braſiliæ res domi regerent Rectores perpetui, non anniverſarii. cum ſuccedentes in imperia inſolita alii atque alii in rerum imperitiam ſuccederent, priorum decretis contraria decernerent, & minus ſalubria aptaque tempori. ſic inter abruptas ſæpè deliberationes & conſiliorum intervalla elabi optimas occaſiones, & ex incertis & diſcrepantibus plurium ſuffragiis maximarum rerum momenta ſuſpendi. Hæc quoque magna fiduciâ differebat, repetitas per Comitem toties de annonæ caritate querelas: eſuritioni terras ſervari, ruinæ omnia, niſi proſpiciatur maturè: medicaminum inopiæ multorum fata imputari, medicorum eſſeveratione ex tabulis probabat. docebatque atteri Braſilianorum

Comes ſubitam militiæ mutationem diſſuadet.

Leniter habendos eſſe Luſitanos monet.

Et promiſſa præſtare.

Anniverſarios rectores minus probat

norum granaria, per ea, quæ nuper acceſſerant Seregippes, Angolæ, Inſulæ S. Thomæ ac Maragnonis imperia. infeliciores hic illic rerum eventus, non Comiti ſed aliis præſtandos, iniquius in ipſum devivari. Idem Tolnerius militiæ omnis per Braſiliam & Afros diſperſæ ſyllabum hunc exhibuit. Seregippæ Regiæ datæ centuriæ tres, Arci Mauritianæ ad ripam S. Franciſci quatuor, Alagois duæ, Pojucæ binæ: S. Antonii caſtro ſingularis, Duſſiano itidem & Moribecæ, Principis Guilielmi munimento binæ, Frederici Henrici ſingularis, Mauritiopoli cohors Prætoria trecentos ferè numerans, Arci Erneſti ſimulque Triangulari una; Reciffæ, Brunonis arci, caſtello littorali, Olindæ, Igaraſuæ, Itamaricæ ſimul & arci Auriacæ, Fredericopoli, ſingulis una. Arcem Margaretam, Boreale oſtium & Reſtingam quatuor tuebantur. arcem Ceulianam ad flumen Grande & Siaram ſingulæ. civitatem S. Lodovici in Maragnanis terris quatuor. Caſtellum Tapicuru ſingularis. In Angolæ regno protribunus Hinderſonius Vrbem Loandam & Benguelam Arcem centuriis tenebat decem. In inſula S. Thomæ urbi & Caſtro S. Sebaſtiani pro præſidiis erant quatuor. Vt vis militarium omnis quatuor millibus, octingentis inſuper & quadraginta tribus cenſeretur. Hos cum accîdi indies diceret, aliorum fato, vel abitione, aliorum ab armis vacatione, poſtulavit Comitis *Status militiæ.*

iuſſu

juſſu efflictim, niſi Rempub. in perniciem trahi velint, ſubſidiarum militem & Annonam liberaliorem. quorum ille motum, hæc animam daret. ſine iis nec vincere ipſum poſſe, nec cum ſuis vivere. alterutrius inopia nec ſecuritatem ultra Reipub. nec gloriam ſuam conſtare poſſe.

Litteræ Marchionis Montalvan Proregis ad Comitem, quibus queritur de violata Afris & Maragnanis.

Litteræ Georgii de Maſcarenhas Marchionis Montalvan Proregis, ad Comitem, quarum antè memini, popyſmis ſuis adblandientes & alicubi tumidæ, hujus argumenti fuere: *Se poſtquam vicaria Regis poteſtate apud Braſilienſes defunctus eſſet, aula & novo rege potiri. in maximis negotiis. quæ reditus Regios, quæ claſſes ſpectant, ſe adjutorem adſciſci. in intima conſiliorum admitti, & quod primum, Pro-præfecti Nobilitatis Luſitanicæ titulum, ſub Principe Iuventutis, indeptum: gratiſsimum ſibi fore, ſi de rebus Comitis optima omnia & magna cognoſcat: Regem ſuum impatienter ferre, vim à Belgis illatam Afris & Maragnanis, quo tempore pacis ille cum Fœderatis Ordinibus conſilia agitabat, & à Gallorum Rege noſtriſque auxiliares claſſes adverſus Caſtellæ Regem impetraviſſet: omninò ſperare ſe, extra culpam tam obominandi facinoris & improbæ audaciæ ſtare domum Naſſovicam & illuſtriſsimæ familiæ laudatiſsimum nepotem. qui illuſtriſsimas imagines non authoramenta ferociæ & injuriarum, ſed juſtitiæ putaret. cujus officii ſit, monere Potentiſsimos Ordines & ducem facti Hinderſonium, ut erepta per nefas reſtituat, ni reſcindi quæque per Regem velint induciarum decre-*

ta: non militum libidini obtemperare magnos Duces debere, qui ad ſummum militiæ decus adſpirent, & à juſta generoſioris animi probitate famam quærant, latrocinantiumque militum immanitatem abominentur. HANC *melioris diſciplinæ legem eſſe, ut ab iniuſtis armis abſtineatur, & pacis commoda diligentiſsimè conſerventur. nihil magis in votis habere Regem, quàm ut militiæ ſuæ partem maximam adminiſtret Comes: ſe ſuper ea re cum Rege verba faciente, & faciles voces commodante, ſuperveniens de occupata per Belgas Angola nuntium turbaviſſe cœpta. nec tamen ſe defuturum iſtis, ubi ex Comite rem omnem didicerit; Luſitanorum regnum exercitu validum eſſe, arcibus limitaneis à præſidiis proſpectum, res maritimas ſuis conſiliis reſtitui,* & quæ plura in hanc ſententiam diſſerebat. Quibus gemina ferè erant, quæ Centurio Antonius Fonſeca de Ornelas, à Rege ad Comitem miſſus, perſcripſerat.

Mauritius, quæ prima feriantis à bello cura fuit, in commoda Societatis intentus, luſtratis, quæ tum Braſilia habebat copiis, militiæ nomina cenſumque contraxit, ut ſtipendiorum onere aliquà ſublevaret æraria. Ea tamen hoc factum circumſpectione, ut mediterraneis locis adverſus latrocinia nefariorum hominum & populatores proſpexerit. Proximum erat, ut quotquot rerum Societatis & Braſilienſis imperii adminiſtri, ſui facti juris, ſuis quiſque ſtuderet commodis. Sed ob inopiam publicam, & ne omni ope frauda-

Mauritius initis Induciis militiæ cenſum contrahit.

da-

darentur rectores, confici hoc ex templò non potuit. necdum enim exciderant animis, Luſitanorum verſutæ & ſubdolæ machinationes. Illud non parum ſtabiliendo imperio facere videbatur, ſi coloniæ quaquaverſum ducerentur, nec præſidiis ſe ſemper & metu, ſed ſubditorum fide tueretur Braſilia. Huic fini pro illecebra & blandimento fuit decimarum immunitas, qua recentes coloni conjugio juncti gauderent, in ſeptennium, eoque exacto liberorum ſingulis ſimilis indulti annus ſuperadderetur. At verebatur illorum querimonias Comes, qui Ingeniis (liceat retinere vocem Hiſpanicam, exactis Hiſpanis) præeſſent. quorum laboribus hactenus viguiſſent commercia, quorum fidem expertus fuerat, nonnulli ſe Belgis matrimonio junxiſſent, belli aſpera pertuliſſent. iniquiſſimũ videbatur novis habitatoribus gratiam iſtam fieri, antiquis negari. quare & hoc propiori deliberationi ſepoſitum. Parta ruricolis ſecuritate, agrariæ rei incubitum venditaque ad culturam jugera, integra Societati modica emphyteuſi. Nec tamen neglectæ arcium paſſim, ubi opus, munitiones, verùm vacuo jam milite ad hæc opera uſus, inertiam pepulit aliqua ipſius militis, aliqua Societatis utilitatè. Dederat hæc Comiti in mandatis, uti arctioribus ſeptis ſtringeretur cultus Papalis, & urgebant non ſegniter iſtam rem, hoc eſt, ſuam, quotquot iſtic erant ſacri ordinis. Verùm

De immunitatibus novorum Colonorum cogitat.

Agros ad culturam divendit Societatis commodo.

Comes moderationi ſtudet.

rùm Comes novorum motuum irritamenta pertimeſcens, præſentium Luſitanorũ diffidentiâ, inter effrenem licentiam & illa conſcientiarum arcta repagula medius, prudenti lenitate juſſa temperavit, ne aut fidei conſortes offenderet, aut diverſos alienaret. Quin expoſuit Rectoribus, id animi eſſe & pertinaciæ Luſitanis, ut nullibi fixuri ſint ſedem, niſi ubi ſonaret Sacerdotis ſui vox. provocare ipſos ad deditionis pacta, & promiſſam olim cultus publici licentiam. nec eam fuiſſe tunc mentem partibus, ut domeſtica libertate definiretur ſacrorum uſurpatio, ſed publicâ, qualis ſub Rege fuerat. Maragnanæ provinciæ nuper in poteſtatem noſtram redactæ ea conceſſa libertas, quæ ex verbis Inducialium actorum Articulo XXVI debetur. vetuitque Naſſovius, poſt diminuta iſtic præſidia, intempeſtiva ſacrorum limitatione, benè poſita moveri. Faciebant ad pietatis ſtudia & religionis Chriſtianæ curam non parum pupillorum ſollicita educatio, & Scholarum paſſim, inſtillandis fidei noſtræ præceptis formandiſque in meliorem cultum Barbaris, erectio. quæ pacata jam Repub. Comitis juſſu curata diligenter per conventus ſacrorum antiſtitum, hoc eſt, Claſſes ac Synodos fuére. utique diſperſis per Præfecturas, poſt longa bellorum tædia, pacis nuntiis, æquum fuit pætranquillitatis ſalutaribus commodis frui incolas. Quotquot exterorum ſub Bel-

garum

garum hîc imperio quærebant ſedem, novi juramenti religione adſtrinxit. attamen ut novo obſtringerentur Luſitani, veteri fide devincti, turbulenta cœpta putabat. Correctus quoque, quod in Republ. non poſtremum, monetæ valor, mercantibus perquam utilis. cum illo vagante & ad nutum vulgi mobili fluctuent rerum precia & opum cenſus. Quam à ſingulis exigas æquitatem & humanitatem, tanto magis erga Luſitanos explicuit, quanto in multos major eſt & injuria & beneficentia. Nihil victis eripi cupiebat, præter nocendi licentiam. cum ob eam cauſſam bella geri debeant, ut ſine injuria in pace vivatur. Et quanquam omne imperium victis eripi poſſit, reliquit tamen circa res privatas & minores publicas, ſuas leges, mores & magiſtratus obeundi poteſtatem. Atque hujus indulgentiæ partem eſſe voluit religionis uſum, quem eripi, niſi perſuaſis non debere judicabat, cùm & victis hoc pergratum ſit & victoribus innoxium. Interea, ne ab erronea opprimeretur vera curavit ſollicitè. quod & fecit olim Conſtantinus fractis Licinii partibus, & poſt eum Franci aliique reges. Quin ea clementia & facilitate Luſitanos habuit, ut eorum utilitates cum ſuorum utilitatibus ſociari ac miſceri voluerit. quaſi una eſſet gens, nihil habens ſeparatim clauſumque, præter ſacra. Quod ſi quis injuriam ipſis faceret aut durius haberet, ſe vindicem accerrimum

Corrigit Monetæ valorem.

rimum præſtabat, æquo inter victos & victores jure. cùm TVTIVS judicaret, amicos quàm ſervos facere & volentibus quàm coactis imperitare.

Iamque conſtituto optimis legibus Braſilienſum imperio, Naſſovius, cujus Præfectura quinquennio definiebatur, vacationem à munere denuò poſcit. Fecerat hòc & antè, majores de publico benè merendi occaſiones in Belgio ſperans. At Fœderati Ordines & Societatis primores, difficiles ſe ad poſtulata Comitis aliquoties præbuerant. cùm ob dimiſſam per Braſilianos & vincinos populos nominis ſui notitam, potens jam eſſet, exteroſque terrore, Rempub. amore ſui, omnes admiratione teneret; nec aliis humeris attolli poſſent & ſubditorum fortunæ & rectorum ibidem dignatio. Nunc poſt auctas Braſiliæ res & dilatatos fines, ne ſiſterent ad majora enitentis animi vota, in dimiſſionem conſenſere. At quotquot illic rebus gerundis præerant Senatores, Fœderatis Belgii Patribus, & Societatis Directoribus ſuaſores antè fuere protogandi Naſſovio imperii. Scripſerant certatim: *ceſſantibus jam armis ab otio pericula timeri, pronis in ſeditiones, cædes, vim omnem & injurias incolarum animis: à diverſarum gentium & lingarum milite poſsideri longè diſsitas arces urbeſque, nec alia facilè, quàm Comitis authoritate in officio contineri poſſe inquietam gentem, quam ſibi pluribus beneficiis oppignoraverat: Eum affabilitate,*

Comes iterum dimiſſionem petit.

Tandem impetrat.

Vrgent manſionem Senatores Braſilienſes.

morum comitate & facilitate in omnium animis validum eſſe. Novum imperatorem aut nimia fortè cupiditate inviſum fore, aut generis excellentia ſuperbum, aut humilitate contemptum. Hunc rerum bellicarum & civilium gnarum in Braſilienſium res penetraſſe, hoſtium loca, vim, ſtudia, molitiones pernoviſſe. ab imperitio Phaëthonte certiſſimam Reipubl. ruinam metui. actum de illius magnitudine fuiſſe, niſi Atlas iſte labantes res fulſiſſet: Negotium hic ſibi eſſe cum Belgis, Iudæis, Luſitanis. Belgas in ſuæ gentis rectores querulos eſſe & in tolerandis oneribus difficiliores reperiri ac refractarios. Iudæos, mobilem gentem, non impedito relligionis ſuæ cultu, nullas non partes ſequi. Luſitanos imperia victorum dedignari, ſuæ gentis legibus aſſueviſſe, clandeſtinis artibus ſuffodere, quà poſſunt, præſentem ſtatum; ære alieno gravatis perdita Republ. opus eſſe: Regiæ inſuper maieſtatis fulgore erectos & cultus divini novis circumſcriptionibus offenſos, materiam exſerendæ malignitatis aucupari. Nec poſſe his malis occurri, niſi per Ducem non controverſa maiorum gloria venerabilem, & claritudine virtutum & rerum hic & alibi geſtarum illuſtrem. hæc maximi Comitis apud Belgii rectores famam gratiamq; auxere, & manſionem longiorem antehac impetravére.

Vidalius & Pachecus Pernambucum veniunt.

Sub initia Induciarum, venere Pernambucum Andreas Vidalius vigilum præfectus, & Emanuel Pachecus centurio, novi Gubernatoris Antonii Teleſii de Silva mandatis inſtructi, qui de commerciis Angolenſium &

Bra-

Braſilienſium cum ſuis verba fecére, & Comitis ac Senatorum reſponſa retulére. erant hec parca ſatis & reſtricta, cum ſibi Angolenſium rerum curam vendicaſſent Societatis præfecti.

Hæc inter adverſarum rerum nuntia Pernambucenſes dominos turbavere, & partæ ſecuritatis incommoda oſtendére. relatum fide certa Maragnanos imperia noſtra excuſſiſſe Luſitanos & Braſilianos tanti ſceleris Societate nexos, militem Belgam nihil tale opinantem nefario auſu trucidaſſe, & poſt occupatam Calvariæ arcem, ad fluminis Tapicuru oram, urbem S. Lodovici obſidione premere; vimque omnem belli in eam explicare. ſubitæ opis egere obſeſſos. illâ victâ periclitari provinciam. Pernambucenſes, unde in omnia oculus & robur, ilicet eò cum militibus trecentis & Braſilianis bis centum in Siara conſcriptis miſere pro-præfectum Hinderſonium. qui oppreſſis rebellionis autoribus rem reſtitueret, & amorem obſequii revocaret. His hoſtem adortus munitione diſpulit. at majus munimentum impugnare aggreſſus, poſt acerrimam pugnam, abducere militem coactus, in proximo conſedit. Hoſtes, deſideratis ſuorum primis, inſula omni noctu exceſſerunt, & in Continente ad fluvii ripam caſtra poſuerunt, eo loco, ubi ob montium anguſtias, aditus intercluduntur. Numerus univerſi agminis ſep- *Rebellio Maragnanorum.*

tingentis tum Luſitanorum, tum mixti generis & tarnis Braſilianorum millibus conſtabat. expectabantur inſuper è Grandis Paræ confiniis ſubſidia valida. ut proventum & redituum hujus præfecturæ ſpes planè decollaverit. niſi majore belli motu repetantur armiſſa. cui fini omnium rerum egeni Pernambucenſes, invalidos ſe fatebantur. Cauſæ malorum in Præfectum referebantur, qui viciorum cumulo conſpicuus, intemperantia, in ſuos ferocia & inhumanitate, in iram & vindictam quietos moverat. illi è cognatis & à ſecretis Guilielmus Negentonius, Luſitanos viginti quatuor, nulla perfidia notos, pudendo ſcelere in terram expoſuit. quos Tapujarum anthropophagorum crudelitas ob gentis odium extemplò diſcerpſit. Ob hæc captus & in carcerem detruſus Nemeſi ſervatus fuit. Agitabat tum temporis animo novum facinus Mauritius in Braſiliæ Meridionalia, in urbem Buenos Aires, quaſi dicas boni aëris & cœli, ad fluvii Platenſis ſive Argentei ripam; cùm ab ea terreſtri itinere per mediterranea in Peruanas regiones profectio ſit. unde in illam argenti plurimum tranſvectari ſoleat, hinc in Braſiliam & trans Æthiopicum mare in Angolam. Hac ſiquidem potita Societas, pertrahere ad ſe quiverit Nigritarum mercatum, quibus Pervanis opus, quoties per Panamam & Novi regni terras eò ire prohibentur. Deſtinatus huic nego-

Deſtinata Mauritio expeditio in Vrbem Buenos Ayres, Duce Lichthartio.

negotio fuerat Lichthartius, additis in auxilium Senatoribus Nunino Olferdi & Balthaſare Voordio. collectum quicquid navium haberi potuit majorum & minorum. militum octingentorum manum duceret prætoriæ cohortis Dux Henricus Hoeſius. Dum his occupatur Comes, ecce, malis avibus accipit, miſſas è Luſitania naves duas militem in inſulam S. Thomæ expoſuiſſe. horum adventu excîtos incolas, duce facti Laurentio Pirezio, in ſpem priſtinæ dominationis & Belgarum ultionem animatos, præſidia noſtra urbe expuliſſe nec ſupereſſe Belgis præter arcem. Et metus erat, ſimile quid auſuros Luſitanos in Angolæ regno & Seregippa Regia, ſerpentibus ſeditionum exemplis. Præerat Inſulanis I. Trieſtius, nec natalibus nec ſuo fulgore eminens, ut perdere res videretur magis, quàm nutantes firmare. Arcem tam arctè clauſerant Luſitani, ut ab aquis deſtituti obſeſſi, vix precario ab obſidentibus eas impetrarent. Eorum plurimi agminatim ad hoſtem transfugére. ut ſtabile hic nihil firmumque expectatione teneamus. Hæ res, ut & Præfecti Brouvveri in Chilenſes expeditio, Naſſovio deſtinata pervertit. Nam Brouvvero naves conceſſæ bellicæ & militum centena aliquot, ut & navalium, ac commeatus tantum, quantum in menſes quindecim eſſet ſatis. Et quamquam curam Inſulæ S. Thomæ ſuam eſſe voluerint Directores, ta- *Nuntium de defectione Luſitanorũ in Inſula Thomæ, in Africa.*

men cum ſerius iſta reſcire poſſent, quæ acciderant, ob locorum intervalla & hiemem, placuit Pernambucenſibus, ne quid res publica detrimenti pateretur, naves in auxilium mittere, duce Adamo Teſmario, viro imperii iſtius capaci. Quin & Angolenſes per litteras monuere, caverent ſibi à Luſitanorum perfidia & improbitate. nec amicos crederent, ſed occultos hoſtes, quidvis auſuros repertis auctoribus. ſat manifeſtis documentis oſtendiſſe, ſuſque deque ſe habere fœderis cum Rege initi pacta. Cœdem Maragnanam recentem eſſe & Thomæorum rebellionem cauſas ex ipſa Luſitania trahere. unde militem accepiſſent audendæ ſeditioni. Nec deerant rebellioni ſua patrocinia & obtentus. pari jure repeti poſſe quæ per Induciarum tempora ceperamus nos. Quare hac ſuorum audaciâ creſcebant animi Luſitanis Braſilienſibus, jactæque in publicum voces efferæ & turbulentæ. ut neceſſe habuerit Comes per provincias omnes armis exuere inquietos. Hoc fini in regiones Camarigibi, Portus Calvi, Vnam & Serinhæmum ivit Andreas Philtzius nuper rerum iſtic director. In Pojucam & Moribecam Nuninus Olferdi, in Gujanam, Iguarazu, Itamaricam & vicinos tractus Balthaſar Voordius. in Paraybam, fluvium Grandem Gilbertius Wittius. In Vergeas, S. Amari & S. Laurentii diſtrictus è Supremo Senatu eligendus. Ad fluvii

S.Fran-

S. Franciſci populos miſſus præfectus vigilum Crayus, qui mandata ſinguli ſua confecere non ſegniter. Habita quoque tunc conſilia de turbandis Palmarium ſedibus, ubi prædonum & fugitivorum mancipiorum colluvies, latrociniorum & rapinarum Societate frequens coiverat. hinc in Allagoam emiſſi Barbari agrorum culturæ incommodabant. Palmares pagi ſunt & Nigritarum contubernia. Suntque duplices, Majores & minores. Hi ſilvis adduntur, ad fluvium Gungohuhy, qui ſe in celeberrimum Paraybam exonerat & viginti ab Allagois milliaribus, à Paraybenſibus Boream verſus ſex abſunt. Inhabitant eas, ut fama eſt, incolarum millia ſex, domiciliis denſis ſed levis ſtructuræ è ſtramine & virgultis, poſt quæ horti ſunt & agri palmis conſiti. religionis Luſitanorum mimi ſunt, ut & regiminis. illi præſunt ſacrificuli, huic ſui judices. Quiſquis ſervorum Nigritam aliunde captivum adducit, manumittitur. at ultrò in Societatem recipi volentes ſui juris habent. Terræ proventus ſunt palmæ fructus, fabæ, Pattattæ radices, mandiocæ, milium, ſacchari cannæ. aliaque piſces fluvius Allagoæ Septentrionalis largè ſufficit. ferinis carnibus delectantur, nam manſuetis carent. milii bis quotannis ſatio eſt & meſſis. eo collecto per dies quatuordecim laxant animos & genio ſoluti indulgent. Itur eò, ſi ripam legas Borealis Alagoæ. ducis muniis

Conſilia habita de expugnandis Palmaribus.

Palmarium Maiorum & Minorum deſcriptio.

tum functus fuiſſet Bartholomæus quidam Lintzius, qui inter ipſos vixerat, ut locorum & conſiliorum gentis gnarus proderet quondam ſocios. Palmares Majores dicti à S. Amari terris diſtant milliaribus triginta, ad radicem montis Behe. Nigritis habitantur ferè millibus quinque, qui valles inſidére. domibus degunt ſparſis, quas in ipſis ſilvarum exſtruunt acceſſibus. ubi poſticæ ſunt, quæ reſectis arboribus, viam ipſis, in incertos eventus, per ſilvas ſternunt, ad fugam & latibula. per emiſſarios hoſtem vicinum rimantur cauti & ſuſpicaces. diem venatu tranſigunt. quo labente domum reverſi abſentium ſatagunt. diſpoſitis primùm vigiliis ſaltationem in mediam noctem protrahunt, tantoque ſtrepitu terram pulſant, ut è longinquo audiri poſſit. reliqua noctis ſomno dant in horam nonam & decimam diurnam. ab Alagois in hos iter eſt. Qui ducis partes obiret, quidam Magellanus nomine deſtinabatur; qui in Alagois agebat. nec tentanda in eam expeditio fuiſſet, niſi Septembri. adulta ſiquidem æſtate aquarum penuria eſt. Ita rationes ſubduxerant noſtri, poſſe trecentorum militarium manu baliſtis ſclopetiſque inſtructâ, Mamulatis centum, ac Braſilianis ſeptingentis, ſuis armis in bellum euntibus, populos hoſce ſubjugari. Belli apparatus erant ſecures, ſarcula, bipennes, cultri, reſecandis fruticibus & æquandis viis. præterea

bel-

bellis noſtris uſurpata inſtrumenta. Braſiliani præmiis erigebantur, quibus ſolis ad pericula firmantur. Verùm hanc conceptam Comiti & Senatoribus expeditionem, Thomæorum defectio ſubruit & Brouvveri in Chilenſes abituri novus apparatus.

Exortis in Angolæ regno inter Regem Congo & Comitem de Sonho litibus, itum ad Mauritium fuit, cui exhibitæ Regis litteræ, & Nigritæ complures, Societati in donum. ducenti Naſſovio, torquis & lebes aureus donaria fuére. Nec diu poſt appulere à Comite de Sonho miſſi legati tres, quorum unus ad Celſiſſimum Principem Arauſionenſem in Belgium navigavit, alii duo à Comite oratum venêre, ne Regi Congenſi ſuppetias ferret. non abnuit Naſſovius, verùm per litteras ad Angolenſium rectores datas, componere Principum iſtorum bella & lites ſtuduit, non fovére. eò quod fœdere ambo Belgis annexi eſſent. ajebant illi, ſe cum Loandæ eſſent, incidiſſe caſu in tabulas Luſitani Gubernatoris & Epiſcopi manu ratas, quibus occultum ſcelus prodebatur, de expellendo regnis Congenſi Rege. quod decretum ipſis ante occupatam à noſtris Loandam. Quare ut rem novam Congenſi aperirent, poſtquam humaniſſimè à Comitè excepti eſſent, cum litteris ejuſdem & donariis domum rediere. Donaria Congenſi Regi miſſa fuere, pallium ex holoſerico longius, aureis

Rex Congi & Comes de Sonho ad Mauritium ſcribunt.

Legati Sohnenſes ad Mauritium.

 argen-

argenteiſque fimbriis illuſtre, flammeum, tunica ex ſerico, pileum è fibrorum pilis cum periſtromate auro argentoque intertexto. addidit Comes ſuum donum, acinacem argento incruſtatum cum baltheo. Duci Congenſi donata fuere, ſedile rubro ſerico veſtitum, auro argentoque fimbriatum, pallium oblongius variegati ſerici, toga è ſerico villoſo, pileus itidem è fibrórum pilo. Iterum Congenſis Rex & Dux Bamba per Legatos duos Naſſovium compellant, quorum cum gratiam ſibi merito aliquo autorandam exiſtimaret, liberalitate publica illos excepit & in Belgium iter parantes dimiſit. ubi Regis ſui litteras Principi Auriaco exhibuere, ut & alias Societatis Senatoribus. Erant legatis his corpora vegeta, robuſta, vultus nigri, membra agilia valdè, quæ in faciliorem motum inungebant. mira eorum tripudia, ſaltus, gladiorum vibrationes terribiles, oculos iræ in hoſtem ſimulatione ſcintillantes, coram vidimus. etiam ſcenam ſedentis in ſolio Regis ſui & majeſtatem pertinaci ſilentio teſtantis. inde Legatorum peregrè venientium & Regem ritibus gentium ſuarum adorantium, habitum & ficta obſequia ac venerationem. quæ recreandis noſtratibus poſt pocula hilariores exhibebant. Regnum Congenſe amplum eſt & potens. à S. Catharinæ promontorio Auſtrum verſus excurrit in promontorium Ledum. Fluvius præcipuus eſt Zaire, qui-

Alii legati in Braſiliam hinc in Belgium abeunt.

Congenſium Legatorum deſcriptio.

Regnum Congi.

Zaire fluvius.

quibuſdam in locis quinque latus milliaria. qui tantam vim aquarũ in Oceanum Æthiopicum evomit, ut pluribus miliiaribus ſervet ſuam dulcedinem. In fluminis oſtio inſulæ quædam ſunt, quibus per Vicarios Rex Congi imperat. Lembos conficiunt ex arbore *Licondo*, ducentorum hominum capaces. Crocodilos capiunt, & hippopotamos & piſcem, quem ipſi *Ambize Angulo* vocant, quingentatarum librarum, eximii ſaporis. quem non ſibi ſed Regi ſervare coguntur piſcatores. Ad flumen Letundam civitas regia Congo exſtructa eſt. hic conchas piſcantur, quæ pro pecuniis ſunt. Arborem habent *Enſedam*, cujus rami filamentis in terram demiſſi ſoboleſcunt & in arbores excreſcunt mira propagandi felicitate. Provinciæ ejus ſex ſunt: *Bamba, Songo, Sundi, Pango, Batta* & *Pemba*. Bamba littoralis regitur à variis præfectis, quos *Mani* vocant, ut *Mani Bamba*, *Mani Loanda, Mani Coanza*. Incolæ ſtaturæ ſunt procerioris, robore corporis gladiatorio, validis muſculis. gladiis ſe accingunt, quales Helvetici ſunt. quos à Luſitanis coëmunt. Vno ictu diſſecare hominem nullus labor eſt. ut nec bovi caput præſcindere. Sunt qui vaſa geſtant trecentarum & viginti quinque librarum. Monilia ſibi conficiunt ex caudis elephantorum. Multa millia talium ad militiam armant. Zongo ad flumen Zaire eſt. abundat elephantis, ſimiis, tigridibus, *Civitas Congo.*

dibus, zibethis, viperis, omnique avatii genere. in primis pſittacis viridibus & cineritiis. Metropolis eſt *Songo*, aut *Sonho.* Sundi à Congo urbe ad fluvium uſque Zaire extenditur, metallis abundans, inter quæ præfertur ferrum, è quo gladios, cultros, arma cudunt. habent Zebelinos & Martes, aliaque animalia, quæ in ceteris quoque provinciis reperias. Præcipua omnium eſt Congo, quæ ab urbe primaria nomen habet. Rex Congenſis hiſce titulis apppellationibuſque ſuperbit: *Manni-Congo Dei gratia Rex Congi, Angolæ, Macambæ, Ocangæ, Cumbæ, Lullæ, Zouzæ, Dominus Ducatus Buttæ, Sudæ, Bambæ, Amboillæ eiuſque provinciarum, Dominus Comitatus Songenſis, Angoiæ, & Cacongi, & Monarchiæ Ambondarum & magni ſtupendique fluminis Zaire.* Inter Congenſes potentiſſimus eſt Songenſis iſte Comes. Regiam conjugem *Mannimombandam* vocant, quaſi dicas Reginam ſive Eminentiſſimam, inter tot concubinarum agmina & greges. Chriſtianos ſe vulgò jactant, verùm tunc, cum apud Chriſtianos ſimulari religionem expedit. cetera gentiles & idololatræ, purpuræ magis cultores, quàm Dei. tritico, milio, oryza, & arboribus frugiferis abundat. Palmarum plures habet ſpecies. unam quæ dactylos fert, alteram quæ nuces Indicas, tertiam ex qua oleum, vinum, acetum, panem conficiunt. Ex arboris cacumine terebrato ſuccus fluit lacteus, qui initio dul-

dulcis poſt aceſcit. Ex fructuum pulpa oleum exprimitur noſtro butyro haud abſimile, cujus uſus eſt in cibis, unctionibus, lucernis. Loandam adminiſtrante C. Nieulandio, promulgatiſque Induciis, convenit inter ipſum & Petrum Cæſarem de Meneſes, nuper Gubernatorem, ut hic in terras iſtas habitatum concederet, quas fluvius Bengo alluit, eas excoleret, indigenas quotquot ſe in ſilvas & abdita loca receperant, ad agrorum culturam & priſtina commercia revocaret. Factum hoc optimâ fide, jamque coaleſcebant Belgarum & Luſitanorum animi quotidiana frequentatione & mercatu. nec levibus induciis ſuum erga rectores noſtros affectum teſtabatur Meneſius, etiam farinæ, quâ deſtituebatur Nieulandius, liberali conceſſione, in Nigritarum, quos mille emerat, alimoniam. Obortis ſuper piſcatura Luſitanorum & Nigritarum venditione controverſiis, eo eventu compoſitæ fuere, ut Nieulandius ſe rata habiturum Induciarum pacta ſanctè promitteret, & Meneſius Thomæorum facinus deteſtatus, citius cœlum ruiturum, quàm fidem ſuam diceret. Attamen, non diu poſt ſiniſtris ſuſpicionibus perverſæ mentes, occaſiones minus laudatis auſibus dedére. Etenim profecti Loandâ ſclopetarii ferè ducenti, in ſtationem Meneſii ſummo mane irruére, & ſopitis Luſitanis vim facére, trucidatis circiter quadraginta. quibuſdam etiam, poſt pro-

Cædes Luſitanorum in Loanda.

promiſſam vitæ ſecuritatam, direptæ opes, præter ablatos Æthiopas & mercimonia, centum millibus ducatorum cenſebantur. Ipſe Gubernator arctiore cuſtodia habebatur. Luſitanorum centum & ſexaginta à quibus metus, navi laceræ & diſſolutæ impoſiti, commeatu admodum anguſto & brevi, ad ſuos in Sanctorum portum miſſi. poſt errores & viarum incommoda, exſtinctis fame octo, reliquis parvo victu tenuatis, Pernambucum delati fuere. ubi facta in motuum iſtorum cauſas inquiſitione, compertum, Belgas, nuntio defectionis Thomitanæ & Maragnanæ cædis inflammatos iſta cœptaſſe. intendebantur auſa, quod crederetur rectoribus, Meneſium convocato è confiniis Maſſangonis virorum agmine, hoſtile quid in ipſos molitus. Verùm dubio teſte, qui non ſibi, ſed ab aliis audita detulerat, manifeſtum criminis Meneſium non compererunt. PRONIS ſemper in ſuſpiciones eorum animis, quorum in accipiti ſtant imperia. Præfecti Afrorum Nieulandius, Molſius, Croeſius Comiti ſcripſere, id ſibi deſtinatum, ut Gubernatoris & paucorum aliorum, penes quos rerum eſſet ſumma, compotes facti Luſitanorum audaciæ & rebellionis ſtudiis tempeſtivè occurrerent. ne præventi Maragnanam cladem & ipſi experirentur. Verùm ſtationis Meneſianæ vigiles mox & cives, percepto ipſorum adventu, primos exploſiſſe & vim fe-

facisse. At hæc injuſſu nec conſcio Naſſovio geſta trans mare in Afris fuerunt. qui monita ſuggeſſerat. arma non ſuaſerat. Angolenſium rectores, quæ acciderant, Regi Congenſi & Duci Bambenſi nunciavére, qui lætis auribus Luſitanorum mala accepére. At Doctor Simon Alvares de la Benha, qui tum fortè mandatis Gubernatoris ſui Telezii Pernambuci apud Comitem defungebatur, rei novitate & indignitate motus, ſcripto apud eundem ſuper noſtrorum crudelitate & perfidia queſtus, violata gentium jura, ruptas recentis pacis juratas voces, inhibitos amicitiæ inter utramque gentem feliciſſimos ſucceſſus obteſtabatur. Quin reſtitui ſuis ſedibus captivos, exuleſque, & quam paſſi erant bonorum ſuorum jacturam, penſari ſingulis efflagitavit. Reſpondere Comes & Senatores, non eſſe ſui fore Loandam, ſed ad Societatis rectores iſta pertinere. Illud ſciri Belgarum fortè intererit, ut conjurationis Thomææ arcana pateſcant; Chriſtophorum Santches Nigritam, ſui juris hominem, coram juratis Pernambuci teſtibus hæc aſſeveraviſſe: Antonium Cavalho civem Thomitanum, ad Laurentium Pierezium Oliſipponæ degentem, litteras dediſſe, quibus de Inſulæ ſtatu perſcripſerat: exſtincta Belgarum maxima parte per endemiam calamitatem, poſſe jam arcem vel vi vel deditione recuperari. his ad Regem perlatis miſſum à Rege

Querela Luſitanorum.

Conjurationis Thomææ arcana.

Pie-

Pierezium magnis honorum promiſſis, cum navibus duabus & armatis quinquaginta. quorum viginti ſibi conſcripſerat ipſe, triginta reliquos, damnata capita, adjunxerat Rex: mandata hujus hæc fuiſſe, ut ad S. Annæ locum appelleret, ubi molendina exercebat Pierezius quatuor: animis dein Belgarum ſe facilem ingereret, & pecuniarum pollicitatione aut ſtratagemate Arcem ſuæ poteſtatis faceret: ſolviſſe Pierezium Oliſippona ineunte Iulio Anni cIↃ IↃ C XLII & primò Annobam, inde in Inſulam S. Thomæ delatum, facta exſcenſione, extemplo munitionem paraviſſe, portoria ad eam rem conſtitutis denegaviſſe, Belgarum militum viginti quinque ex inſidiis adortum obtruncaſſe: nec diu poſt collecta ex indigenis & Nigritis manu urbem invaſiſſe, arce nova muniviſſe, noſtris ſe in Arcem, unicum ſecuritatis azylum, recipientibus: hæc ipſa die decima-quarta poſt promulgatas inducias accidiſſe, & militum noſtrorum, quos promiſſis corruperat, quinquaginta, partes noſtras deſeruiſſe, converſis in nos armis: Belgarum præfectum arma contrà oſtentaſſe, incolas perdendis noſtrorum reliquiis aquas veneno infeciſſe. Meruerat iſte Sanchius ſtipendia ſub Pierezio, ut gnarus horum eſſe potuerit. Interea Loandam extrema annonæ neceſſitas, ut & Braſiliam, premebat. nec remedium malis ullum credebatur, niſi terrarum in Alago-

Calamitas ab annona in Afris & Braſilia. Remedium.

lagois ſedula cultura. perhibentibus Luſitanis, non ſuffeciſſe ſibi & olim Braſiliam, ſed neceſſe habuiſſe victualia vel è Luſitania vel à fluminis S. Franciſci incolis petere. ideò decretum in hoc incumbere, ut regioni à colonis proſpiceretur. Ipſe libens hanc itineris ſui in Alagoas cauſſam eſſe Mauritius voluit, comite Petro Hagio. ut explorata agrorum indole eos futuris colonis divenderet. præficitur tantæ rei Henricus Moucheron, demandata illi Alagoarum, Portus Calvi & S. Franciſci provinciarum adminiſtratione. Hic conſpicuum ſe præbuit egregiis auſibus quidam Rudolphus Baro, qui Tapujarum ope, detegendis terris Waripebarum & Caripatorum, iter ſuſcepit in Occidentem, tribus Tapujis comitantibus. Egreſſus pago Careri, nullo victu inſtructus, quem ſoliti in diem vivere Tapujæ venatu ſibi conquirebant, relicto ad latus dextrum monte Cupaova, apud flumen Paraybam, ſexaginta vel ſeptuaginta milliariũ itinere in interiora penetravit, nullis repertis populis. ſolùm in montem inciderunt, ubi talcum ſive vitrum Moſcoviticum. Hinc reverſi, directo in Auſtrum itinere, in vicos pervenerunt Waripebarum & Caripatorum. qui poſtquam humaniter illos excepiſſent, ex ſingulis vicis ſelectos ſingulos comites eſſe voluerunt, qui Comitem adirent & ſalutarent. eos pari humanitate Naſſovius acceptos non ſine dona-

Mauritius in Allagoas abit.

Rudolphi Baronis iter.

riis ad ſuos remiſit. Pagis habitabant quatuordecim, in montanis, quæ Braſiliam à terris Occidentalibus dirimunt, venatu & piſcatu victitantes & melle agreſti, aliiſque ſui ſoli fructibus. Vlterius Occidentem verſus terras potentioribus & bellicoſis gentibus habitari acceperunt, quîs cum bella eſſent his populis. illas plana & valles montium incolere, fluminibus abundare & annonâ. Baronem hunc ſtipendio ſibi annuo alligavit Comes, ut aperiendis terris ſcrutator inquietus vacaret.

De Tapujarum gente. Verùm ne ſcribenti de Braſilianis, elabantur Tapujæ, horum memoranda quoque hiſtoria eſt. Tapujarum nomen celebre eſt inter Braſilienſes Belgas, ob odia in Luſitanos, cum viciniis bella & præbita nobis non ſemel auxilia. Interiora Braſiliæ incolunt, remotiores à littore, ubi Luſitani vel Belgæ rerum potiuntur. Nominibus, dialectis, moribus, *Regionibus.* finibus diſcernuntur. Illi notiores nobis, qui proxima fluminis Grandis & Siaræ ac Maragnanam accolunt, ubi Iandovius, ſive Ioannes Wy imperat. Spatiis ingentibus diffunduntur, quæ quinque fluminibus includunt, Flumine Grandi, Quoauguho, Ocioro, Vpamema, Woiroguo. hæc in mediterranea plurimis milliaribus penetrant, licet Grandis iſte non niſi ſex. ut mirum ſit, unde Grandis appellationes habeat. niſi forte ab oſtio patentiore, quale in his noſtris terris eſt Moſæ. Creditum

ditum accolis, majorem fuiſſe fluvii longitudinem. ignaris quò diverterit alveus. Amicis partim & inimicis cinguntur. cum his interdum quies, interdum bella. Nomadum more vagantur, nec fixis pagis municipiiſque hærent ſemper, verùm pro anni tempeſtatê & victus oportunitate ſedes mutant. Corporum habitus robuſtus ſatis, & in tanto numero ferè idem omnibus. minaces vultu, truces oculis, capillitio nigri, curſus pernicitate vix feris cedũt. anthropophagi omnes & ob crudelitatis famam Barbarorum aliis & Luſitanis terribiles. Terra alibi ſilvis horrida, alibi mõtibus aſpera, alibi humilis & paludoſa, pecorũ, fructuũ, melliſq; non unius generis fecunda eſt. Aſtu conficiunt, quicquid non poſſunt robore, & fallere hoſtem malunt, quàm aperto Marte experiri. nec ab hoc abhorrent, neceſſitate adacti. Arcubus præliantur & ſpiculis, pilis ſaxeis & clavis ligneis. mira naturæ diverſitate & inertiam amant, quoties bella non ineunt; & otium oderunt, cum ultioni locus & gloriæ. Inimicitias inter ſe exercent ſupra fas humanitatis aut odii ſævas. nihil turpe fœdumq; ſananti oculos hoſtium malis. Relicta rei familiaris cura feminis ſenibuſque, reliqua, in quibus honos & utilitas, curant viri vegetioreſque. Sub Iandovio Rege hac diſciplinâ, his moribus vivitur. Mane & veſperi edicto rex promulgat facienda per diem, quò eundum, ubi figenda, quando

Corporum habitu.

Moribus & indole.

Armis.

Iandovio Rege.

Eius edicta.

Lotionis ritu. movenda iterum ſtatio. abituri lavantur, à lotione corpus aſperiore arena perfricant. iterum lavantur, tum pandiculantur omnes, veluti excuſſuri & proſcripturi ignaviam, crepitantibus ex valida tenſione membrorum omnium articulis & condylis. Igne çalefacti, quo gaudent, pectine è piſcium dentibus veluti ſtrigili extrema corporis radunt & ſcalpunt, uſque dum apertis poris ſaguinem eliciant. *Peregrinationibus.* ſic ad iter habiles ſe reddi autumant, nec frangi laſſitudine. Non longè à Regis tentorio poſitis ſtativis in duos ſe hinc inde exercitus & cohortes diſpeſcunt. tum arborum geſtatione curſuque delecti ex utraque cohorte ſinguli ludicrum faciunt. victorem cohortes ſequuntur. quas in occurſu offendunt ſilvas reſerant, & concædes ramaliaque in ripis fluminum defigunt ad captandam umbram. hæc meridiani æſtus ſuffugium unicum eſt & ſenum juvenumque receptaculum. Subeunt cum rhedis & plauſtris, quibus impedimenta ſarcinaſque vectant, feminæ, famuli, liberique. *Victu.* cibi ſimplices, fructus agreſtes, fera recens, piſces & mella, abſque blandimentis & condimentis. mulieres annoſæ & ſteriles radices apportant, ex quîs panes. *Exercitiis.* juvenculæ quæque viris conſueſcunt, nuces terreſtres in commune conferunt ciboſque curant. viris piſcatio, mellis collectio & venatus diurnus labor ſunt. luctâ & haſtarum concurſu decertare glorioſum. finis ſpectan-

ctantium voluptas eſt, præſertim amantium. feminæ de cujuſque fortitudine & victoriâ pronunciat. ſic in proximo pignora, pugnandi irritamenta ſunt, fortitudinis præcones, ciborum adminiſtræ. Licet ea à caſtris removerint Romani, quod pacem luxu, bellum formidine morentur. Vbi veſpera ingruit, amoribus oportuna, juventus ætate florida & conjugia animo agitans, per caſtra & ſtationes ambulat, cui ſe virgines jungunt pari ſtudio & affectu. tunc cantus inchoant & tripudia, ſtantibus à tergo amaſiorum puellis. hoc procantium indicium eſt. Quoties poſcitur in thori leges virgo, patri munera amator offert, non ad delicias muliebres quæſita, aut quibus nupturæ ornantur, ſed feram & mella. Regi conferunt ultrò & viritim, quantum ſatis eſt armentorum & frugum, quod pro honore acceptum. Ignes effoſſa tellure ſtruunt. illis carnes imponunt, has arenis integunt, arenas rurſus prunis, ut ſupernè & infernè toſtis carnibus proba ſit coctio. potius humor melleus eſt. cantu ſaltationibuſque finiunt epulas, quas ſi lætiore peregerint vultu, felicis capturæ, ſin triſtiore, infelicis præſagium putant. Maxima Sacerdotum veneratio eſt, quos Exorciſtas & prophetas vocant. nihil publicæ rei abſque his agunt, ſive ut robur addant ſententiæ bonæ, ſive ut in pejorem reuntis coërceant. Dæmonem conſulturi in ſilvam ſecedunt, ſecum murmurant.

Amoribus.

Sponſis.

Sacerdotibus & exorciſtis.

 rever-

reverſi inclamāt alta voce *Ga, Ga, Ga*, & *Annes, Annes, Annes, Iedas, Iedas, Iedas, Hade, Congdeg.* quibus vocibus acclamat populus. *Houb.* Adducitur cum ſacerdote Dæmon aliquis, aut dæmonis ſpecie, qui de expeditionis evẽtu, populorum, ad quos abeunt, erga ipſos æquiore vel iniquiore affectu, ferarum captura & mellis abundantia pronunciat. Quod ſi ingrata infauſtaque edat, verberibus prophetam & Dæmonem contundunt. Cum ad res novas ſe parant, auſpicia ex avium vocibus petunt. clamantibus acclamant, rogitantque, num quid novi apportent. Etiam prophetarum ſomnia admirationi ſunt. qui Regi illa exponunt, & proſperos exitus affingunt. hic manifeſtum, NVLLA re magis multitudinem, quàm ſuperſtitione regi. ab hac captam, etiam ſi vaniſſima ſit, magis vatibus, quàm ducibus ſuis parére. id *arcanum imperii & dominationis* vocat prudentiſſimus ſcriptor Ariſtoteles in politicis *Sophiſmata* imperiorum. En, poſt Minoëm, Lycurgum, Midam Phrygum regem, Numam Pompilium, Druſum, alioſque, idem factitant, in alio orbe Barbari. ad quos ne tenuis quidem Græcorũ & Romanorum perlapſa fuit aura. rediguntur quippe in ordinem homines vel veri numinis metu, vel falſi vel ſeriâ vel fatua imaginatione attoniti. Fingit ſibi Egeriam aut Velledã aut Auriniam non una gens. etiam dæmonũ reſponſa audit orbis Americanus, & ipſius quo-

que

que cogitationibus intervenit aliquid homine majus ſanctiuſque; ut de falſa quoque Religione verum ſit, ſuper eam poſſe conſtitui Rempubl. & conſervari. licet verum Deum religioſi vereantur, falſos ſuperſtitioſi timeāt. Eunt in lucos Tapujarum ſacerdotes, ut ſecreto loci & formidine tenebrarum percellantur creduli. præſertim animis falſi numinis opinione præoccupatis. Se miniſtros dæmonum, illos futurorum conſcios putant. In uſu apud illos eſt, non circuncifio ſed inciſio infantum, hanc adhibitis ſolennibus peragunt. Stant longo ordine Exorcíſtæ, canūt & ſaliunt, Saliarium ſacerdotum more. Puerulum ſacrificulorum unus manu ſublatum librat, populo ſpectante, dein poſt curſitationes genibus imponit. accedens ſacri ordinis alius acutiore ligno auriculas illi & labia pertundit, & oſſicula ingerit, plorante matre. his ſacris ipſe rex intereſt, quibus peractis cantus ſuos & ſaltus iterant. Virgines quotquot ex honore ſuo & parentum nubere volunt, domi ſub parentum cura habentur, uſque dum pubertatis ſe ſigna uterino fluxu prodiderint. hoc arcanum matres prophetis, hi Regi revelant. qui honeſtè illam elocari poſſe cenſent, virginemque & matrem ob virginitatis cuſtodiam laudat. Ergò, ut de Germanis ait Tacitus, ſepta quoque pudicitiâ agunt, nullis ſpectaculorum illecebris aut conviviorum corruptâ. Nupturam mater rubro colore pingit

De Infantum inciſione.

Regique ſiſtit. qui ſe juxtà ſuper ſtorea conſidere juſſã manu mulcet & molliter habet; fumoque mox Tabaci & ſe & Virginem involvit. Mox lancea ſertum capiti Sponſæ impoſitum erudito jactu petit, quod ſi verticem ictu lædat vulneretque, abluit linctu ſanguinem Rex. unde longioris ſibi vitæ ſpem facit.

Nobilibus. Quotquot lucta, haſtarum concurſu ac venatu præcellunt, Eminentiores habentur & in Heroum numero. quin ob virtutis fortitudiniſque excellentiam ab ipſis Virginibus ambiri merentur, cum meliores ex melioribus naſci opinentur, nec vanum eſſe Nobilitatis nomen, ſed cum ſanguine transfundi.

Matrimoniis. Matrimonia ſevera ſatis, niſi quod polygami ſint. at una uxore gravida, abſtinent à contactu, cumque alia conſueſcunt. pariture in ſilvas & latebras ſecedunt, ſi ſerenius cœlum. edito in lucem infanti acutiore teſta umbilicalem ductum reſcecant. ſecundinas, en barbariem, coquunt & vorant ipſæ matres, convivæ ſui & alimentum. Puerperam & infanté bis de die ablui mos eſt. à puerperæ amplexu cavet ſibi maritus toto lactationis tempore, niſi unius forte ſit conjugis vir. Etiam eam puerperis gratiam faciunt, ut ab infantis geſtatione abſolvant, cum mutandæ ſtationes. rara adulteria, quorum pœna viris permiſſa. ream violati thori verberatam maritus domo expellit. in ipſo ſcelere deprehenſam obtruncat. quod pluribus feciſſe Iandovium Regem per-

perhibent. In Regii tentorii medio ſuſpenſa Calabaſſa eſt, ſive ſacrorum pyxis. quam accedere abſque Regis permiſſu nefas. quiſquis impetrat, tabaci illam fumo velut ſacro ſuffitu adolet. Continentur illa, quæ non niſi reverentia vident, lapides *Cebuterah* dicti & fructus *Titſcheyouh*, quos plus auro pendunt. iis ineſſe ſanctum aliquid & providum exiſtimant. iis gravium bellorum & facinorũ eventus explorant. Ægrotantibus puerulis Tabaci ſuffumigio Rex medetur. id creditum. mortui cadaver ipſa mater cum propinquarum aliqua comedit. nos immanitatem hoc, ipſi pietatem & amorem vocant. Hæc qui vidit ſcriptiſque mandavit, refert, Regi de tibiarum & lateris ventriſque doloribus querulo, advolutum ilicet tibiis medicum, illis pando ore inhæſiſſe, devorantis ſpecie, ſuctione tam valida & continua, ut, poſt editum mugitum, ſputa copioſius egereret & cum ſputis anguillam, quam Rex mali ſui cauſſam fatebatur. Alter eodem oris habitu in ventre Regio hæſit, & poſt editum quoque mugitum lapidem candidum exſpuebat, dein admotus lateribus Regis, poſt fortem ſuctionem, radicem vel quid ſimile reddidit. hæc ipſa à Rege & populo, firma fide accipiebantur. Suctum illum ad medicinam ſpectare novit Homerus, qui de Machaone Menelaum vulneratum curante, *ſanguinem*, inquit, *exſugens* lenia medicamenta adſparſit. To-

Rebus ſacris.

Medicinâ facta Regi.

nante cœlo & flante vehementius Æolo copioſiſſima eſt piſcium in plaude Bajatach captura, quorum tanta eſt pinguedo, ut obſonari eos butyro neceſſum non ſit. Nec ſerunt nec inſerunt abſque ſacerdotum miniſteriis & conſecrationibus. qui agris tabaci fumum adſpirant, & fecunditatis imaginatione implent credulos. Peracta ſemente & plantatione edicto Rex prophetas convocat & populum. illi lectiſſimis ſe coloribus diſtinguunt & plumis elegantioribus ornant. hic ſe viridantibus coronis redimit. ſic una ſpecioſè conſidunt, de arborum fructibus ad ignem exſiccant, exſiccatos contundunt, & contritos aquis permiſcent. has bibunt, donec revomant. ordine dein ſuo ſurgunt ſacerdotes cantillantes, ſublatiſque cœlum verſus fiſtulis, eo ſtant corporis ſitu ac ſi ſpectri alicujus cœleſtis & in aëre viſi contemplatione tenerentur. Eſt cui faſciculus è Strutionum plumis à tergo dependet. qui diſtractis plumis ampliatus in rotæ curulis ambitum patet. Eſt, qui plumulas leviores vento obvertit, ut, unde ſpiret, exploret. In illum plumarum faſciculum delabi cœlitus panem omnium opinio eſt. qui ſi copioſior fuerit, opimam meſſem, ſin parcior, parcam pollicetur. Cum Anno CIϽ IϽ C XLI menſe Aprili intumuiſſent in fluminibus aquæ, maximis agricolarum damnis, conſulti fuere ſuper tanta calamitate Prophetæ. allati ex adytis & re-

Piſcium captura.

Ritus peracta ſemente.

& regia Calabaſſa lapides omen facturi. nec enim ulli ſacro major fides, non ſolum apud plebem ſed & proceres & Regem. hæc conſulta à potibus, cantu & ſaltationibus ordiebantur. Stabant prophetæ vaticinaturi ſex. Primus prolato lapide vaticinium auſpicatus, Belgas cum Bahienſibus prælio commiſſos perhibebat, & jam de conciliatione agi. Secundus florem milii oſtentans de hujus ubertate vaticinium edebat. Tertius lapidem lacteum monſtrans lactis copiam recitabat. Quartus ad lapidem, qui panis figuram habebat, alterius proventus felicitatem loquebatur. Quintus arcum telumque plumis circumdatum proferens, hæc Angelorum dona aſſeverabat, & plumarum numerum totidem ferarum capturam interpretabatur. Sextus oſtenſo lapide cereo uberioris mellificii præſagia aperiebat. atque hoc omni apparatu opus eſſe, ut placato Numine, ſubſiderent aquæ, & dicti proventus agris redderentur. Numinis loco Vrſam majorem venerantur ſive ſeptem triones, quos à figura Plauſtrum cum vulgo vocamus. hoc ſidus cum mane adſpectant, geſtiunt læti. illi cantus ſuos & ſaltus aliaque nuncupant. Corpora quoties purgare volunt, longiorem thyrſum, quem ex frondibus aſperis torquent, gulæ ingerunt, ventriculum uſque, donec ſanguinem foliorum aſperitate prolectent. Quotannis per æſtatem, diſtinctis catervis & exercitibus,

Septem-Triones pro Numine habent.

Purgandi modus.

ad

ad tripudia, haſtilium concurſus alioſque ludos Septem-trionibus ſacros conveniunt. *Feſtum.* feſtum tridui eſt. plumis diverſicoloribus inſignes prodeunt antagoniſtæ, velut ad Olympica certamania. pedes arborum corticibus vinciunt & circumligant, quæ ligaturæ pro ocreis ſunt.' melle caput illinunt, crine ſuper verticem in nodum, inſtar Sicambrorum, torto. cui plumam oblongam elegantemque infigunt novi mirmillones. caput rubro pulvere adſperſi & corporis reliqua picti. *Certamina.* Brachiis nectunt alas Avis *Kohituh*, pendente à tergo thyrſo frondeo; collum redimiti pulcherrimarum plumarum corona. Tales congrediuntur & certamina incœptant. Victor victo inuſitatis & non æmulandis ſaltibus exprobrat. *Anguibus veſcuntur* Quod ſi occultas inimicitias inter ſe foveāt, ludos in ſerias cædes & mutans lanienas vertunt. uxores liberique ſpolia & pugnæ præmia fiunt. Non abhorrent ab anguium paſtu, illorum nempe, quos *Manuah* vocant. his anguibus in cauda cornu eſt, quod ipſum, hominem vel feram nacti, inſerunt corpori validiſſimo verbere, & ſpiris arborem proximam circumvoluti, ſunt enim longi ulnas quatuor, exſugunt cum vita quicquid illis ineſt ſanguinis. Sunt & venenati ſerpentes, adverſus quorum morſus ne quidem ipſi ſacerdotes tuti ſunt. Necant, niſi pars læſa ocyus enſe recidatur. *Amicorum cadavera vorant.* Defunctorum cadavera ſacerdotes membratim diſſecant. Vetulæ aſſan-

aſſandis artubus ignes ſtruunt, lachrymiſque & ejulatu exequias celebrant. illas citò, dolorem tardius deponunt. feminæ oſſa tenus carnem dentibus abradunt, non ſævitiæ ſigno, ſed affectus & fidei. Magnatum cadavera à magnatibus devorantur, caput puta, manus, pedeſque. oſſa ſollicitè aſſervant, uſque in feſti ſolennis celebritatem. tunc illa in pulverem redacta & aquis diluta deglutiunt. idem fit corporis pilis, quos conſanguinei bibunt. nec ad ſaltus ſuos cantuſque redeunt, niſi abſumtis omnibus, quæ à cadavere reliqua fuerę. Regem inauguraturi adſunt examina prophetarum & ſacerdotum, plumiſque & coloribus fulgida balſamo exquiſitiore Regem inungunt ac coronam ex pulcherrimis plumis contextam auguſto capiti imponunt. Dein ad cantus & hymnos redeunt, interque ipſa publicæ lætitiæ ſigna, ſi fortè memoria defuncti ſubeat, in lachrymas & ululatus tragicos effunduntur. Ipſe Rex ſuadendi magis authoritate, quam jubendi imperat, niſi quis vim illi moliatur, quod autori funeſtum. Animas immortales putant, eorum nempe, quos ſua mors exſtinxit, non ſerpens, non venenum, aut alia hoſtilis vis. fabulantur & nugantur de Vulpe, quæ in odium ipſos apud Deum ſuum Vrſam majorem adduxerit, tantique Numinis favorem à gente ſua averterit. Olim optimam ſe facillimamque vitam vixiſſe, cum paſcerentur ultrò.

Etiam oſſa Et pilos.

Regis inaugurandi mos.

trò, jam aliud vitæ genus per laborem agendæ ipſis ſubnatum, offenſa & indignatione Septem-trionum. Animas mortuorũ in regnũ dæmonis tranſire perhibent. quod ad Occidentem eſt. ubi ad paludẽ, qualia de inferno fabulantur poëtæ, illas convenire & à dæmonio in ulteriorem ripam tranſvectari, narrant. poſtquam ſciſcitatus fuit de mortis genere an fato ſuo an violentiâ perierint. translatas in locum deliciarum, velut Elyſios campos, deduci, ubi mellis, ubi piſcium abunde ſit. ſic animarum immortalitati conſuli. In deſertis per æſtatem ob altiſſimos montes & profundiſſimas valles, ex Solarium radiorum repercuſſu, omnia torrent & arent. At menſe Ianuario, labente copioſius pluviâ, revireſcit germinatque ſolum, amœniſſimo campeſtrium adſpectu. in montium varaginibus collectæ aquæ in æſtivas peregrinationes & manſiones conducunt. In planis ad petras & ſaxa obvia litant, ne ab ipſis (ſic opinantur) lapidibus mordeantur. Panes ex radice *Attoub* conficiunt. illam ſaxo impoſitam fuſte comminuunt, ſuccumque manibus expreſſum fictilibus colligunt. altera mox vice contundunt & comminuunt, ac in pilas coactam maſſam ſucco prius expreſſo immergunt. è polline, qui ſubſidit, liba pinſunt. pilas cineribus coctas pro panibus habent. ſunt radices, quibus crudis, ſunt quibus toſtis veſcuntur. Ita concorditer vitam

Animas immortales credunt

Panis conficiendi modus.

agunt

agunt & ea æquitate, ut cui plus eſt, lubens impartiat minus habenti, pari dandi & poſcendi invicem facilitate. Nudi ac ſordidi in ea corpora & artus excreſcunt, quæ Belgæ mirantur. Feminæ muliebria hemicinctio è frondibus velant, aliquo pudoris ſenſu, cetera intectæ. illud in ſingulos dies novum recenſque habent. Viri contortis ex arborum corticibus corollis abdunt virilia depiles ſunt quavis corporis partes, etiam ſuperciliis, ſolo vertice capillum alunt promiſſiorem, non ſine faſtu & jactantiâ. Nocturnis peregrinationibus abſtinent, anguium & ſerpentum metu, è latebris tunc prodeuntium. nec iter capeſſunt, niſi poſtquam Sol rorem campis abluerit. Amicos gaudio excipiunt, mox fletu, quod ſi in inimicum incîdant, obtruncant. Amabat hâc tempeſtate Rex Tapujarum Iandovius, Iuckerii magnatis cujuſdam finitimi filiam, nubilem formaque ſpecioſam. quam cum uxorem rogaſſet per Sacerdotes, abnuit Iuckerius. Quare impatiens repulſæ Iandovius, ex prophetarum & populi conſilio, in caput Iuckerii ſubditorumque ejus perniciem juravit. tegitur dolor & quæ parabatur fraus. ſimulata amicitiâ ad certamina ludicra invitatur cum gente omni Iuckerius, qui fraudem non ſuſpicatus, in arenam ad palæſtram deſcendit. Cumque luctâ certaturi alter alterum amplexus eſſet, feminæ Iandoviani exercitus, in aliorum

Habitus.

Facinus Iandovii crudele.

cri-

crines furibundæ involaverunt, & capillis apprehenſos detentoſque crudelitati ſuorum & lanienæ incautos objecerunt. Ità quam non poterat prece, vi & ſcelere puellam abſtulit. Erant tum Iandovio uxores quatuordecim. fuerant quinquaginta. ex quibus liberos ſuſceperat non niſi ſexaginta. ipſe ſeculum exceſſerat. Hæc ex chartis conſtant Iohannis Rabii, Germani Waldecenſis, qui rogatu Regis Iandovii, & Comitis Naſſovii permiſſu in Tapujarum terras abierat, ut interpretis officio Belgas inter & iſtam gentem fungeretur. Vixit ipſorum moribus annos quatuor, Regi gratus, omnium ſpectator & admiſſus teſtis. Mauritio Comite abitum parante ab eodem revocatus, dimiſſuſque à Iandovio fuit, adductis una negotiorum publicorum cauſſa Tapujis XXV.

Henrici Brouweri in Braſiliam mox Chilen profectio.

Erat nunc in Belgarum quoque narrationes & faſtos Henricus Brouwerus, vir honorum juxta & laborum appetens, ingentis fiduciæ, ſed quam erigebat ſua perſuaſio. vita ad humanam ſortem innocens, ſed in ſuos imperator ad Dictatoris ſpeciem ſeverus, cuncta ad legem rigidæ honeſtatis exigebat & autoritatem non comi via ſed horridus ac plerumque formidatus, retinebat tamen. unde exoſus nauticis. Is poſtquam annos aliquot Indiæ Orientalis res adminiſtraſſet, & geſtorum illic gloria privatorum hominum laudes exceſſiſſet, Indiam Occiden-

dentalem quoque aliquo poſt imperio tenuit, ut famam in oppoſitis mundi partibus ſecum committeret. In Senatorum Braſiliæ numerum à Societatis primoribus adſcitus, paſſus ſibi eſt provinciam demandari adeundi Chilenſium terras, ſperans, poſſe illic & mercatu & auri fodinarum proventu laborantem ære alieno Societatem ſublevari. Ejus antequam iter motuſque exequar, mandata ipſi, & deinde Chilen omnem inſeram hiſtoriæ. Mandata hæc fuere: ut tantæ expeditionis dux attenderet ad tempeſtivitates Septentrionalium ventorum, qui à menſe Octobri, uſque in primum Ver in littora Braſiliæ & Fretum Lemærium ſecundi ſpirant: Iter per Fretum Britannicum legeret, aut circumducto per Scotiæ Borealia & Hibernicum mare itinere, prout ventorum cœlique ſineret clementia. In Braſiliam perductus Supremi Senatoris dignatione fungeretur, & quæ muneris iſtius eſſent partes, dignè obiret: ex Gubernatoris Senatuſque ibidem conſilio naves idoneas ex omni Braſilienſium claſſe ſuis jungeret, ut & Liburnicam remigio aptam, claſſiariis, milite, armis & commeatu inſtructos. Hac claſſe abſque cunctatione dirigeret in Fretum Lemærium, inque Sinu Valentino, qui ad lævum Freti latus eſt, de aquis in ſitim, lignis ad fomenta ſibi proſpiceret. Emenſo mox Freto in apertum ſe daret mare, verſuſque in Zephyrum, caveret, ne

Mandata Brouwero.

Eſe ven-

ventorum Occidentalium, qui maris Pacifici arbitri ſunt, impetu truderetur in Auſtrales Freti Magellanici oras. inde in Boream flecteret ac faventibus Zephyris lecto littore in portum Caſtrenſem aut Chiloüenſem iret. fixaque hic claſſe, Liburnicâ interiora regni luſtraret. inde vexilli candidi explicatione ceu pacis ſigno invitaret ad colloquia incolas, occaſioneſque captaret explorandi gentis animos & ſciſcitandi terrarum ſecreta & proventus. Hoc adverteret attentius, in hoc Sinu, per novilunia intumeſcere Oceanum maximis incrementis, ideòque caveret ſedulò, ne pleno mari vadis inhæreſceret & Lunæ periodum exſpectare cogeretur.

Mox in colloquia admiſſus cum populi primoribus, Caziquas vocant, exponeret, ſe per immenſa locorum ſpacia, per tot caſus & maris diſcrimina eò deveniſſe, excîtum famâ bellorum, quæ cum infeſta Hiſpanorum gente, jam inde ab Anno CIƆ IƆ LV fortiter & glorioſe geſſiſſent, ductu & moderamine Compalici Lantari aliorumque ducum, recuperandæ libertatis ergò. pares animos fuiſſe populo ſuo, cujus cum eodem hoſte bella in octoageſimum annum traherentur, vindicando imperii jure & libertate: ea armis partâ tutaque domi, ulterius iviſſe trans maria & Braſiliæ provincias aliquot exactis Luſitanis in poteſtatem redegiſſe. inde bimeſtri navigatione in Chilen deveniſſe, ut fœdere

ipſis

ipſis commerciiſque jungeretur. advectaſe ſe Europæorum arma, valida ad bellum, ſive ſua tutari haberent, ſive invadere hoſtem animus eſſet. Tum Arauſionenſium Principis litteras exhiberet, & Potentiſſimorum Ordinum magnifica appellatione dictis ſuis robur decuſque adderet. Suaderet iter in Belgium primoribus ipſorum, qui terras Belgarum, imperii bellique modum, arces ac munimenta, Reipubl. adverſus Hiſpanum præſidia, coram ſpectaret, merceſque omnigenas, ineundæ & firmandæ per commercia amicitiæ. Cumq; fortiſſimi & bellicoſiſſimi iſtius gentis haberentur Araucenſes, Tucapellenſes & Purenſès, juſſus fuit cum his potiſſimum paciſci, cum proximi eſſent Baldivienſibus & auri fodinis abundarent & ſoli præ aliis ubertate gauderent. reſtaurandæ Baldiviæ ſpem ipſis faceret, operas promitteret, munitionibus ſe & Chilenſes adverſus Hiſpanorum vim tueretur, in eorum (quod caput rei) opes & auri ſacros receſſus dextrè inquireret, armiſque & apparatu bellico auri precia æquaret.

Quod ſi Baldiviam tenerent Chilenſes, invaderet inſulam proximam S. Mariæ, horreum, ut creditur, Hiſpanorum in præſidiis iſtic agentium. Chilenſes Caſtellanorum eximeret ſervituti, Caſtellanos quoſcunque belli ſpolia putaret. ut his auſpiciis clementiæ in ipſos, ſeveritatis in hoſtem, demereretur

tur ignotam gentem. Quod ſi inſulam iſtam à noſtris teneri non ferat Hiſpanus, & collectis undique viribus eam recuperare nitatur; expendendum Duci, num reſiſtendo hoſti, aſſerendæque juxta Inſulæ & urbi Baldiviæ par ſit. num verò conſultius putet deprædari inſulam ac deſeri, defendi Baldiviã. Poſterius Rectoribus placeat, cùm par Chilenſes propugnari urbs poſſit. qui jam olim abſque Europæorum auxiliis Caſtellanis potentiores fuere, ut Oſornenſium, Araucenſium & Purenſium exemplis conſtat. At ſecunda cura ſit Inſulæ, ne deſertam occupet hoſtis & muniat. Exſurgat illa in iſto Orbe Duynkerka, quæ Chilenſium portubus propinqua inſidiabitur, & ſubeuntes egredienteſque Caſtellanorum rates intercipiet. Quod ſi præmonitus de Belgarum appulſu hoſtis ſe moveat, inquirendum Duci ſollicitè, quæ ejus vires, quis belli apparatus, quis ordo agminis. quod ex obviis hic illic Chilenſium lintribus reſcire facillimum. ſecus metum fore, ne ſi arma hoſtis ſumſerit potiora noſtris, in miſeriam noſtram vertat.

Prima ab exſcenſu cura eſto, percunctari in fodinas, quæ & ubi ſint, num facilis eruendi auri labor, num difficilis; an remota an in propinquo maria ac flumina, quibus evehi metalla poſſint; num pronis indigenarum ſtudiis an averſis. repertis fodinis auroque potitus, ad Braſiliæ rectores hoc omne

per-

perſcribi, muneris ſui putabit: ut auctis per illos viribus, milite, mercimoniis, armis, ſucceſſus felicius urgeat; Caſtellanos arcibus ſuis, quacunque poterit, depellat, & inventis auri ſedibus, quæ ſolæ ad felicitatem mercantium deſunt, unus potiatur. Hoc fini traduci è Braſilia perutile fuerit operum iſtorum & fodinarum peritos, quibus judicandi de venarum præſtantia & ubertate poteſtas eſt.

Quin & illud curet Præfectus, ut Chilenſium politia, religio, vitæ modus, belli armorumque forma omnis & ratio perſcribantur. in lanificia ipſorum, textoriam & fulloniam artem inquiret, necnon in terram Cimoliam purgandis pannis. Ovium Chilenſium, quarum lanæ in precio, mares femellaſque aliquot in Braſiliam tranſvectabit, ad propagationem; ſalis quoque petroſi vim, redimendis itineris impenſis, ut & varii coloris tincturas, quarũ aliqua Cochenillâ præſtantior. Amplius in mandatis dedit Brouvvero Undevigintivirale Concilium, ut terram Auſtralem ſcrutaretur, cujus inveniendæ cupidine nec indubia ſpe ipſe teneretur. Quod ſi is fuerit rerum ſtatus, ut Baldiviam & Chiloen inſulam arceſque præſidiis inſideant Caſtellani, deflectendum erit in loca proxima. ut Chilenſium iſtic impetrata amicitia & mercandi facultate, ſociatis viribus Arce aliqua depellamus hoſtem, Mariam Inſulam

 inva-

invadamus, per colonos Chilenſes afferamus. Inito cum Chilenſibus commerciorum bellique in hoſtem fœdere, fas erit Brouvvero redire in patriam, ſurrogato ſibi Elia Herckmanno. quem conſiliis maturè inſtructum ad imperium hoc bonis artibus formabit. Ne verò ſine Numine tanta cœptet Societas, quæ ante res humanas pietatem habet, illud curæ eſſe voluit Brouvvero, ut Religionis Reformatæ propagationi inter Barbaros ſtudeat, Chilenſes Pontificiorũ placita amplexos è tenebris tantis in majorẽ porrò lucem vindicet, gentiliſmum Chriſtianiſmo diſcutiat, & inter auri ſtudia, ſaluti palantiũ à veri tramite invigilet. ne diteſcere ſolum velle videamur, ſed & errantium miſereſcere. Reliqua pro arbitrio adminiſtret, ad nominis divini gloriam, Reipubl. famam & Societatis incolumitatem. Iam de CHILE ipſa dicendum. Eſt ea in Americæ parte Auſtrali extra Tropicum, Peruviam & Patagonum regionem inter. quarum hæc illi in Meridiem, illa in Boream vergit. Ad Occaſum mare Pacificum adſpectat, longo littorum tractu, quæ in quingenta excurrunt miliaria. Ad Ortum mari Atlantico; ubi Auſtralis eſt, Freto Magellanico terminatur. Si magnitudinem ex Hiſpanorum imperio definias, arctioribus terminis clauditur. Nomen illi à frigore, quod Peruanis *Chili*, ob frigida & nivoſa Andium; quos ſuperare neceſſe habent, quot-

CHILES deſcriptio.

Situs.

Etymon.

quotquot eam è Peruvia adire ſtudent. Si ſcriptoribus fides, tam acre hîc & vehemens illud eſt, ut equos cum ſeſſoribus ſuis conſtringat & marmoris inſtar induret. Caſtellanis Antœci ſunt Chilenſes. Pluvias, fulmina & totius anni vices ſentiunt, diſtinctis intervallis, haud aliter atque Europæi. niſi quòd illic æſtas eſt, cum nobis eſt hyems, mutatâ Solis commoratione. Polus Antarcticus ex nubeculæ cujuſdam albæ circumactione obſervatur, quæ circa polum vertitur. Non ubique cultam habitatamque Chilen repereas, ſed propter oram maris maximè. Plana eſt nec altis collibus aſſurgens, niſi qua parte in montoſa Andium attollitur. Regioni temperies pro ſitu varia eſt. nulli Indiarum parti aëris cœlique clementiâ cedit, nulli habitatorum frequentia. Victualium abundè habet, quæ peruviæ non raró impertit, facili tranſvectione, ob flantes hic perpetuò Auſtros. Indigenis vaſta & firma corporis moles, membra compacta armiſque aſſueta. præſertim Araucenſibus, & Tucapellenſibus, qui montana habitant & aſſiduis bellis Hiſpanos atterunt. Vallibus diſtinguuntur, ubi ros decidit noſtro ſpiſſior, dulcior & pinguior, ejuſdem quo manna uſus. At nulla paſcuorum proprietate. quæ ex Regis Hiſpanorum voluntate communia habent, ut & venationem ac piſcaturam. Prata perpetua ferè viriditate placent, ob valli-

Temperies

Corpora indigenarum.

um humida. Vigent hîc hoſpitalitatis erga iter facientes officia. Gubernatorem à Peruviæ prorege accipiunt. Epiſcopatus habet geminos, quorum alter nomen habet à metropoli S. Iacobi, colonia Hiſpanorum, alter ab urbe Imperiali. Regnum omne Hiſpani his provinciis diſtinguunt, *Copiapa*, *Guarça*, *Chile*, *Lazerana* ſive *Coquimba*, *Quilata*, *Mapocha* ſive *S. Iacobi*, *Promouçana*, *Conceptionis* ſive *Penca*, *Arauca*, *Tucapella*, *Purena*, *Angola*, *Imperiali* ſive *Cattis*, *Villa-rica* ſive *Mallelauqua*, *Baldivia*, *Oſorno* ſive *Choulacavvina*, *Caſtro*, & terris inſuliſque *Patagonum*, ad fretum uſque Magellanicum diffuſis. Peregrina vocabula loquor, quæ quia inſolita & ignota Europæis, horridius accipiuntur, apud ſuos uſu & ſignificatione gratiſſima. Copiapam portus commendat, quem adire quotannis Hiſpani aſſolent, comparandis Eranis ſive torcoſiis, quos apud Intas populos, magno ære divendunt. His in elegantiis & ornamentis ſunt, capitiſque faſciis & redimiculis inſeruntur, licet rudes, nec arte politi. nulla hîc auri veſtigia in hunc diem reperta. aliarum rerum feraciſſima eſt tellus & optimæ glebæ. Similes ſoli bonitate ſunt Guarça & Chile, in qua auriferas venas deprehenſas perhibent, ut & in Lazerana & Quilata, licet ab aquis & foſſoribus Indis deſtituantur, qui non niſi grandi precio parabiles ſunt. S. Iacobi provincia civitati appellationem debet,

Gubernator. *Epiſcopatus.* *S. Iago.* *Imperial.* *Provinciæ regni Chilenſis.* *Copiapa.* *Guarca & Chile.* *Lazerana.* *&* *S. Iacobi. civitas in Mapochâ.*

Epiſ-

Epiſcopatus ſedes. gentile regioni nomen Mapochæ eſt, flumine Tupacalma perilluſtri. ipſa ferax vini, ſegetis, cumini, aniſi, variique ad victum proventus ubertate, alimoniæ ſuæ ſufficit. Aurum olim luculentius, nunc parcius ſuppeditat. Conceptionis Civitas aulæ & Gubernatoris ſedes, à mœnibus nuda, ſubeuntibus undique patet, habitatorum, qui bis mille eſſe creduntur, frequens, ex Itala, Luſitana, Vaſconum, Caſtellanorum & Meſtigorum, ut vocant Hiſpani, gente. Vna militum centuriâ defenditur, quæ Gubernatori prætoria eſt ad cuſtodiam. Regio, Chilenſium appellatione, Penca dicitur, auri quoque ſcatebris famoſa. Primariæ inſulæ, quæ continenti objacent, Mocha ſunt & S. Maria. Mocha Auſtralior, ex adverſo fluminis Imperialis jacet, montibus aſpera, nec minus rebus ad victum neceſſariis abundans. incolæ Chilenſium iſti ſunt, qui bellis Araucenſibus pulſi huc ſeceſſere. Hiſpano & Chilenſibus illis, quos Vcaos vocant, pacatis utuntur, neutri inter partes. Caſtellani eò mercatum abeunt, merceſque eduliis commutant. Has Mochenſes ſcaphulis ſuis ad Caytas, Toltinios aliaſque in proximo gentes tranſvectant. Inſula S. Mariæ Araucum contra jacet, fecunda itidem & uberrima mayzii, ſegetis, fabarum nutricula. paucis Chilenſibus incolitur, apud quos Hiſpanus aliquis procurator frumentationem an-

Conceptionis Civitas, in Pencâ.

Inſulæ Mocha, S. Maria.

Arauca. Tucapella. nuam, Regium vectigal, colligit. Arauca, quæ Tucapellam complectitur, non minus à ſoli fecunditate celebratur, nec auri fodinis caret. Pertracti ab Hiſpanis incolæ ad fodinarum labores, arma in eoſdem ſumſerunt, in libertatem ſe vindicaturi. Poſt exacta multis annis bella in pace agunt, licet ſubnaſcentes ſubinde lites, ut inter reconciliatos fieri ſolet, eam turbent. Domino hodie parent Hiſpanis addictiori, cui nomen *Catamaco*, ſub quo quieti tranquillique vixére. nunc vita functo ad ingenium rediere turbidi & otio adverſi. Caſtellum hic condidere Hiſpani S. Philippi, coërcendis tumultuariis, cui militum quingenti pro præſidiis. Reliquæ regiones Auſtrales Vcaorum ſunt, ſive populorum Anti-Caſtellanorum, ſi Caſtrum excipias, quam Chilenſes Chiloüen appellant. *Regiones. Auſtrales Vcaorum.* Sunt illæ, Lacuilla, Coblina, Carolomappa, Monlinum, Mattengua, Laccona, Lynlina, Meulina, Cauwatſca, Canacqua, Linna, Quintiora, aliæque plures, ut & arx Calbuſa, quæ ad mare interius eſt in provincia Aucud. Hæ Hiſpanorum omnes imperiis tenentur, Gubernatore Ferdinando Alvarado, Oſorni parentibus Hiſpanis nato. à Conceptionis Præſide juſſa accipit. illæ mirè fertiles, mayzium, hordeum, piſa, fabas, milium ubertim ferunt. triticum parcius & coloris fuſci, ob loci frigidam humidamque temperiem. etiam poma affatim, & mala cydonia,

ra-

rapas aliaque hortenſis generis, Patatas quas vocant, & ſub terris naſcentia poma. Inſulæ ovium greg bus inſternuntur, ut & vaccis, licet rarioribus, plurimis capris, ſuibus, gallinis, aliiſque annonæ momentis. Piſcium in fluviis uberrima captura, quales ſunt Corbini, Aſelli minoris magnitudine, & Robuli, Apuæque ad inſtar halecum, & oſtrea Europæis ſimilia. Inſula Chiloüe, in qua Caſtrum, aurum nutrit. verùm ſcrutari in illud timuere, Hiſpanorum metu, ne fodinarum laboribus inviti mancipentur. Iam liberum cuique ire in terræ viſcera, aurumque effodere, dummodo quinta pars Regi cedat. Caſtrum civitas raris ædibus ad fluvium Gamboam habitatur. qui in Sinum ſive mare internũ ſe exonerat. hortis plantariiſq; gratum ſui præbet conſpectum. Templa oſtentat tria, Braſilicam, illam *de los Mercées*, & tertiam Ieſuitarum. incendiis deformatæ ædes ruderibus horrent, bellorum præmiis. Angola provincia in interioribus eſt, longius ab Arauca, ubi oppidum fuit Hiſpanis dictum Novavilla. ſolum inſigni fecunditate luxuriat, tritici, ficuum, vini aliorumque fructuum benigna mater. Aurum & hic reperiri fert fama, at neglectim haberi. Sunt inter Angolenſium Dominos ſive Caziquãs, qui ab Hiſpanorum ſtant partibus, & cum Araucanis eadem fruuntur pacce. Arcem hic habent Hiſpani, ſed à præſidiariis vacuam. Purenſis provincia,

Chiloue Inſula.

Caſtrum civitas.

Angola Chilenſium.

Purena.

qua

quà in Occidentem vergit, maritima eſt, auri expers, cætera fertilis. Ante pacis cum Hiſpano tempora, incolæ Araucanis parebant, jam ſeceſſionem fecere, Imperialibus fœdere nexi. Nec minus per clancularios iſtic fautores & aſſeclas, res ſuas gerit Hiſpanus. *Imperialis civitas.* Imperialis civitas, Epiſcopalis quondam, nuperis bellis vaſtata fœdè triſte ſpectaculum eſt. Rumor erat, Caſtellanos trecentorum manu illic Arcem moliri, jamque è Chilenſium Dominis aliquos à fide ſuorum defeciſſe. Verùm hos Puelcarum natio effera & immanis, ab ipſis montibus, quos inhabitat, aſperior, coërcet. Auro caret. incolis exoſiſſima eſt Hiſpanorum natio, à qua in ſervitutem redacti aliquoties fuere. NEC enim uberior certiorque odii materies, quàm quæ ex afflicta aut erepta libertate naſcitur. Quo tempore in Baldivia morabantur Belgæ, Dominus Caytinorum Lemoulionſus Præfecto Belgarum, pro gentis ſuæ more, telum cum nuncio miſit, amicitiam ejus depoſcens. dumque ſe ad iter accingit, ut peregrinos hoſpites ipſe compellet, Peulcæ, quibus ſuſpecta ejus fides, quod Hiſpanis faviſſet, provinciam ejus invaſere & edita ſtrage captivum cum ſuis abduxere. Regio non minus quàm aliæ fertilis, verum frigidiore hîc aëre vix matureſcunt fruges. *Villa-rica.* Villa-rica & civitatis & provinciæ nomen eſt. Indorum ferociæ vaſtitatem & deplorandam ſui faciem debet. aliàs ſoli ube-

uberis, licet frigidiuſculi. Fodinas auri habet, ſed ſpretas incultáſque. Præfectus hac tempeſtate erat Curuvvanchas, qui menſis Febr. die tertio Anni CIƆ IƆ CXLIII Baldiviæ cum Herckmanno locutus, in pacis nobiſcum condiciones una cum Baldivienſibus & Conchenſibus convenit. Baldivienſis Provincia novem territoriis partibuſque diſtinguitur, Mariquina, Peliova, Regnivva, Calli-calli, Guadalanqua, in qua civitas Baldivia, Quinchilqua aliiſque. Harum indigenæ aurum hic reperiri conſtanter pernegant, præterquam in Mariquina. adeò ut quæſita aliis cupiditatis illecebra, his execrationi ſit. naturæ hoc beneficio gloriatur nemo, dolent omnes, ob ſervilia opera & veterem Hiſpanorum tyrannidem. Solum Baldivienſe frigidum humidumque eſt, ob crebros imbres, quos Lunæ variæ vices cient. Fructus ferè, quales noſtratibus, ſed uvis ſua deeſt maturitas, ob frigus & gelidas ſpirationes. Ambitus Baldiviæ miliaris eſt, cujus muris paſſim innaſci & enaſci videas arbores pomiferas, quæ nemoris inſtar denſi vias paſſim ſtrataque obſident. Duobus poſt cladem annis, Caſtellanorum trecenti arcem exſtruxére ad fluminis angulum, juxta cœnobium S. Franciſci, ubi alimenti inopia periere, exceptis LXX, qui Oſornum ſe recepere, itinere attriti confectique, Ex eo deſerta Hiſpanis, excurſionibus ipſorum ſubinde patuit. Choulacovvi-

Baldivienſis provincia novem territoriis diſtinguitur

Baldiuia civitas.

vvi-

Choulaco-vuina. vvina Oſorno olim urbe claruit, quæ, à Bal-
Oſornum. divia viceſimo abeſt milliari. aëre gaudet ſa-
luberrimo, & ſolo fertili oviumque feraci.
Pratis paſcuiſque luxuriat, lanæ ſubtilioris
laude præcellit, ut & frugum copia & varie-
tate. Aurifodinas novit. Incolæ Baldivienſi-
bus humaniores cultioreſque parent Pico-
manno veteris militiæ Duci, cujus maxima
apud ſuos laus & veneratio. Vrbi in flumine
poſitæ, quod Rio-Bueno Hiſpani nuncu-
pant, portus eſt minorum non majorum na-
vigiorum capax, ob ſcopulos & ſparſa per
De Chilenſium populis. flumen vada. Chilenſium alii ſub Hiſpano-
rum degunt imperio, alii ſui juris ſunt. illi ci-
vilius vivunt, moribuſque Europæorum ad
humanitatem plus formantur, Dei ſenſum
admittunt ac domiciliis habitant. aliis vita
agreſtis planè & effera, prona hominum in
deteriora cupidine, quam majorum conſue-
tudo culturæ omnis expers validam facit.
Habitu corporis. Capite ſunt grandi ſatis, facie panda. imber-
bes capillum ſubnaſcentem conchulis inter-
ceptum detondent, quas è collo pendulas
ad iſtos uſus circumferunt. Vertex ipſis raſus,
revulſæ quoque barba & muſtaces, ne capil-
los hoſce nocendi inſtrumenta hoſtis arripi-
at. At ſub Caſtellanorum dominio promiſ-
ſus omnibus fluiduſque capillus eſt. Aperto
plerique incedunt capite, quòd faſcia ſtrin-
gunt. quæ Ducibus dominiſque, quotquot
eminentioris inter ipſos ſunt fortunæ, orna-
tior

tior ſpecioſiorque eſt. laminis namque argenteis illam interſtinguunt, & eranorum ſive turcoſiorum fruſtis ornant, ut & varii coloris coralliis. caput quoque muſtelarum pellibus induunt, eo ſitu, ut capitis exuviæ in fronte & ſincipite rigeant, rejecta in cervicem cauda. Pauciſſimis pilea ſunt, quæ tamen induſtrii conficere norunt. color illis candidus, capillitium nigricans denſumque, quod circa aures reſecant. Etiam feminis nudo capite incedere mos, ſoluto & impexo nec torto in cincinnos crine. Quædam natantem in cervicibus cæſariem, nodo circa caput ſtringunt. quod factitant, quoties mulierum condicione agunt, menſeſque ſexum arguunt. Quæ in Vcais vivunt, capillum non reſecant. qui tamen Chilouenſium mos à Peruanis fluxit. His capillata frons eſt ſupercilia tenus, ritu ferè noſtratium. Textoriam artem callent omnes. telam non ultra quinque quatuorve ulnas extendunt. è pannis laneis amicula conficiunt viris, quæ humeris circumdant, brachia ac lacertos nudis. pro frigoris modo alia aliis ſuperinduunt, modo candidi, modo cærulei, modo flavi coloris, etiam ſtriis diſtincta Hiſpanienſium ſtragulorum inſtar. nullo pectus thorace induti, femoralibus induuntur, genua tenus, juxta conſuetudinem Belgarum. carent interulis induſiiſque, caligis & calceis. Qui indigenarum ſui ſunt juris, nec in civitates aut pagos *Opificiis.*

Domicilia. agminatim coëunt, ſed ſparſis tectis habitant, licet minimè ſplendidis, humi depreſſis, quæ è ſtramine, arudine, juncis fabricant; nullo opere in teſtino diſcreta. ut uno tota domus continuoque ſpatio decurrat, gramine acclivi tecta. ſupernè ſubdiali foramine patet, per quod luci ingreſſus, fumis egreſſus datur. pedes nudi incedunt, niſi quod feſtis diebus aut hominum panegyri caligati ambulent, non calceati. Mulieribus itidem pro velamine panni linei ſegmenta ſunt, antrorſum & retrorſum ex altero ſolum humero fluentia, à latere conſuta, proxima pectoris parte patente. Hæc ipſa ſupra humerum grandioribus nectunt aciculis, iiſque vel argenteis vel æneis, pro facultatum modo. media corporis parte veſtem iſtam ſuccingunt ſtringuntque, aliudque illi amiculum circumdant, quod ſub gutture acicula nectunt. nudæ quoque pedes, ut viri, abſque caligis & calceis gradiuntur, ad duritiam ſuetæ. Supellex parca admodum, nec ad faſtum nec ſupra neceſſitatem, paupertatis longo uſu. Pocilla duo aut tria numeres aſſervando potu, & vaſculum corneum cotylamque, unde bibitur. planè ac ſi ad Cynicorum regulam viverent. arborum trunci ſedilia ſunt. niſi quod opulentiores pellibus ſolum inſternant amico inviſenti. à curis vacui annuo reditu gaudent. hæc meta cupiditatis. alius annus alias illis curas alioſque labores adfert.

Veſtitu.

In opibus pecora habent, quæ non ipſorum educatione, ſed naturæ beneficio fecunda perſeverant. Sementi vacant ineunte menſe Octobri, qua tempeſtate familiæ decem aut viginti ejuſdem diſtrictus in ſocietatem operis conveniunt, agros arant, occant, conſerunt ubi meſſis colligenda, rurſũ labores mutuum ſublevant. Stata edendi tẽpora obſervant, matutinum & veſpertinum. aquas bibunt parcius, ſed iis è milio, tritico, hordeo farinam floremve miſcent, ad cereviſiæ noſtratis rudimentum, & ſimilitudinem. Solenniore feſto potum bibunt è mayzio, quem Chiche appellant, ejus ferè coloris & ſaporis, cujus eſt lac preſſum rancidius. Mayzium in pulverem attritum maceratumque in maſſam cogunt, quam anicularum dentibus præmanſam, velut in pulticulam attenuant, quæ affuſa aqua ebulliens inebriandis valet. ad eundem ferè modum pomacium ſibi conficiunt, à præmanſis pomis, ad fortiorem, ut opinantur, ebullitionem. Præfectos ex virtute ſumunt & generis dignitate, quos Vlmenos aut Pulmas vocant, Caziquarum quippe vocabulum, ex Occidentali India huc tranſlatum, originis peregrinæ eſt. Vlmenorum alii viginti, alii triginta, quidam quinquaginta aut centum familiis imperant; certiſſimo indicio: non ſtare abſque ordine & duce incompoſitam multitudinem. præcipua illorum in bello authoritas, & Comitiis

Victu.

Præfecti.

iis; ubi verba præeunt. convocare hæc fas ,cum exigit neceſſitas. at exigere tributa nefas, niſi cum capeſſendum bellum. cui ſe duces præbeant oportet & anteſignanos, ſub auſpiciis Summi Gubernatoris, quem Nento-quiendum vocant, cui dictio audientes ſunt. privatim de rebus ad Rempubl. pertinentibus conferre vetitum. ſub dio circum ſtante populi corona verba faciunt. quia ſuſpicaces deteriora fingunt, falſiſque reum ſubdunt. Præfectura hæreditaria ad primogenitum devolvitur, mox ad alios. horum defectu ad cognatorum proximos. qui ſi minus digni imperio cenſeantur, dignioribus principis dignationem aſſignant. Sub armis membra decenter gerunt. hæc lanceæ ſunt viginti octo pedes longæ, ferro vel duriore ligno præpilatæ, quibus ex equis dextrè depugnant. Acinaces, machæras, Hiſpanica arma, oſtentabant, etiam pectoralia adverſus ictus tuta, ex Hiſpanorum olim ſtragibus recepta. Vaginis longo uſu attritis, gladios ſtrictos ſibi alligabant. Etiam calavas geſtant infixis clavis minaces. arcubus adhæc & ſagittis, more à proavis recepto, armantur quibus cuſpides ſunt ex polito & levigato lapide, veneno tactæ. quæ læſum ilicet perimunt. Nec tamen hic omnium mos, ſed ejus gentis, quæ Puelches dicitur, quæ Orientalia montium, quos Cordilleras vocitant, inhabitat. Galeas quoque ſibi & thoraces fabricant

Armis.

cant

tant ex congeſtis multipliciter pellibus, quibus ictus lethiferos avertunt. Equitatu magis, minus peditatu valent, qui in campis explicatus fugam facilè capeſſit, præſertim ad fiſtularum & ſclopetorum noſtratium ictus. haſtas regere gnari inhabiles tractandis bombardis deprehenduntur. è latibulis & nemorum abditis bella gerere edocti, incautos occupant & trucidant. fortitudinem jactari ſæpè audivere noſtri, nunquam experti. cum à denis ſclopetariis ipſorum fugari poſſint trecenii. In victos crudeles vitæ veniam nulli faciunt. Cor proſtrati hoſtis exemtum morſu ſanguinolento dilacerant, invocato Pillani nomine, cui, utpote numini Genioque, tali victima litant. Dei creatoris cultuſque divini, ut & immortalitatis animæ neſcii, ſacros præ profanis dies non habent. aliqua tamen numinis aut dæmonii opinione tangi videntur, cum Pilanum ſuum, ut Spiritum aëreum, colant. maximè, cum alienata potu mente & veluti furore percita, carmina illi hymnoſque recitant. Quoties tonitrua pavidis mentibus terorem incutiunt, hæc ipſa in hoſtium verti perniciem rogant, & Tabaci fumum ore naribuſque efflantes Pilanum ingeminant, veluti ſuffitibus iſtis ſacra facientes. Victoria potiti feſta agitant, & in luxum ſe & merum ſuum largius effundunt, fixaque in terram ſagitta circum hanc choros exercent, cantuſque ſuos Pillano nuncupant. Idem factitant, quo-

Religione.

Dæmoniis.

quoties hoſtium aliquem recenti laniénæ deſtinant. hunc pſallentem una epulantemque inter gaudia clava poſternunt, moxque dentibus ſemineces ſpiranteſque artus diſcerpunt, perſeverante in Pillani honorem omnium cantu & vociferatione. In homicidas, raptores, perduelles capitis pœna animadvertunt. quam ſcenam licet tragicam pari cantus celebritate adornant. Quotquot fortes, ſtrenui, prudentia audaciaque aliis præſtant, à numinis ſui dignitate Pillanos, quaſi divinos vocant, parique honore dignantur cantores ſuos & iſtorum ſacrorum concinnos adminiſtros. Eſt & aliud apud ipſos in precio Dæmonium, quod Mura-Poantam appellant. hoc Lucinæ cujuſdam inſtar implorant, quoties matrimonia ineunt. Ejus ſi inſtinctu rem Veneream peragant, ſpem ipſis indubiam facit fecunditatis. nec alia cum illo colloquia habere ſe profitentur, niſi per inſpirationes & ſomnia, præmiſſis ludis, cantu, ſaltationumque celebritatibus. Vxores pro facultatum ratione plures pauciores ve habent. illas à parentibus mercantur. unde proverbio apud ipſos celebratum, Chilenſem *opulentum eſſe, cui plures filiæ*. Nuptias nec forma nec generis dignitias conciliat, verum induſtria & labor. quibus hæc adſunt, præeligi videas. utique mulieribus res agraria maximè curæ, feriantibus & apricantibus maritis, ad otia & deſidiam factis, illæ tondent pecus, ſege-

ſegetem triturant, nent, texunt. viri vix præter ſementem quicquam ſibi curæ eſſe ſinunt. in cujus ut & in colligendæ meſſis labores mulieres quoque advocant. Qui filiam alicujus in uxorem poſcit, non neceſſe habet cum illâ ſermones conferre, aut ambitu uti, ſed cum patre de elocatione tranſigit. capitis redimicula precioſiora, equi oveſque Sponſarum precia ſunt. his ex pacto datis domum ducitur Sponſa, nullo apparatu. Verùm ubi res palàm eſt, amicis conſanguineiſque mactatur de grege victima, laudeſque pronubo Deo Maruapantæ accinuntur. dein ſtratis humi ovium exuviis epulantur. Martius ſingulis uxoribus de tecto proſpicit. acceſſurus ad unam adventus ſui indicium facit, eamque unicè tunc charam habet, reliquis famulantibus. ubi peperére, cæſa agna convivantur, & puerperæ ſobolique de carnibus ac juſculo miniſtrant. Nec Europæo more trahuntur in hebdomades quinque aut ſex puerperia. Verùm altero à partu die ad operas ſuas redeunt, firmæ corpora, quamquam puſilla. Virorum obſervantiſſimæ famularum ſorte habentur. præter maritum ſi quem intentis oculis adſpectent, zelotypo vapulant. in adulterio deprehenſas ſuis legibus trucidant. nec magis tamen caſtè, licet quoad poſſunt cautè, vivunt, viro ſubinde ad minus ſibi dilectas connivente. Conjugia mercatu inita alio mercatu diſſolvere nefas. at violata tho-

De coniugiis.

ri fide repudiare fas. deſerere, licet immerentem, marito licitum, ſed ultionis periculo. Nec minus rapere alii aliorum uxores nefariè audent, & maritos potiundæ conjugis ſpe interimere, impuni potentiorum petulantia. in defunctos ſciſcitantibus reſpondent, *Dæmon abſtulit.* Mortuos lugent, cadavera inhumata per menſes aliquot, herbis aromatibuſque involute adverſus putredinem, aſſervant. ubi mandare volent, convocatis triduo ante conſanguineis, epulantur, & de epulis defuncto ſuum in paropſide demenſum capiti apponunt, quaſi unà epulaturo. tandem poſt tridui aut quatridui commeſſationes in ſua domo condunt. Viduam ſtatim ab exceſſu mariti nubere ſinit mos. ſecundis illam nuptiis ducturus donaria liberis ejus, ſi quos habeat, largiri tenetur, in fidem conjugii. at viduæ conditione illam porrò vivere honorificentius habent. Viris mulieribuſque conſuetudo eſt proluendi ſe mane in flumine, quantumvis rigente gelu. In bella ex fœdere coituri telum ſociis mittunt. quod ſi dextera tangant, ratum fedus eſt juratumque in hoſtem. Et quia litteris aut characteribus animi ſenſa abſentibus aperire inſolens ipſis, ſecretorum ſuorum conſcium aliquem ablegant, qui de ſtatu belli nunciet, exhibito in dexteram telo, è quo ligula aut faſcia dependet. quod ſi in belli ſocietatem ire animus ſit, reduci nuncio idem telum in dexteram ingerit,

De ritibus circa mortuos.

Secundis Nuptiis.

De ritu fœderum.

rit, faſciæque priori aliam ſuper alligat. At ſi ad alios deferri conſilia ſit opus, telum hoc faſciaſque initi fœderis notas oſtentant. cineribus partes corporis piloſas perfricant, mox manibus radicitus depilant, ne denuò luxuriet. Tonitru pro Numine habent. hoc Pilanum indigetant. Quoties per conviviorum tempora tonat cœlum, diſſipato cœtu aufugiunt, & Hiſpanos adeſſe clamitant. quin arma, ceu propinquo hoſte, turbati arripiunt. Tantus inviſæ ipſis gentis horror animos nepotum & abnepotum etiamnum tenet, ob veteris in proavos crudelitatis memoriam, ut tumultuantis & trepidantis cœli cauſam putent, Hiſpanorum ferociam. Gubernatorem hoc ritu eligunt. Qui mortuo ſuccedere volet, opes ſuas explorare habet, num erogandis in Vlmenos ſive Magiſtratus inferiores donariis ſufficiant. dein convocatis illis oratione apud populum familiæ ſuæ majorumque dignitatem, opes, amicorum potentiam & virtutum militarium decora recitat. orationem excipit primorum aliquis, & exaggeratis futuri Ducis meritis, juramento ſuos Ducemque adſtringit, ablataque è collo ejus faſciâ, gemmis lapidibuſque precioſis fulgente, territoriorum Dominis ſive Vlmenis diſtribuit. tum Gubernatori acclamant & quod primum apud illos ultimumque rerum eſt, commeſſationibus indulgent. Animalium à noſtris inſignis diverſitas. Ovium

De Numine Pilano.

Gubernatoris electione.

De animalibus.

aliæ aggreſtes, ut & Scotiæ, aliæ manſuetæ quædam camelis ſimiles figurâ corporis, non magnitudine. collum illis longius & teres, rictus fiſſus, ſed gibbus nullus. color diſpar, candidus, niger, cinereus. at agreſt bus igneus & fulvus. Eas perforata aure & tranſmiſſo fune ductant domini & ad arbitrium flectunt, ut equos frenis. Animalculum alit Chile ſciuri magnitudine, pilis glabrum, maximi apud Peruanos precii. *Chincillam* appellant. Magna hic pecudum & ſtruthionum frequentia. Fructus ex Hiſpania huc traſlati facilè creſcunt. Præter fruges alias, peculiare genus farris profert, *Teca* dictum, ſiligine minus, quo toſto, & trito in pulverem victitant. ſi parcius humor affundatur, eſculentum eſt, ſi largius diluatur, poculentum. Naſcitur hic arbor, quam *Murtillam* Hiſpani, indigenæ *Vnni* vocant, è cujus fructu liquor extunditur, vino perquam ſimilis, ſtomacho ſaluberrimus. adiëre Chilen Argonautæ celeberrimi Fran. Dracus, Thomas Candiſchius, Olivarius à Noort, Georgius Spilbergi⁹ aliique. Primus in eā penetravit & copias duxit Didac⁹ Almagrus, ſuperatis Andiū ingenti diſcrimine faſtigiis. poſtea provincias perdomuit Valdivia, qui & urbes Imperialē & Baldiviā condidit & de ſuo nomine dixit. omniū populorum bellicoſiſſimi ſunt Araucani, qui maxima ſæpe ſtrage Hiſpanos fuderunt, urbes & municipia invaſe-

Qui Chilen adierint.

re

re & cremavere, ea ferociâ, ut promovere terminos non patiantur, verũ locis plurib⁹ exactos, arctioribus finibus, velut incitis, coërceant. Auri fodinis locuples Societati & Brouwero ſuſcepti itineris cauſſa fuit. Eò NAMQVE lubenter imus mortales, ubi cupiditatibus litant ſpes, & credulitate futurorũ fruimur non inviti, modo illã aliqua utilitas adſpergat. Sed longius produxi ſermonẽ, dum me Chilenſium mores, populi, terrarumque novitas capit. Nunc ad incœptum redeo. Naves conceſſæ Brouvvero quinque, quæ milites expeditos habebant trecentos & ſexaginta, ſub tribus ſignis & ducibus. Fuere hi Blaubeeckius, Voſtermannus, Petrus Florius, omnes probatæ militiæ, & ab armis noti. Hac claſſe è Braſiliæ portu, quem Alexii vocant, digreſſus, directo in Meridiem curſu, propè Fretum Lamærium ſtetit. quod prætervectus, inſulam ab Ordinum nomine illuſtrem, attentius obſervavit, ſcire ſatagens, an continens ea eſſet, an inſula. mox idẽ fretum repetiit, certus adeundi Tinum valentinum, qui ibidem ad latus Auſtrale terræ Mauritianæ conſpicitur altitud. grad. LIV & minutorũ aliquot. Verũ tẽpeſtate valida disject⁹ in partes oppoſitas, circũraptus Inſuãl omnem fuit, novi in Mare Pacificum breviorisque aditus occaſionem objiciente fortuna. Illum æternæ memoriæ ſacrum fecere navales, & Maris Brouvveri appellatione inſignivere. Si-

Ann. CIↃ IↃCXL III.

Brouverus Novum iter in Mare Pacificum

primus aperit. Sinus iſte, de quo dixi, peroportunam navibus decem duodecimque ſtationem præbet. piſcium pecorumque expers, baccis tunc rubellis nigriſque vernabat, muſculis conchiſque abundas, ut & aquis recentibus ac lignis ad varios uſus. Collectis in hoc Sinu navibus, ſoſpites incolumeſqne omnes enavigavere, donec primus terræ appulſus fuit portus Chilües. cui à Brouvveri nomine facta appellatio. aberraverat una, Auriaca, quæ poſtmodum huc appellens, non repertis ſociis & claſſe, Pernambucum rediit. Criſpinus & Vigilum præfectus Blaubeeckius juſſi fluvium conſcendere, ea Liburnicâ, cui à Delphino nomen, ut Chilenſium primò obvios de regionis ſtatu & Hiſpanorum viribus perconctarentur. Conſitum amœniſſimis hinc inde arboricetis flumen, domicilia aliquot ſparſim oſtentabat, ſepibus ligneis in Crucis figuram decuſſatim ordinatis præcincta. Chilenſes exterorum & novorum hominum conſpectu, in collem, qui ad fluminis ripam attollebatur, ſe recepere, & conſpiciendos Belgis præbuere. at his ad colloquium egreſſis, à littore intus deflexere. Noſtri defixo in littore ſtipite, è quo candidum linteum ſuſpenderant, pacis ſigna oſtendére, depoſitis juxtà ſtipitem cultellis & corallis, mercatus illice materia. quin alta & blanda vòce amicitiæ verba ingeminavere. Vix in lembum reverſis Belgis, adfuere ilicet eques unus, pedites tres & abla-

Ann. CIƆ IƆCXL III

1 May. *Chilues portum ſubit.*

ablatum ſtipitem reliquaque ad ſuos detulere & mox ad ripam progreſſi in aquas projecere. Quæ res ob indignitatis, ut videbatur, ſpeciem, ſuſpicionem injiciebat, ab Hiſpanis hoſtibus hæc loca inſideri. à quibus benevolentiam exſpectare, inſanum. triduo poſt cum cohorte militium altius fluvium ſubiit Blaubeeckius, invitandis ad ſermones mutuos incolis. mandatum acceperat, ut exploſione tormenti majoris alia atque alia, innoxiâ tamen, necnon vexilli candidi explicatione, ſecuritatem promitteret: at mox rubicundum explicando & exploſionibus ſeriis moveret & perterrefaceret præſentes. At fruſtrà fuimus. Cumque audaces faceret locus, conviciis & fœdis vocibus impetebant è longinquo noſtros, egredientibus ſuprema minati. Centuriones duo Voſtermannus & Florius exſcenſione facta, diſpoſitis inſidiis, Chilenſem occupant, ut & vetulam cum liberis binis. qui Hiſpanicè neſcientes, nullius rei indicium fecere. Intereà capto ab Hiſpanis navalium aliquo, credibile fuit ex hoc ipſo de adventus noſtri claſſis edoctos fuiſſe. Altius profecti ad Arcem Carolomappam, hoſtium machinis impetiti exiliere & occurrentem fortè hoſtium nonaginta manum equeſtrem pedeſtremque, quæ vim parabat, animoſè in fugam egere, pluribus in ſilvarum proxima dilapſis. deſiderari hoc conflictu fuere ipſe Hiſpanorum præfectus Andreas Nimeſius, Herre-

Fluvium ſubit Blaubeequius.

Hiſpani fugiunt.

Herrera, & præterea è gregariis octo novemve. Potuiſſent tunc haberi captivi. verùm juſſerat rigidiſſimè Blaubeeckio Brouvverus, ne ulli hoſtium parceret, ſed obvios quoſque adverſoſque ſterneret. Nec mora, primos Belgarum impetus ſenſit arx Carolomappa, quam præſidiariis ſexaginta, tormentis æneis duobus tenebant Hiſpani. ea victâ tiucidati ad unum omnes, ut diffuſo nominis noſtri terrore, paterent venientibus regionis intima. ita viſum Brouvvero. qui uti arma habebat in Hiſpanos omnes, ita accerrima in eos, à quibus opima ſpolia ſperabat. at minus providè factum cenſebant, qui è commilitio erant, cum relicto nemine deeſſent indices, & exploranti, quæ vellent, ignote, oportunitas. Objiciebatur hæc Arx limitanea in ipſo littore Conquenſium, Oſorni & Baldivienſium populis. quibus cum Hiſpano bella ferè perpetua. Quatuor hinc miliaribus alia Arx in limitibus verſus Ortum ab Hiſpanis tenebatur, Calbuca, quam præter Turrem caſtrenſem quadraginta tutabantur præſidiarii, & tormentum bellicum ex ære fuſili ſingulare. Repertæ in Carolomappa litteræ XXVIII Februarii. Anno CIƆ IƆ CXLII ſcriptæ, & è Lima in Conceptionis Vrbem, hinc in Carolomappam miſſæ: quibus monebantur Chiliienſes, ne tutelæ ſuæ deeſſent: adventare Hollandos navibus duodecim, in duo contubernia diſtinctis. fœdo profectò noſtra-

Arx Carolomappa capitur.

Arx Calbuca.

noſtratium more, quibus deferre ad exteros domeſtica nimium proclive. Diruta hac & ſolo æquata Arce, quæ domiciliis triginta inhabitabatur, excepit idem fatum oppidum *Caſtrum*, in inſula poſitum. quod deſertum à ſuis Belgæ occupantis fuit. ipſi incendium urbi cives fecerant. quod ipſum Præfectus novis flammis auxit, ut Trojæ captæ & fumantis imago ex alto appareret. Nec alia fuiſſet ſors Calbucæ, niſi adnavigare prohibuiſſent vada & ſcopuli & maris æſtus tempeſtateſque impetuoſiſſimæ. Semidiruta Caſtri templa tectaque, funditus ſubverſa fuere Brouvveri mandato, ne quid hoſtile integrum ſalvumque eſſet. Hoc tum agebat omnibus modis Imperator noſter, ut vel ex captivis vel blanda oratione allectis percontaretur in res Chilenſium. ſed fruſtra fuit, profugis ad belli aſperos & horridos motus inquilinis. nec haberi quiſquam blandiloquiis & facili acceſſu potuit, ob pertinaces imbres & incognita viarum. Iamque Baldivia omnium tenebatur votis, miſſo eò Criſpino. ſed ne teneretur adhuc, ventorum fecit inclementia & adverſa plurima. Capti mox Hiſpanorum tres de regionis ſtatu nonnulla diſſeruere. etiam cum Chilenſibus ſex ad ſermones admiſſi, Hiſpanorum tyrannidem & inviſa imperia, majorum cedes & perpeſſa mala plurima memoravimus. adeſſe nos priſtinæ libertatis vindices, & oppreſſæ gentis

Caſtrum oppidum ſubvertitur.

aſſertores: nobiſcum conſilia & arma ſociarent: eſſe nobis expeditum militem, & apparatum omnem bellicum, & quæ alia incitandis animis faciebant. Eramus largi promiſſis, & quæ natura cupientium eſt, immodici ſatis. illi æquis hæc auribus excepére, ſparſaque de adventu noſtrorum per inſulam famâ, per primores gentis ſuæ ſignificavere, hoc unum ſe in votis habere, uti Hiſpanorum imperiis ſervitioque erepti in Baldiviam ad ſuos transferri poſſent. Erant illi Didacus de Carolomappa, & Philippus Vlentelicanus, qui collecta ocyus ducentorum agmine, in Oſornum & Baldiviam terreſtri itinere abire parabant, inſtructi ſecuribus, haſtis, ſclopetis, & pulvere tormentario. quorum precium XXV armentis penſavere. Verùm cum aditus viarum omnes præcluſiſſent Hiſpani, navibus eò tranſvehi petiére. jamque impetraverant, cùm eorum aliquis, cæteris prudentior, Oſornenſes ac Baldivienſes præmonendos de Belgarum adventu dixit, ne hoſtes nos eſſe rati, hoſtile quid molirentur. adſunt tres, qui viarum avia edocti id effecturos ocyus recepere. Illud memoraſſe non piget, Philippum iſtum Vlentelicanum, firmandæ apud noſtra, tes fidei, caput Hiſpano ſua manu reſectum oſtentaviſſe, putridum fœtenſque, ne hoſtem quis ejus gentis dubitaret, quam tali exemplo mactatam deletamque cuperet. At magna hæc & auſpicata exorſa ſtitit ſuperveniens

Brou-

Brouvveri mors; qui poſt bimeſtrem ægritudinem, in inſula Caſtro exſtinctus, novum mortis locum, nondum novæ, quam effectabat, gloriæ repperit. Invaleſcente ſiquidem morbo, inhabilis labori & audaciæ, vitæ ſe ſecurum prædicans, præſentibus commendavit ſuas & publicas res. nec quicquam de fine recuſans, vincentibus curas omnes fatis, animam ſupra vulgares evectam cœlo reddidit. Hoc reperto poſterorum memoria dignus, quod primus non per freta & anguſtias, ſed apertum mare in Chilen & Pacificum æquor viam aperuerit. Sepulturæ curam Herckmanno & Criſpino demandaverat, locum Baldiviam. qui ut pro ſua in defectum pietate ea munia explerent, cadaveri perpetuitatem aliquam quæſivere, exemtis viſceribus. quibus terra abditis, reliquum quo erat corporis aromatibus oleiſque conditum à putredine conſervavere, & in Navis ampliore alveo ſepoſuere. Illi ex Societatis tacito præſcripto, quod tunc patuit, ſucceſſit in eadem imperia Elias Harckmannus, vir gravis modeſtiæ, ſedulus rerum Occidentalium curator, Senatoribus Politicis anteà adſcriptus & Paraybæ præfectus, nec una navigatione maritima celebris. Is mitius leniuſque Brouvvero animatus, idemque feſtinæ in hoſtem ferociæ & apud exteras gentes duræ dominationis oſor, faciliore habena imperium capeſſivit. Emolliverant, ut opinor, hominem huma-

Brouvverus moritur.

Elias Herckmannus ſuccedit Brouvvero.

humaniora ſtudia, præſertim Poëtices, quæ non infeliciter tractaverat, editis noſtrate lingua de Veterum & recentiorum navigationibus libris. In hujus fidem obſequiumque juravere quotquot vocati aderant Senatores & militum duces, rataque juſſa Societatis habuere, gratulati novo præfecto & ad virtutum ejus conſcientiam gravisi.

Baldiviám ſub eunt Belgæ.

Ægro adhuc Præfecto, Baldiviæ portum ſubiere claſſiarii, & in anchoris ſtetére, ubi metropholis olim Hiſpanorum fuit. conſpecta magnæ urbis rudera â Barbaris Anno cIↄ Iↄ xcix. incenſæ ac dirutæ. tunc, cum ſub auroram exercitus barbarorum quinque millium, equitum peditumque, inter quos cataphracti plures & pectora thoracibus ferreis muniti, iucubuere ſecuris, & capta urbe, cæſiſque Hiſpanis quadringentis, injectiſque in domos flammis, graves ſpoliis abivére. Poſt hæc tempora Baldiviam reſtauravére & præſidiis iterum tenuere. In hanc è Caſtro inſula profecti noſtrates, quadringentos Chilenſium, quà viros quà feminas, navibus receptos, expoſitoſque in libertatem vindicavére. nec tamen commeatui noſtro graves fuére, cum naves ingreſſuri à frugibus ſibi, ovibus ac porcis magna cura proſpexiſſent.

Chiluenſis portus.

Chilüenſis portus percommodus admodum eſt hiemationi, magnarum navium capax, è quo mira ventorum facilitate mare conſcenditur. Inſulæ ſub ipſum littus ſparſæ pecore

abun-

abundant, capris, equis, vaccis, ſuibus, ovibus. Maryzii, milii, hordei, piſorum, fabarum, raparum, lini feraces. nec triticum malignè tolerant. Sementem faciunt, ſed parcam; ſuis, non exterorum uſibus. Chilenſium hic, ut & in vicinis inſulis, cenſebantur eſſe millia duo, quibus per agmina diſtinctis & ſervili imperio habitis, præfectos ſuos impoſuere Hiſpani. vendere illos aut transferre aliò nefas. laboris ſui præter amictum & victum præcium nullum referunt. Ob Indorum, excolendis agris vacantium, paucitatem, nullus auri fodinis labor eſt. Oram omnem à Lima Chiloüen uſque quotannis ſollicitè luſtrat Hiſpanus, peregrinarum navium metuens. Non fecerat id jam, adventus Belgarum conſcius. Dum hîc morantur, accepére ex incolis in Limæ portu naves aliquot regias ſtare, præter alias mercantium. illarum alias machinis majoribus viginti ſex, nonnullas triginta armari. At qui terreſtri itinere in Baldiviam perrexerant Chilenſes, concitatis undique noſtrorum famâ populis, id effecére, ut miſſi ad Belgas gentis ſuæ primores aliquot, ſtipati denſo equitum peditumque agmine, cum Præfecto noſtro Herckmanno colloquium deſcenderint. Hic in eundem, quo ad Caſtrenſes ante, modum peroravit, multa de Hiſpanorum in ipſos injuriis, ſuorum affectu, inſtituto, & præſenti, quæ jam affulgeret, libertate, locutus. Diſſeruit de

Chilenſes ad colloquia cum Belgis deſcendunt.

Oratio Herck. manni.

bellis noſtris per tot annos cum Hiſpano, magnis ſucceſſibus, geſtis. tot victoriis illuſtres Belgas primùm in Orientem, inde in Occidentem diffudiſſe imperia. Braſiliam à ſe teneri, exactis Luſitanis hoſtibus. Hinc brevem eſſe in has terras navigationem. poſſe commerciorum, poſſe belli Societate ipſos jungi. Etiam verſa in laudes oratione, Chilenſium in Hiſpanos bella, majorum fortitudinem & præclara facta pro concione exaggeravit. Exhibitæ Celſiſſimi Principis Frederici Henrici litteræ & expoſitæ per interpretem. quas magna veneratione, defixis in chartas oſculis, accepére, editis non levis gaudii ſignis. Mox in communis belli Societatem recepti, equitum petitumque auxilii promiſere adverſus hoſtem & quam novis advenis pararet vim. Quin & hoc permiſere, ut in Baldivienſi foro, exſtructo munimento, defenſioni ſuorum ſtuderet præfectus. at tabulis conſignari Acta, noſtratium ritu, noluére, cum linguæ noſtræ ſe imperitos, non fidei dicerent, nec chartis opus eſſe, ubi candor veracitaſque tranſigunt. Cum de commutandis mercibus verba faceret, & quod rei erat caput, auri injecta eſſet ſeria mentio, ignorantiam omnes velut ex compacto profeſſi ſunt. nec ſine horrore ad auri vocem, tanquam ad fatalis & funeſtæ rei appellationem, ſtupuére. non eſſe ſibi aurum, nec quæri ajebant. nondum exoleviſſe memoriam

Litteræ Principis Auriaci exhibentur.

Baldiviæ munimentum exſtruunt Belgæ.

cru-

crudelitatis Hiſpanorum, in proavorum vitam fortunaſque ſævientium. quos ſcelerata auri cupidine auribus, manibus, pedibuſque miſeros mutilaſſent. nec tamen difficiles ſe fore, ſi aurifodinas adeant noſtri & labores iſtos (ſubterfugere quippe eos videntur) ipſi ſubeant. Non defuere, quibus promptum dicere, auri hic abundè reperiri, nec difficilem eſſe comparandi rationem. armenta aliquot oveſque ferramentis permutavére, ſed parcius. cumque armorum Europæorum adſpectu afficerentur, ſpes erat, ut ad mutuas negotiationes deveniretur. Hoc ſe velle & optare affirmabant, ut converſis in Hiſpanos viribus, Limam, Aricam, alioſque maris ſui portus adoriremur. Hinc pulſis Caſtellanis patére Societati Chilenſium omnia. Nec alios motus exſpectare Peruanos, ad defectionem pronos. arma quoque ſibi & viros eſſe, qui bello pollerent: totum Chilenſis provinciæ tractum non niſi mille quingentis Hiſpanis defendi: hos ipſos mille & ducentorum Belgarum manu, junctis, quos de ſua adſciſcerent gente, expelli poſſe: expulſis expeditum fore iter in Aricenſium rates, quæ Potoſini montis argenteam gazam Limam tranſvectant, inde Panamam. Potoſinus mons, qui hîc ſe narrationi offert, in Charcenſium eſt regione, argenti fodinis ad admirationem uſque locuples. Nam quintale unum marcas reddidit argenti puriſſimi octo- *Deſcriptio montis Potoſini.*

ginta, quod aliis locis inauditum. At venas nunc parciores eſſe perhibent, cum è centum libris vix decem & pauciores *peſos* poſſint eliquare. Latuit hæc res veteres Peruviæ dominos. Invenére ſerò Indi, qui fortè per loca illa iter facientes metallum deprehendére. Quod ubi in villa Platenſi, Argyropolin vocare liceat, innotuit, placuit confeſtim montem inter cives effodiendum diſtribui. qui Indorum opera tantuum argenti copiam extraxere, & extrahunt etiam nunc, ut univerſæ Europæ ſufficiat. à Barbaris excolitur. quorum hic millena aliquot occupati noctu & interdiu egregiam ſerviunt ſervitutem. Ad Regem Hiſpaniarum ex egeſta hic quotannis argenti maſſa rediere decies centena ducatorum millia. quæ quinta ſolummodo argenti eruti pars eſt. Baldivienſibus, ut è diverticulo redeam, Oſornanis & Chilüenſibus par ſtatura. ſed horum corpora toroſa magis & mollia, ob vitæ otia & voluptates. quas timent laboribus refellere. pietatis vix ulla obſervata veſtigia. laſciviebant temulenti, indiſpoſiti, pervigilijs, commeſſationibuſque dediti. nec regiminis cura nec peccantibus metus. luxui omnia, quam diſciplinæ & ordini propiora. Id beatius arbitrantur, quàm ingemere agris, illaborare fodinis, ſuas alienaſque fortunas ſpe metuque verſare. Longè aliter ac Barbarorum alii bella gerunt, Europæorum ferè in morem. nam & aciem diſponere & ordines

Peſos tredecim reales ſunt.

Baldiuienſium deſcriptio.

ſervare norunt, caſtra vallis munire, ex inſidiis hoſtem invadere, modò aperto Marte aggredi. Atque hos quidem rerum apud Chilenſes ſucceſſus nunciari fecit Præfectus Herckmannus Naſſovio Comiti per Elbertum Criſpinum, ea depoſcens, quæ promovendis cœptis facerent, arma, militem, annonam. Ille latum patulumque mare emenſus, idem quod Brouwerus iter tenens, ne viſa quidem illa Ordinum Inſula, in Braſiliam devenit, facilèque à Comite impetravit, ut ſubſidiaria navis in Baldiviam, alia in Hollandiam tantarum rerum nuntia abiret. Quæ dum in Braſilia parantur, & ad iter ſe Baldivienſe accinxiſſent centum & triginta ex centuriis delecti, appellit Pernambucum Navis Arauſia dicta, quæ Chiloüen ſerius viderat, at non ſocios. Paucis poſt diebus, præter expectationem omnium, adeſt cum claſſe omni Præfectus, Herckmannus, Chilenſium modò ſolatium & futurus vindex, ac Hiſpanorum terror. reditus ſui cauſas Comiti has recitabat: commeatus egeſtatem, futuræ meſſis expectationem longam dubiamque: Chilenſium in ſubminiſtranda annona inania promiſſa: militum ſuper diurno victus demenſo murmura, minas, transfugia. quorum aliqui in fuga intercepti capite luiſſent: Hiſpanorum ſe moventium arma copiaſque equeſtres & pedeſtres, quibus pauco milite par non eſſet. Non eodem

Herckmannus Naſſovio ſucceſſus nunciat.

Herckmannus præter expectationem revertitur in Braſiliam.

hæc animo excepta ab omnibus fuere. Verùm, diſſentientibus ſententiis, morbo correptus, morte judicia aliorum prævenit, & cum Brouvvero vitæ fortunæque ſuæ curſum pari fato abſolvit. VSQVE ADEÒ verum eſt, rerum adverſarum ſenſum feliciſſimo cuique acerrimum eſſe. Priuſquam in Braſiliam abiret Criſpinus, frequentabatur à Chilenſium eminentioribus Præfectus noſter, etiam ab iis, qui inter Hiſpanos agebant. qui fide ſe & quotidiani convictus facilitate probabant. retulere hi ut rem veram, præſertim quidam Manquiantus nomine, circumfuſas undique his terris auri fodinas eſſe, quæ effoſſæ per Æthiopes dietim quinque aut ſex auri *peſos* darent, nec labore magno. Iis ſe abſtinere, ne Caſtellanorum avaritiem in ſuos jugulos denuò armarent; præferri ab ipſis paupertatem vitæ periculis, & divitiarum penuriam nocituris opibus. ipſos annua victus cura teneri. vota in longius tempus non diffundere. ne, ſi plenis horreis abundent & ſuperbiant, excurſiones Hiſpanus moliatur, & reperta auferat. eſſe ipſis aurum ad utenſilia & domeſticum ſplendorem, non ultrà. Profectò viſi ſumus importuna & avidâ auri efflagitatione, aut ipſi egere multum, aut immoderatius deſiderare iſta, quibus mortales inſoleſcimus & deteriores reddimur. Et aurum fatentibus, ſuſpecta eſſe potuit probitas noſtra, CVM immodica cupiditas ſcelera ſuadeat

deat

deat & peſſima quæque etiam nondum conſuetudine malis. Non deſierat Herckmannus Chilenſes de abitu ſuo certiores facere, additis facti rationibus: quod promiſſis non ſtetiſſent, annonam denegando, quod auri & fodinarum non ſatagerent ſegnes & timidi, & commercia noſtrorum defugerent. Educta tamen è Chilüenſi Sinu claſſe, jamque altum conſcendente, adnavigavere undecunque vicinorum locorum domini, dolere ſe de Belgarum abitione profeſſi, excuſantes annonæ apud ſuos parcitatem. in futuram meſſem largiora omnia polliciti, adverſus Hiſpanos opem, auri fodinarum aditus, aliaque abeuntium vana ſolatia. Hortabantur, ut redirent noviſque viribus & animis reſtaurarent cœpta, Nigritas ſecum eruendis fodinis adducerent, ipſos non defore iſta agentibus. At Herckmannus in futura providus noluit ſuos præſentiſſimo periculo exponere, & incerta proximæ meſſis expectatione hoſtibus ludibrium debere. Hujus ſui conſilii certiores fecit Comitem, & Senatores, his verbis: *Quæ per nos hactenus hic geſta fuere terra marique, quis itineris è Braſilia curſus, quis appulſus, quæ incolarum in nos ſtudia animique, perſcripſi iam nuper. Ex eo illa evenere adverſa, ut habendi commeatus ſpem eluſerint Baldivienſes, adducta in præſens diſcrimen claſſe omni & quotquot hic peregrini appulimus. Venere Chilenſium primores, magno ſuorum agmine ſtipati & iam faciendæ ſementis tempe-*

Herckmanni ad Comitem & Senatores litteræ.

ſtivitatem eſſe ſignificavere, quam ſi ſecundet æther, ſubventuros ſe egeſtati noſtræ & ſolaturos penuriam. Poſtulavi, ut promiſſorum memores in menſis unius aut alterius neceſſitates cibaria præſtarent, donec vel è Belgio *vel* Braſilia *apportarentur affatim. negabant ſe poſſe, niſi poſt ſemeſtre, non ſine humanitatis & benevolentiæ ſimulatione difficiles.* Ego *iſtam moram ferre non poſſe commeatus noſtri & rerum præſentium ſtatum reſpondi, nec incerta victualium ſpe commorandum hic longius exteris, nec opis, nec fidei, nec commerciorum certis. Tum principalium aliquis, ſenio venerabilis,* Chemulenus *nomine, pro aliis locutus in auri & fodinarum labores invehi cœpit, & maiorum calamitates &* Hiſpanorum *crudelitatem, tragica oratione enarravit, illud aſſeverans, periiſſe nepotibus montium & fodinarum & auri non amorem ſolùm & inveſtigandi ſtudium, ſed & memoriam. At ſpem fecere ſubmittendi, in dierum aliquot alimoniam pecoris, ſed vanæ voces fuere. Quare in commeatum omnem inquiſivi rigidiſſimè, ne morandi hic tempora illius excederent menſuram. Adverſus ambiguos aut profeſſos hoſtes iuſſi ſubito opere vallos aggeri & propugnaculis muniri. ad quos labores querulus ob demenſi parcimoniam miles, compelli ſevera voce miniſque debuit. Nec vagis populationibus dabatur occaſio, ad conquirenda alibi victus ſubſidia; cum tuta nobis nondum eſſet caſtrorum ſtatio. Intereà nuntiavere* Baldivenſes, *incutiendo nobis terrori, adventare* Caſtellanos *& iam* Imperiolam *occupaſſe, quæ publicè audiente populo omni promulgabantur,*

ut hoſtium molimina omnia ſeu vera ſeu ficta ſingulis perſpecta eſſent, nec quicquam ſecretum aut latens. Illud fœdum & pudendum. quinquaginta noſtrorum facta conſpiratione transfugium parabant, & iam perfectum ſcelus fuiſſet, niſi indicium feciſſet Caſtellanus captivus, quem in flagitii conſcientiam admiſerant. Puniti in exemplum ſeptem, ad baliſtarum ictus damnati. reliquis terror fuit, ne ſimilem amentiam vellent imitari. inter hæc diſcrimina & rerum adverſa, ſatius putavi infecta re reverti, quam cœptis inſtare pertinaciter, & invita fortunæ obniti, cuius benignitatem præſtare à ſeipſo nemo poteſt. Nihil æquè ad diſceſſum impuliſſe virum optimum creditur, quàm quod tacitis conjurationibus ſuos deſertionem partiũ agitare noſſet & hinc rebus Societatis certiſſimã perniciem metueret Hic finis tantæ Expeditionis & fatorum Brouvveri fuit. qui in alio orbe natus, in alio ſepultus, quas opes honeſtas in Oriente ſibi paraverat, Occidenti reddidit. quippe Chilenſis auri ſpe gravis, diffiſuſque Orientis fortunis, ſpem ſimul ac induſtriam perdidit. NVNQVAM enim muneribus ſuis favet uſque fortuna, ut perpetua ea eſſe velit & velut unius propria. Funus in Baldiviæ Vrbe, inter gentes externas conditum, ſine ea, quam præfectus meruerat, pompa, per laudes & memoriam geſtorum ejus non incelebre fuit. Mihi iſta recentium ut & plura veterum exempla revolventi, ludibria rerum mortalium in maximis negotiis *Brouvveri ſepultura.*

obverſantur. alios eventus ſibi ſpes & ratio deſtinat, alios fortuna in occulto tenet. Commorantibus ad maris Pacifici oram in Chilenſium regno Belgis, jamque à ſpe, quam de auro grandem præconceperant, deſtitutis, dum res precioſſimas apportari in Belgium verant fata, miſére inanes voces & vocabula, annonam & ſaburram parabilem valdè necinvidendam. Ea & eorum ſignificationes, non inutili omnino curioſitate, annotavere noſtri. quæ linguarum ſtudioſis materies eſſe queunt expendendi, an primigenia ſit Chilenſium lingua, an nata ex aliis, & ſi hoc, cui linguæ plus, cui minus vel nihil debeat. Quid, quod iter fortè idem repetituris pro nomenclatura eſſe poſſint & interprete. Illud obſervo, ex Hiſpanorum mixtione & contubernio, irrepſiſſe voces Hiſpanæ & Latinæ originis. quæ probant virtutum non minus, quàm viciorum illic exſtare & rem & appellationes.

Vocabula Chilenſia.

Tipanto	Annus.
Tien	Menſis, Luna.
Toninco	Septimana.
Ante	Dies. Sol.
Paun	Nox.
Tabuyo	Veſpera.
Eppeun	Mane.

Ran-

Rangiante	Meridies.
Vrle	Cras.
Eppoe	Perendie.
Vya	Heri.
Putcy	Nudiuſtertius.
Bachiante	Hodie.
Mintay	Nunc.
VVeytiva	Tunc.
V*Vantarulei*	Summo mane
Taptou	Serum.
Biliante	Semper.
Chumel	Quando.
Chemchuem	Quomodo. velut, ſicut.
Hueno	Cœlum.
Quereb	Aër. ventus.
Tomo	Nubes.
VVangelen	Stellæ.
Pillan	Tonitru.
Gualio	Fulmen.
Butaquequereb	Ventus validus. tempeſtas.
Maoni	Pluvia.
Piren	Nix.
Verqumao	Ros.
Pilingei	Glacies.
Quetal	Ignis.
K*o*	Aqua.
Tue	Terra.
Mappo	Ager. ſolum.
Pele	Gleba, gluten.

Cura-

	argilla.
Cura	Lapis.
Mariet	Lignum.
Aluven	Lignum fabrile.
Millia	Aurum.
Lien	Argentum.
Paila	Metallum.
Titi	Stannum.
Pavillue	Ferrum.
Qutal Cura	Silex.
Chadi	Sal.
Lijl	Scopulus.
Milla mappu	Minera auri.
Alyquen	Arbor.
Cabu	Herba.
Nebo	Nuces.
Pino	Stramen.
Cairon	Fœnum.
VVento	Vir.
Domo	Femina.
Quidungen	Iuvenis.
Yecho	Adoleſcentula.
Penien	Puer.
Domo penien	Puella.
Chou	Pater.
Nenque	Mater.
Cheche	Avus.
Domo cheche	Avia.
VVeuco	Avunculus.
Mama	Matertera.
Pelcuchau	Vitricus.

Caul-

Caulla	Noverca.
Botum	Filius.
Neaque	Filia.
Penu	Frater.
Lamoen	Soror.
Guempo	Socer.
Vilca	Socrus.
Choupo	gener.
VVeuro } *peneo*	
VVama }	Cognatus.
Cunevva	pupillus.
Buytha	ſenex.
Cude	Anus.
Penienboe	Obſtetrix.
Apo curaca	Præfectus.
Curaca	Dominus.
Apo	Generaliſſimus.
Nentoque	Gubernator.
Vlmen	eminens, primariæ dignitatis.
Pulmen	Nobilis.
Leptoque	Imperator.
Machi	Medicus.
Cona	Miles.
Retave Caman	Faber ferrarius.
Guito VVoc	Textor.
Challo acaman	Piſcator.
Nilla caboe	Mercator.
Turintavve	tinctor.
Chumpiro caman	pileo.
Tultunca caman	tympaniſtes.

Niche-

Nichetavveni	famulus.
Voirquin	Nuncius.
Langam Cheboe	homicida.
Chuguiboe	Fur.
Illuiboe	Mendicus.
Alvee	Diabolus.
Ruca	Domus.
Vllin	Ianua.
Chaquana	ſcala.
Pylca	Paries.
VVanaruca	Tectum.
Pitheruca	tuguriolum
Guetaltuange	Focus.
Lolcura	Penu.
Carvyto	Cubile.
Deptuarauca	Carcer.
VVeltelve	Patibulum.
Pengal	Sepulcrum.
Louquen	Mare.
Levo	Fluvius.
Butavvampo	Navis.
Pichuampo	Navicula.
Dolto	Lembus. canoa.
VVampo	ſcapha.
Alivven	Malus.
Mou	Funes.
Vela	Vela.
VVyta	Remus.
Guetal	Ignis.
Tubquen	cinis.
Cuju	carbo.

Ale	Flamma.
Aypel	pruna.
Lucaton Guetal	fomites ſcintillæ.
VVietum	Fumus.
Catila	Candela..
VVyno	Culter.
VViti	Cochlear.
Guidi	olla.
Paila	lebes.
Lepoe	ſcopæ.
Couvvvve	fuſi.
Lepo boruvve	dentiſcalpium.
Pavilla Lonco	galea.
VVaiqui	Haſta.
Pylqui	Sagitta.
Pulqui Tuboi	Arcus.
Tultunca	Tympanum.
Macane	clava ferrea.
Cachal	Securis.
VVita	Ligo.
Iuiſue	Cribrum.
Chilca	epiſtola.
Quido	Amiculum.
Macum	Subucula.
Charavvilla	Femorale.
Chompiro	Pileus.
Tarivve loun	Faſcia. diadema.
Icla	ſtola muliebris.
Domo Ruida	toga.
Couchon	ſaccus.
Pino chompiro	pileus ſtramineus.

Con-

Congi	cibus.
Cobque	Panis.
Nul Cobque	medulla panis.
Liquangue	Lux.
Dumingei	tenebræ
Oun	buccella
Quemeiquen	bellaria.
Medda	Puls.
Core	Iuſculum.
Ilon	Caro.
Cuicha Ilon	Caro ovilla.
VVara Ilon	Caro bubula.
Cuchi Ilon	Caro ſuilla.
Cuchi cham	perna.
Chaditues Ilon	Caro ſalita.
Caucan	Caro toſta.
Avaun	Caro elixa.
Puytſcha	Inteſtina.
Curam	ovum.
Quecuram	vitellum ovi.
Lycuram	Albumen ovi.
Ivvijn	Butyrum.
Ylu	Lac.
Puulco	Potus.
Vino	Vinum.
Ciche	Cereviſia Chilenſis.
Cutan	Morbus, dolor.
Aren cutan	Febris.
Tovvongen	Caput.
Lanco Cultano	Dolor capitis.

Veno Aren	Scabies.
Pituvv	ſcabies capitis.
Albungien	Vulnus.
Molbuen	Sanguis.
Touma	Cœcus.
Cavvinto	Convivium.
Colchou	variolæ, morbilli.
VVocubu	Fera.
Pangi	Leo.
Naguel	Tigris.
Cavallo	Equus.
Cuchy	Sus.
Michun	Vitulus.
Devve	Mus.
VVaren	Glis
Tuvve devve	Talpa.
Tevva	Canis.
Pulpeo	vulpes.
Noquen	Vrſa.
Lame	phoca.
Lamo cuchi	aper.
Chumam	Cervus.
Puedo	hircus marinus.
Quelen	cauda
Chilivvequi	ovis Chilenſis.
Zunem	avis.
Lyppe	pluma.
Mepoi inem	ala.
Guelem Inem	veſtis è plumis.
Dani Inem	Nidus.
Achavval	Gallina.

Alchabavval	Gallus.
Pylken	Anas.
Pilo	Surdus.
Hilca	Monoculus,
Topilgen	ſtrabus.
Topil	claudus.
Ieca	corvus.
Buica	putter.
Guereo	turdus.
Taco	bubo.
Cogo	Cuculus.
Vullyn	Apis.
Pulli	Muſca.
Vulgn Muſky	apum rex.
Petar	Pediculus.
Nerem	Pulex.
Piro	Vermis.
Culculla	Formica.
Cunincunin	Cicada.
Vilo	Anguis.
Bylcum	Lacerta.
Ponono	bufo.
Challua	Piſcis.
Cavvel	delphinus.
Iene	balena.
Vouqui	Apua.
Vilochalva	anguilla.
Chaditnel chalva	piſces ſaliti.
Anquen chalva	piſces indurati.
Quinpilon	oſtrea.
Chapes	Muſculi.

Me-

Melon	cochlea.
Coinouvv	aſtacus. cancer.
Quichiquinchio	Falco.
Manco	Aquila.
Choroi	Pſittacus.
Poo	Ramus.
Kempo mamel	truncus.
Bope mamel	lignum aridum.
Nebue	Nux avellana.
Nido Ivvas	Vitis.
Nidu	ſtipes.
Vaguen	fraga.
Couchouvv	ribes nigræ.
Litue	fungi.
Cachu	Herba.
Pilun Proque	plantago.
Calicai	trifolium.
Curi	urtica.
Pragyn	flores.
Manen	Semen.
Methen	farina.
Chiquelen	furfur.
Gueli Vanca	Corallum.
Kiſpy	vitrum.
Cudi	lapis molaris.
Pel	limus. gluten.
Taſſaquido	tributum.
Quengu	dos.
Dereno culijn	debitum.
Culijn	Merces.
Nillavvijn	precium redemptionis, lytrum.

 Au-

Aucantupaiu	Iocularia.
Quyn	unum.
Eppo	duo.
Quila	tria.
Meli	quatuor.
Quechu	quinque,
Cuyn	ſex.
Relgi	ſeptem.
Pura	octo.
Ailla	novem.
Maripataco	centum.
VVarama	mille.
Guiltui	nucleus.
Tapel	frondes.
Nul	cortex.
Aliquem	arbor.
VVul	radix.
Iuei pingeimi	quomodo vocaris?
Iuan pingen	vocor Iohannes.
Cheo Ruaimi	quò vadis?
Moppo Muruam	Eo rus.
Cheo tui mi	Vnde venis?
Niro comotoun	Venio domo.
Chumel quipatuai mi	quando venies?
Chumel Prutuai mi	quando ibis?
Ale Prungi tamruca	domus tua longe abeſt?
Picherungei	prope eſt.
Ale prungei	longius abeſt.
Inchi quiparun camappumu	Cogito in alias regiones.

Chem-

Chemnibla quiparui mi camappumu	Cur in alias regiones cogitas;
Merelya tiva mappumu	Nulla hic victualia.
Aleibelai tvvachi tipanto beniblaale geniepayn	Annus hic ſterilis fuit, ideò egemus.
Cheo mappungen tami-chau	in qua regione vivit pater tuus.
Alueiei	Dæmon abſtulit.
Aieimiruaju inchio	vis comitari?
Ailan	Nolo.
Aien	volo.
Chuben quecken neieimitania	habes quod edas.
Cancan achavval neen	ſunt mihi gallinæ aſſatæ.
Mu vvy	quot?
Munalei enchintavia	ſufficient nobis.
Chuben putuayn	ubi bibemus?
Aile mangunmeinis	ago tibi gratias.
Chuben domo triva	quæ iſta mulier?
Inchi tan Curi	eſt mea uxor.
Ni nave	mea filia.
Ni domo	mea concubina.
Ale timinigei vei domo	eſt femina pulchra.
Quipanguei	veni huc.
Amotunge	abi.
Vmatuayn	eamus cubitum.
Vtajuca	Surgamus.
VVira Cuchai Compay tan mapumu	Hiſpani invaſerunt has terras.
Quipa VVaicha laimi	vis ne unà pugnare.

VVaiquinagelan	Careo armis.
Ina en peain VVaiqui	ſequere me, potiemur armorum.
Aliteum inche	ſum contentus.
Pelli	Anima.
Calel	Corpus.
Lai calel	Cadaver.
Ven	Caro.
Molvin	Sanguis.
Boro	tibia, crus.
Telqui	membrana.
Ven	nervus.
Ven moluin	vena.
Lonco	caput.
Tol	frons.
Lenglen	cranium.
Lonco	capilli.
Teren lonco	canicies.
Lolo	cerebrum.
Angen	vultus.
Taun	genæ.
Ne	oculi.
Tacune	membra.
Denen	ſupercilia.
Va VVingne	cilia.
Iu	Naſus.
Peloju	nares.
Merum	Mucus.
Pilum	aures.
Oun	os.
Adem	ſudor.

Que-

Quevven	lingua.
Melbue	labia.
Boru	dentes
Ilga	dens molaris.
Bidabida	palatum.
Coun	ſputum.
Rulmevve	guttur.
Neen	ſpiritus.
Quette	mentum.
Paiun	barba.
Pylco	collum.
Pel	cervix.
Lipan	humerus.
Puilpa	brachium.
Cue	manus.
Mancue	dextra.
VVele coe	ſiniſtra.
Puley cue	vola.
Changelcue	digiti.
Buta changel	pollex.
VVili	ungues.
Zevo	Pectus.
Moju	Mamilla.
Pue	Venter.
VVeddo	umbilicus.
Cadi	coſtæ.
Buri	dorſum.
Anca	lumbi.
Quichio	nates.
Penem	penis.
Collu	Toſtes, colei.

Metu	muliebria.
Chan	femora.
Lucu	Genua.
VVethuntoy	poples.
Toy	Tibia.
Hemum	ſuræ.
Namon	pes.
Changil Namen	articuli pedum.
Prencoy Namen	talus pedis.
Puley Namen	planta pedis.
Piuque	cor.
VVocun	pulmo.
Que	ſtomachus.
Curique	hepar.
Vecaque	Lien.
Quelche	inteſtina.
Villin	veſica. urina.
Mee	ſtercus.
Perquen	crepitus ventris.
Nomoy	fœtor.
Pelengsley	aranea.
Inche	ego.
Eimi	tu.
Tubei	ille.
Inchen	nos.
Tecengen eimen	vos.
Liengen	illi.
Emma	ita.
Muh	non.
Pichumei	prope.
Alerungei	Procul.

Tay

Taymen	coutra.
VVoecuu	foris
Compay	intus.
Pulon	infra.
VVono	Supra.
Buri	poſt.
Iunengen	ante.
Quelleb	juxta.
Munai	ſatis.
Alengei	nimium.
Munalai	nimis parum.
Chemibla	Cur?
Veinibla	Ideo?
Veimai	eſto.
VVei	hic, ille.
Temunei	pulcher.
VVoranei	deformis.
Nevvonei	fortis.
Leptungei	celer.
Chouvvo	piger.
Alilonconei	valdè ſapiens
VVentanei	gravis.
Queunei	ſuperbus.
Culenei	dives.
Cunevval	pauper.
Toucu	ſtolidus.
Molgei	nudus.
Ilungei	veſtitus
Queten	anguſtus.
Anquen	ſiccus.
Prequin	avarus.

Prequiboe	liberalis
Buta	magnus
Pichi	Parvus.
Montingei	pinguis.
Tou Tau	macer.
Pettun	color.
Queli	ruber.
Calbu	cœruleus.
Carel	viridis.
Choot	flavus.
Curi	niger.
Lye	albus.
Nilla caiu.	commutare.
Huvvyn	dare.
Tuignei	hilarem eſſe.
Vmatum	dormire.
Limen	expergiſci.
Tangnune	frangere.
Bemgne	ſtruere.
Playn	invenire.
Vangenbyn	amittere.
Necul	currere.
Amon	ire.
Vtalenge	ſtare.
VVi-vvijn	eſſe.
Chuchelcyn	jacere.
Tecanen	ſaltare.
Palenatum	cadere.
Vtalenen	ſurgere.
Auinge	ſedere.
Dimgune	loqui.

Teme-

Temelenge	tacere.
Puronge	canere.
Pijlcunge	clamare.
Quipay	venire.
Ien	edere.
Butun	bibere.
Mepai	cacare.
VVillan	mejere.
Cudepain	ludere.
Quequatum	cauſas dicere:
Locatum	litigare.
Longavvijn	necare.
Mecovvijn	portare.
Chuquin	furari.
Cuallulueno	reddere.
Peltenei	pendere.
Lay	mori.
Rengalgei	ſepelire.
Quedau Capay	laborare.
Intunge milla	aurum effodere.
Nilla Teubijn	vendere.
Nilla vin	emere.
Chupipai mi?	quid dicis?
Quimla VVitami piil.	neſcio quid dicas.
Chupipaimi	quid facis.
Chumpaila	nihil.

Hæc cum legimus, & loquimur Batavi, accepta à Chilenſibus, à tranſmarina gente & toto Oceano, totis zonis diſcreta, nonne manifeſtum, inquietes mortales, ad cœli ſimili-

militudinem, rapi in Orientem, in Meridiem, in Occaſum, in Septentrionem, inviſere alios aut ab aliis inviſi, movere loco aut moveri? Athenienſes olim in Aſiam ivere & in mediis Barbarorum regionibus viſæ Græcæ urbes. apud Perſas & Indos auditus fuit Macedonicus ſermo. Græci in Italiam trajecere, Tyrii in Africam, Pœni in Hiſpaniam. Pyrenæi Germanorum tranſitus non prohibuere. non Alpes Gallorum. per invia per incognita vadit humana curioſitas. liberos, conjuges, merces, voces traducit, ſive ſuperfluentis populi frequentia colonos exoneret ſive fertilis & in majus laudatæ regionis fama, ſive lucri aurique potiundi ſpes invitet abſentes. Quotidie in magno Orbe aliquid movetur. hîc novas urbes condimus, alibi veteres evertimus: nova gentium nomina addiſcimus, aut antiqua dediſcimus: cum hominibus ipſis linguas de orbe in orbem tranſvectamus. Chilen longè poſitam regionem adivimus, quia auri ferax putabatur. deſiderata diu fuit tellus Barbara, ut benigna manu aurum daret non Barbaris, iiſque gentibus, quibus grandis eſt Barbaries, habere nihil. ut mirum non ſit, aurum à Marone Barbaricum dictum, cum à Barbaris peti ſoleat. Hujus apud Chilenſes expectatio inanis, inter cauſas fuit Societati, publicæ paupertatis, Brouvvero privatæ.

Poſt hæc novis motibus concuſſam Siaram accepit Naſſovius, ubi excîta in bellum Braſili-

ſilianorum agmina caſtrum Belgis inſeſſum per dolum occupavere & ſolo æquavere, trucidatis Directore Gedeone Morritzio, præſidiariis omnibus, etiam iis operariis, qui non longè ad Salinas Vpanemmæ fluminis conſederant. Eadem calamitas manſit Ædilem Maranhaoenſem, qui cum locum iſtum infelix appuliſſet, militum cenſum initurus, ignarus eorum, quæ acciderant, in rebellium manus incidit, ſimilique cum ſuis fato periit. Etiam Liburnicarum noſtrarum una cum in portu ſtaret, ad refectionem, lembo in terram expoſuit Navarchum, Centurionem, & vice-centurionem & milites aliquot gregarios, quos nil tale opinantes, velata blanditiis irâ, obtruncarunt. Nautici tres, qui ſe ſilvis abdiderant, evaſere, dejectamque arcem & rudera adſpexere. Nec tamen hujus nefariæ ſeditionis autores habebantur Maranhaoenſes, licet proximi & contermini, verum culpa noſtratium in ſubditos ferociæ & duriori imperio imputabatur. Equidem, nihil magis exaſperat iratam plebem, quàm ferendi impatientia. Ipſis agreſtibus feris ſimilis eſt, quas ſi arctioribus vinculis conſtringas, inſaniunt, ſi laxioribus, quieſcunt. Facta ſuperius mentio Palmarium fuit, in quas terras impedita nuper expeditio, jam aliquem ſortita effectum, Majores Palmares turbavit, ubi prædonibus latibula erant & refugia, qui per latrocinia & raptus otium redimebant. Dux facti

Siarenſium defectio.

Ann. CIƆ IƆCXLIV. menſe Ianuar.

facti fuit Rudolphus Baro, audax animi & imperterritus, qui adſcitis ad reliquas copias Tapujis centum, cum Minores vaſtare & diripere pararet, incidit in Majores, quas ferro flammiſque peſſumdedit. Cecidére Nigritæ centum. è noſtris in ipſa aggreſſione unus, ſauciis quatuor. Captivi abducti triginta & unus, inter quos Braſiliani ſeptem & Mulatæ aliquot minorennes. Duplici ſe ſepimento tuebantur hi graſſatores, cujus ſpacium capiebat familias mille, præter cœlibum receptacula. patebant circum agri arundinum feraces. at præter gallinarum frequentiam, nullis aliis animalibus abundare comperiebantur. In prædam nihil cupiditati obvium, cum parvo ac ſimplici victu durent, & ſupellectilis more Angolenſium, elegantiæque omnis incurioſi ſint.

Palmares majores turbati à noſtris.

Ann, CIↃ IↃCXLIII 1 Octob. Venitur ad tempus, quo Naſſovio certum reverti in Europam. impetrata poſtremùm à Potentiſſimis Ordinibus & Societatis Directoribus redeundi veniâ. In hanc rem, miſſis ſuperiore anno per provincias omnes ad Braſilienſium rectores litteris, in hæc ferè verba ſcripſerat: *Ceteris forſan in rebus conveniet me vobis loqui & de Republ. quid cenſeam coram exponere. in hoc negotio, me abſentem vobis loqui ſatius. Poſt crebriores meas poſtulationes, quæ non latent vos, tandem à Fœderatis Ordinibus, Principe cognato & Societatis directoribus miſsionem impetravi, & veniam revertendi in Belgarum terras, quarum*

Litera Comitis ad Provinciarum rectores.

me ſaluti dudum penitus devovi. Quæ vobiſcum egi & vos mecum ex uſu publico, memor circumfero. nec erit unquam, ut me veſtri commilitii pœniteat. quicquid cuncti, quicquid ſinguli officiorum à me ſperare habetis, id omne confectum putate. operum vos maximorum adjutores agnoſco; quos uti in laborum ſocietatem pridem advocavi, in honoris quoque & meritorum venire cupio. gratias quas mihi reddit Supremus Belgii Senatus, vobiſcum partior. nec ſolus laudari cupio, nota univerſorum fide, & diligentia. non potuiſſem ſine vobis ea, quæ potui, & vobiſcum ivi, quò communibus conſiliis itum. unus ſi quidem falli potuiſſem, non poſſimus omnes. In patriam abiturus vos teſtes imperii, vos memores mei erga vos affectus eſſe volo. Ad hæc reſpondére in eandem ferè ſententiam omnes: *nihil ſibi acerbius accidere aut Reipub. damnoſum magis cenſeri, Comitis abitu. non alterius opis aut defenſoris illam egere, cui quà pace quà bello optimis artibus opus. ab abſentia tanti imperatoris metui factionum inter diſpares ſtudia, & ſimultatum inter pares. quæ in coram virtutum ipſius eminentia compreſſa quieſcunt. multa Comitem apud ſuos charitate fuiſſe & eſſe etiamnum, ob clementiæ, juſtitiæ, humanitatis amorem: nec minus hoſtibus terrori, ob fortitudinis, ſcientiæ militaris & felicitatis laudem. hæc ipſa non adulationem loqui, ſed oppida victa, domitas provincias, fugatos hoſtes, defenſas aras & focos, & quod maxime laudabile, partam pacem. His qui contradicunt, Soli offucias quærere & malæ conſcientiæ illigari. Supervacuam eſſe commendationem ejus, qui confeſ-* *Reſponſio Provinciarum.*

ſos

ſos de virtute hoſtium animos ſubjugaſſet, qui iis Rempub. omnem & Societati innexos beneficiis adſtrinxiſſet, quibus paria reddere non poſſent. Hæc Pernambucenſium Senatus, hæc Serinhainenſium, Portus Calvi, Iguarazunorum, Itamaricenſium, Praraybenſium & Fluvii Grandis rectores ad Comitem ſcripſere. quæ additis teſtimoniorum tabulis publica authoritate ratis roboravere. At diffuſa per provincias omnes Hebræorum natio, egregiis quoque verbis Naſſovium extulit, litteriſque ad ipſum exaratis, gratias egit Imperatori ſuo, ob imperii moderationem, prudentiam, rerum ſuæ gentis & ſacrorum piam curam, aliaque.

Nec tamen tunc abire Comiti licuit, licet reditus tempus vernum præfixiſſent Societatis rectores. quippe nondum ſuper hac re Potentiſſimorum Ordinum mentem perceperat. Scripſerant jam antè iidem Rectores. ut contractis militum copiis eas ad centurias octodecim revocaret: juris ibidem adminiſtris accideret domiciliorum victuſque emolumenta, ut & ſacri ordinis viris. Quæ res non leves turbas dederat, obſtrepente mandatis ea noſtri parte, qua vivitur. quæ uti vitæ famula eſt, ita infra ejus neceſſitates demitti non cupit. Comes, quod & per Tolnerium diu antè delegatum fecerat, ſuper his apud Potentiſſimos Ordines per literas iterum diſſeruit, cenſuitque minus prudenter talia im-

Comitis littera ad Ordines.

imperari: juris præſides muneribus ſuis ſe abdicare, hanc victus diminutionem contumeliam interpretari: modeſtiſſimum quemque diſſimulata animi ægritudine ambitionem parare. ſe ab amicis, qui imperii inſtrumenta ſunt, deſtitutum iri: ſufficere omnes obſequio, ſed averſari contemptum. alios palàm fateri offenſam, alios vultu tegere in ultionem: ſuadere ſe, uti frui permitterentur veteri demenſo, jamque hoc ipſum permiſiſſe, ne inclinaret ſalus publica. Hujus quam maximè intereſſe, ne ad eam paucitatem revocetur militarium numerus. Non poſſe ſe tueri eas terras, quæ centenis aliquot miliaribus definiuntur, tam modico præſidio; non arcibus tot, oppidis, portubuſque proſpici: quietem ab armis eſſe, ſed minus tutam: Luſitanos priſca in nos odia blanditiis velare; inſidiari temporibus, repertis authoribus auſutos ſcelera; nato jam è ſuis Rege gloriari, afflictam religionis ſuæ libertatem, contra quàm promiſſum, vehementer indignari: tributa & vectigalia noſtra execrari, & illam in peragendis ſacris Iudæorum licentiam. Volebat & illud cogitare Patriæ Patres, grandi ære illigatos Societati, ex molarum emptione. iſtud quinquagies & novies centenis millibus cenſeri, unde ſe expedire niſi turbata republica vix poſſint. ſic per incerta tutiores fore, & per ambigua & turbida opes ſperari, & honores. malle eos publico exitio

proteri, quàm ſuo, & perituros cum multis minus conſpici. quin & mores, linguam, leges, rituſque Belgarum odiſſe, nec ſpem eſſe, ut inter ipſos & Belgas ſolida unquam pax coaleſcat. Quare cenſebat terrore coercendos. hunc ab armis & potentiore eſſe præſidio, infirmis quidem caritatis vinculis, at neceſſariis. Aperuit iiſdem Patribus, Luſitanos ad Portugalliæ Regem, clientum ſpecie, plenas querelarum litteras dediſſe, quibus dolere ſe ajunt, quod aliarum provinciarum exemplo fidem, obſequiaque ſua erga Regem explicandi occaſionibus deſtituerentur, ſacrorum ſuorum adminiſtratione ſe per gradus privari, nec mirari ſe ſatis poſſe, nullam à Triſtano Mendoza in pactis Inducialibus de religionis libertate injectam mentionem. addebat Comes, has tranſmarinas appellationes mali moris & pœna dignas à ſe cenſeri. Sed hæc antè geſta hîc memorari, à libertate ſcriptoris eſt. Moverant quoque jam nuper Comiti controverſiam Societatis rectores, ſuper Aulæ impendiis, de anguſtia ærarii queſti. Nec infrequens hoc nimias ducum opes ſuſpectari, quod ſæpè potentiâ adverſus libertatem publicam abutantur. Naſſovium tamen, nihil minus quam corradendis pecuniis intentum, hæc afficiebant quidem, at nequaquam morata ſunt, quo minus priſtina alacritate, publicæ utilia exſequeretur. Ideoque cum generoſis Illuſtriſſimæ domus animis

mis minus digna videretur iſta diſceptatio, & gravioribus curis teneri poſſe crederentur Rectores, compoſita illa ſine majore motu & offenſa fuit.

Ne tamen Comitis abitu ſine Duce fluctuaret Reſpublica, ſumam rei demandavere Supremo & ſecretiori Braſiliæ Senatui. Cui poſtquam imperium omne tradidiſſet, ſignificari hoc ipſum per Provincias omnes juſſit, ut conſtaret & rerum bellicarum & civilium ducibus, quorum in futurum imperiis adſtringerentur ſubditorum obſequia. Verùm ex conſilio Senatorum militaribus copiis præfectus fuit Henricus Hœſius Belga, prætoriæ cohortus centurio, vir iis inſtructus virtutibus, quas in imperante requiras. qui plures per provincias ſtipendia expleverat, corporis ingeniique vigore integer, cautus & conſideratus, artium bellicarum peritus. Diſpoſita quoque & ordinata militiâ, rogatu Rectorum Braſiliæ, Formulam apud eos depoſuit Comes rerum agendarum, quæ pro Cynoſura eſſet & officii Indiculus. ut quem imperantem ſapienter experti fuerant coram, ejus abſentis porrò conſiliis fruerenrur. & quo ſpiritu grande Braſiliæ corpus animaverat, eodem illi ſuſtentarent. Quare totam regiminis formam animo volutans & in ſingula diffundens ſeriam meditationem, hæc ſtatuit. non imperantis rigidè ſed cautè ſuadentis officio functus. ne aliquando impru-

Comes Imperium Senatui tradit.

Formula regiminis Braſiliæ elegans, relicta Senatoribus à Comite.

dentiâ peccantibus, ſtultitiam gentis ſuæ operiretur hoſtis. Triplici, inquit, hominum generi imperitandum vobis, Militarium, Mercantium, & Civium, tum Luſitanorum tum Belgarum. Imperii itidem modus triplex, Civilis, Eccleſiaſticus & Bellicus. Hunc quod attinet. in hoc incumbite, ut pronus in deteriora miles benè de vobis exiſtimet, & potius parere velit, ut dignis, quàm cogi ad obſequia ab indignis. Quàm à familiæ luce & generis fulgore venerationem veſtri impetrare non poteſtis, licet honeſtè nati, ſupplete virtutum ſtudiis. ut per hæc favori militum inſeramini, qui largitione & indulgentia malè acquiritur. Ad ſupplicationes eorum expediti cunctationes fugite, ne attrita inutili mora penulâ, iras concipiant, mox clandeſtinis conſiliis proditiones, transfugia, aut in cives vim cogitent. quod obvium & factu hic perfacile, ob vicinos hoſtes, prædonum contubernia & peccantium latibula. In ſolvendis ſtipendiis Ducum maximè habete rationem. nihil æquè armatos ſolvit obedientia, aut peccandi neceſſitatem imponit, quàm egeſtas. non ambulant ſine nervis homines, nec ſine pecuniis & annona illi in bellum durant. per illas efficacia ſunt arma, quæ invalida facit mendicitas. Hujus mali ſenſum eò altius inanimum admiſi, quia remiſſius à pluribus timetur. In pœnis militaribus ſeveritatem magis ſuaſerim, quàm clementiam,

Quomodo habendus miles.

in

in Barbariæ ſedibus vivunt, ubi vitia ſine modo ſunt, & barbarorũ quotidiana conſuetudine, exemplis peccatur. ut ut virtutum nomina ſpecioſas voces putent, de honeſtate ipſa, inter efferos, plures ſecuri ſunt. Vetus illud eſt, impunitatem peccandi illecebram eſſe, pœna & timore corrigi malos. à ſuppliciis illorum vacabitis, ſi illi à peccatis. hæc parciora fuerint, ſi inſurgendi in vos veram cauſam ſuſtuleritis, inopiam. Erga militiæ primos humanitatem, comitatem & admiſſionis facilitatem commendavero, modo illa non diminuat authoritatem. rariſſimum eſt, quo cum familiarius egeris, vereri imperantes. experto credite, minus verendos eſſe, imò vileſcere regnorum præſides continuo aſpectu & alloquiis. Militarium dignitatum præmia procul omni odio vel gratia in meritiſſimum quemque conferte. pari jure retinete, quorum par in bello virtus & fides. ſi contumeliam accipiant, molientur peſſima. corruptiſſimæ Reipub. ſignum eſt, ubi venales ſunt bellici honores, aut amicorum interceſſionibus præferuntur inepti. Cum fortibus ſua cedunt præmia, redduntur fortiores. fides, amor, obedientia gliſcunt, ſecus languent & fatiſcunt potentiſſimæ illæ virtutes. Hoc ſeriò agite, ne colonis & agrorum cultoribus gravis ſit miles. familiare hoc imperio huic malum, quod à quotidiana victus penuriâ eſt, unde contumacia & dedignatio

Quomodo primores militum.

Quomodo coloni.

parendi, in ſubditos vis & injuriæ. hæc ubi abſunt, injuncta onera, quamvis gravia, patienter ferunt. Et plus ab iſtis ſibi malis metuunt molarum domini, pacis quàm belli temporibus. hoc labores, illa inertiam & ex inertia luxum petulantiamque ſuadet. Luſitanorum aliquos, qui firmæ apud ſuos ſunt fidei, vel blandiciis vel liberalibus promiſſis devinciendos & ad ſecretiores voces ſeponendos arbitror. quò de hoſtium viribus, & machinationibus cognoſcatis. talibus ſimulandum odium noſtræ gentis, diſſimulandus amor, ut fidem mereantur. Harum artium capaces maximè ſunt, qui ſacris operantur, quos ſecretorum omnium participes ſua ſanctimonia ſuſpicionum nube evolvit. Nec temerè in his credendum popularibus, quibus nec judicium conſtat nec veritas. ex opinione præconceptâ plæraque judicant & indicant, veris falſa miſcent & dubia, impetu & temeritate, ut eſt affectus. Et quia illis opes nullæ ſunt, opulentis invident, vetera omnia odere, nova expetunt, & rei familiaris anguſtia preſſi, mutari omnia ſtudent. Quin ut placeant potentioribus, pravo ſtudio aliorum periculis & damnis gaudent. Ideò audita pro compertis habent, & quia omnia in majus efferunt, credulos fallunt. Veras ſeriaſque narrationes & delationes ab illuſtrioribus exſpectate. nec opus multorum indiciis, ſed unius alteriuſque famæ honeſtiori-

Quomodo Luſitani.

Quomodo accipiendæ delationes.

neſtioris & non vanioris. Accipiendæ illæ, non ſine cautela, ut ſatis ſit, ſciri eas à rectoribus, ne noceat non ſciri. Nequaquam iſtiuſmodi res ad alias Curias deferri velim, ob diſceptationes crebas & longas, & quia inter plures diſpaleſcunt. ſed ipſi veſtræ curæ eſſe patiamini, talia rimari & indagare: factitavi id optimo ſucceſſu. transfugarum fidem ſuſpectam habete. amant ad os loqui imperantibus. nec torturas valdè commendem, quibus non minus falſa quàm vera extorquebitis & innocentes aut ſuſpicionibus objectabitis aut perditum ibitis. Arces, quibus munitur Braſilia omnis, luſtrandæ ſæpius, ne inertia collapſæ pateant inſidiantibus. Iis de annona, armis. præſidiis proſpicite, ut moram obſidionis ſuſtinere queant. Et cum ob ſoli arenoſa aquis deſtitutæ Arcium foſſæ ſepimentis circumvallentur, omninò hoc agendum, ne illæ temporum tractu attritæ hianteſque hoſtem invitent. Grande in hoc momentum, ut horti Friburgiani & quæ illis adjacent vivaria, in veſtra ſint & permaneant poteſtate. cum difficillimis temporibus aquationi noſtrorum oportuna ſint, quam exortis bellis non ſine ingenti diſcrimine alibi quæratis. Etiam de eo diſpicite, an non ſit uſui futurum, ſi pontem Boaviſtam in ulteriore ripa caſtrenſi aliqua turre præmunia tis, quò ſecurum pateat in Vergeas iter. Nec levius in ponte iſto præſidium, qui Reciffam

Non credendum transfugis

Quomodo inſtituenda tortura.

Arces muniendæ.

Boa-viſta defendenda Reducta.

Etiam Pons Reciſſam Inſulæ Vazii jungens.

&S. Antonii Vazii Inſulam jungit, non ob quotidianos ſolũ commeantium & remeantium uſus, & vectigalium, quæ inde colliguntur, reditus: verùm ut nexis inter ſe Inſula & Reciffa, altera alteri velut ſuccenturiatam opem ferat, ſi quando premat belli neceſſitas. experti didicimus, nondum jacto ponte, auxiliorum defectu penè periiſſe Reciffam. hærentibus, refluo mari, in vado & & limoſa ripâ, auxiliaribus copiis. Quin & diligens habenda ratio ſilvæ iſtius cæduæ & camporum, qui in citeriore fluminis ripa, inter Brunoniam Arcem & Quinquangularem, patent. cum hinc inſidiis oportuna ſit Reciffa ſtratagematis impetita ſæpius. Gubernatorem Portus Omnium Sanctorum temerè offendi nolim & occaſiones belli objici pacato. eum humaniter haberi, flagrantiſſimè cupit Luſitanica gens. Nec enim vos latet, quàm in damna & calamitates pateant noſtra. quàm pronum illi militum agmina effundere in fines noſtros & nutu excire indigenarum ferociam & arma. Adverſus Lu-

Quomodo habendi perduelles Luſitani.

ſitanos perduellionis compertos & rerum alioquin atrocium miniſtros, efficaciſſimum remedium Severitas; quam nulla lenitate frangi uſu ſalubre & miſericordia melius apparuit. Quod ſi delicta mitiorem pœnam non indignentur, ſuus clementiæ locus ſit & pœna leviore aut pœnitentia contenti eſtote. temperiem iſtarum virtutum amo. & uti om-

nes

nes alias virtutes, prudentiam, juſtitiam, amorem ſubditorum, ſimileſque un Clementiæ cedere nefas, ita ſeveritatem clementiæ nunquam, tyrannidis fuerit & ſummæ imprudentiæ. Eos injuriis, contumeliis exacerbari, perniciofum noſtræ genti hoc ne fiat, à milite potiſſimum, cavendum ſedulò. Si fiat, de ſumma rei alea jacitur. nec à deſperatis motam ſeditionem comprimere in manu erit, cum præſentium malorum remedium, periculorum contemptum audaciamque arbitrentur. Non in Caſtellis, ut munimentis arcem dominationis collocatam putate, ſed in domicilio animorum. nec ſpatiis aut latifundiis regnorum veram magnitudinem & potentiam eſſe metiendam. ſed fide, benevolentia, veneratione ſubditorum. non accumulabo in hanc rem rationes, cum recentibus Afrorum, Maragnanorum & Siarenſium exemplis edocti ſimus, inviſam potentiam diuturnam non eſſe. Etiam hoc cavete, ne armorũ uſus & geſtatio promiſcua ſit. illam Belgis aliquot & Gallis & Anglis manu meæ ſyngrapha indulſi, quibus exigendis diebitis frequentandum rus. ut & iis Luſitanorum, qui ſparſim & vagis domiciliis habitantes, non cum prædatoribus ſolum & latronibus, ſed & ferarum, tigridumque immanitate pugnare habent, PLENA namque periculi res eſt ſi diſſentiens ſtudiis, gente, religione populus armis prævaleat, & terribilis

Non eſſe exacerbandos Luſitanos.

Arma non eſſe cuivis permittenda.

evadat. rectè vires adimuntur hoſtili populo & nos pejus, ſi polleret, mulctaturo. Vt de civilibus verba faciam, utile fuerit ad libellos ſupplices tot tamque varios, non reſcribi à toto Senatorum conſeſſu, ob horum frequentiam, & deliberationum moras. Verùm ſeligi paucos ſuaſerim, qui de levioribus decernant, ne invidíam reſcriptorum omnes ſuſtineant. Luſitani lenius habiti, ad obſequia faciles; durius, refractarii erunt & velut ungues in hòc corpore. Comperi non ſemel, honeſta æſtimatione ſui erigi eos & attolli magis, quàm opum ſpe. Belgis in ipſos teſtantibus timidè credite, quia oderunt, & ob hoc periiſſe volent. præſertim militaribus, qui opulentiſſimum quemque, æmulæ paupertatis indignatione, in prædam corripi exoptant. Incredibile, quantum valeat ad turbas aſpera in auribus vulgi tributorum vox. Ea ſi vetera & recepta ſint, ne intendite, ne quidem tunc, cum redimendo ære publico exiguntur. nec novis provincias concutite, pacem civium excutient, magis ob publicam avaritatiam, quàm obſequii impatientiâ. Quod ſi omninò neceſſaria, delibate opes tantum, non devorate. tondete pecus iſtud, non deglubite. nam rationis compos eſt & ad iſta turbidum & ferox. ubi excanduit, graviſſimos pietate & meritis viros ſpernit, & terret, quos pavere debebat. Provinciis ne ſinite ſubduci numeratum æs, aut trans mare defer-

Luſitanorum indoles.

Non temerè credendum Belgis teſtantibus adverſus Luſitanos.

Quomodo exigenda tributa,

deferri aliò, cũ ſine eo invalidi ſint mercator & miles. Egent correctionis Fori actus, & quæ apud inferioris ſubſellii judices geruntur. ſufflaminanda cauſſidicorum, procuratorum, tabulariorum, ſcribarum, formulariorum, apparitorum avaritites. cui malo, ut & litium procraſtinationibus, occurendum. Rectorum Societatis decretis obtemperandum religioſè, quoad Reipub. expediet illa obſervari. ubi verſa rerum cum tempore facie nocitura videntur, præferam non obſervationem. utique locorum ingentia intervalla & incerta caſuum faciunt, quæ domi ſalubria videbantur, hic inſalubria haberi. ut prudenter alibi decreta, hic imprudenter exæquare. Quoties cum noſtra gente vobis negotium, bonis ipſorum, tanquam re ſacra, abſtinete. ita homines ſunt, vitam affligi, quàm loculos malunt. hos pupilla chariores habent. poſtquam offenſi reverentiam exuére, oderunt hoſtiliter, quos coluerant ſerviliter. Et quia ab eadem cum rectoribus ſunt gente, putant iniquius ſecum agi, ſi iiſdem quibus alii legibus coërceantur. Nihil Luſitanis execrandum magis, quàm prætorum per provincias quotidianæ expilationes, juris obtentu. quibus præter imperatas pecunias decoriant plebem. remedium erit, ſi minorum delictorum pœnæ, legeſque plurimæ expungantur, ſalvis iis, quibus enormia flagitia terrentur. Sic deſtituti tot mulctarum vocabulis & cauſis

De Fori actibus.

Quomodo habendi Belgæ.

De Prætorum per provincias expilationibus.

Gry-

Grypi iſti & ſanguiſugæ minus compendio ſuo ſervient aut hiantes cupiditates explebunt. Præterea, munia iſta non niſi ſpectatiſſimis quibuſque mandari expediet, remotis Lavernionibus, qui ceu Geryones ſenis manibus aliena ereptum eunt. Singularium pugnas, & homicidia deliberata puniri rigidiſſimè, ſpreta perſonarum facie, è republica fuerit. non autem ea, quæ præceps ira juſtuſque dolor imperant. Societati debitum æs ſtrictius exigite. tenaces ſunt mercantiũ manus, & citius Herculi clavam, quàm illis pecunias extorſeritis. quoſcunque dies debiti prorogaverint, in lucro deputant. quin res ſuas creditis à Societate bonis in triplum aut quadruplum augent, magis ſolliciti, quibus artibus transſcribant ſua quàm quibus nomina apud Societatis adminiſtros expugant. augent hæc mala nimia quæſtorum facilitas, & temporum in ſolvendis debitis laxationes. At cum molarum dominis autor ſim agi moderatius, ob incertam meſſis fecilitatem, quæ ſpes ipſorum ſubinde fallit, nec extrema illa tentari cupiam, ut boves ipſi, operum inſtrumenta, mox agri, dehinc corpora ſervitio aut pœnis tradantur. Illud in capeſſenda Repub. quantivis habetur, ut initia imperii auſpicata ſint. erunt, ſi populus annuat. annuet, ſi ad clementiæ famam vos comparabitis. ita ſpiritum & ſaguinem recipiet civis & imperantibus omnia læta erunt & candida. Quamobrem

Quomodo exigenda debita.

Quomodo habendi molarum domini.

Qualia eſſe debeant imperiorum initia.

obrem de abitu meo certiores reddi provinciarum rectores neceſſe, imperiumque omne in veſtris exin fore manibus edici; pœnas prioribus edictis ratas abrogari: veniam commiſſis antè delictis fieri: prætorum maleſana ſtudia damnari, culpas & peccandi titulos accîdi: liberrimam omnibus ab illorum improbitate ad vos eſſe provocationem: faciles querelis patere Senatorum aures: ut, quæ Iuſtitiæ ſuprema vox eſt: unicuique detur ſuum. Latrocinantium & agros prædantium pænas nec mitigari placet, nec differri, ne miſericordia iſta in miſeriam vertat. generis humani & ſalutis publicæ hoſtes ſunt, quos terreri rigidiore ſupplico res ſuadet, ne omnem populi fortunam in ruinam agant. Nec ulla eſſe poteſt in tantorum ſcelerum atrocitate punienda crudelitas. Eos deprehendendi optimas vias ex Luſitanis diſcite. Ego duas ſigno: Impunitatē quorundā & Præmia. Veniam ipſis ſceleratis facite, ſi aliorum indices fuerint. nec enim perditos iſtos rectius, quàm per facinorum ſocios ſubvertetis. dum enim alter deffidit alteri, timebunt venire in ſceleris partem, ne à conſciis prodantur. & ſuſpecta plurium improbitate, dum ſinguli malis ſtudent, virium impotentiâ diſſipati corruent. Præmia decernite & præſtate. VIDEBITIS eò impendi pericula & labores, unde emolumentum ſperatur. In divinarum & Eccleſiaſticarum rerum curatione ea hîc loci adhi-

Quomodo puniendi prædones & latrones.

Quomodo habendi Eccleſiaſtica & ſacra.

adhibenda moderatio, quæ uſquam. Et licet omnes, idem quod vos, ſentire & profiteri optem, tamen æquis animis ferre diſſentientes ſatius, quàm cum majore Reipub. turbâ exagitari. Tempora inſpicite, quibus parendum ſciunt prudentiores. Inveteratas opiniones ſinere, conſultius, quàm ut palàm fiat, prohibere vos velle, quibus exequendis pares non eſtis. Nihil magis periculoſum, quàm immatura medicina, adultis & prævalidis erroribus. ſuæ quiſque, quam à teneris imbibit, religionis amans eſt & tenax. ſi reſtiteris, contumaciam opponit. ut connivere melius ſit, quam calidis & tempeſtivis conſiliis ſuffodere ſacros iſtos ignes. Quamobrem nolim vos ingeri nimis Luſitanorum ſacris, aut eos cogi, ut noſtris ritibus ceremoniiſque adſueſcant. ſuos ſibi habeant ſacerdotes, & quam à majoribus accepére Eccleſiæ gubernationem. factioſos à modeſtis diſcernite. illos cohibete vel removete, hos retinete. ne ordini iraſci, ſed hominibus duntaxat videamini. ita invidia factis, odia animis decedent. Ea ge ti ſtat ſententia, perperam & malo more profanos ſacrorum ſe curis immiſcere, & cum re divina confundi res ſeculi. Nec quicquam eos efficacius movet, quàm ſacerdotum ſuorum autoritas, in quos rigidius hîc loci inquiri, turbidum & diſcriminis plenum. Ad criminationes & querelas hominum noſtræ religionis, non nimis

atten-

attendite. quiſque quam amplexus eſt fidem omnium eſſe vult, & ſub eodem cœlo & imperatore eadem omnes ſentire. hinc odia in diſſidentes, invectivæ in dogmata, & articulos, exilia, vincula, carceres, mortes. Vos multorum quieti magis, quàm paucorum libidini & immoderatiori zelo conſulite. ſic ſuperabitis aſpera & pax erit. Nec me diſſentientem habebunt, qui coërcendam pœna putant proterviam illorum, qui alienæ fidei & Luſitanorum cultui publico inſultant, conviтiis & probroſis vocibus ſacra ſacroſque inſectantur. cum acerbiores iis reddantur. & ſpreta adverſariis vehementiore præjudicio ament. Vos quid Reipub. ſtatus, quid pietas ipſa ſuadeat, diſpicite. Iamque ea recitaſſe mihi videor, quæ factorum meorum regulam eſſe volui, & porrò veſtrorum eſſe velim. His conſiliis ſecuritatem imperio, gratiam & bonam famam mihi domi foriſque acquiſivi. nihil venale, nihil pervium donis ſinite. honeſti iter tenete, nec pateant limina, aut avaritiæ & ſordes, aut adulationi in bonorum perniciem. conſcientiam magis, quàm famam veriti, maledictis & ſugillationibus conſtantem & infractam virtutem opponite. aliorum conſilia ſpecioſiora fortè primo aſpectu videbuntur, hæc mea uſu meliora comperi. Inſitam ingenio meo facilitatem & lenitatem incuſent qui volent, dum me non pœniteat, nec vos. Hæc aliaque prudenter

denter in commune conſuluit Naſſovius, ne deſtituta tanti rectoris auxilio Reſp. vel vi vel malis artibus turbaretur.

Series omnium Edictorum, quæ imperante Naſſovio promulgata fuere, adverſus prævaricantes.

Nec alia ex re magis prudentiam imperantis & auctam Reipub. majeſtatem roburque agnoſces, quàm ex iis Edictis, quibus frenare libuit peccantium effrenem & multiformem libidinem. Ea in compendium ſtringam, priuſquam Braſiliam deſerat, qui primus Naſſoviorum BRASILIANVS nuncupari meruit. Non invertam tempora. ſua ſerie recenſebo Aſtrææ voces & ſeveri carminis leges, quæ nec nullæ fuere, ne perfectiſſimam putemus Rempub. nec nimiæ, ne ſemper corruptiſſimam. Ante annos ſeptem, cum ab expeditione terreſtri in Portum Calvum redux Naſſovius ad ordinandam Rempub. ſe componeret, illud evenit, ut profugorum mercimonia, quæ ſilvis latebriſque abdiderant, quiſque quo eſſet habendi ſtudio & ſolertia ſua faceret. Facta civibus poteſtas in Olinda quam pro deſerta habuerant priores, novas domos condendi. & collapſas reſtaurandi, interdictumque ſeverè ut de transferendis aliò ruderibus, lignis, lapidibus, ferramentis abſtinerent. illis lex oppoſita, quâ cautum, ne quis ſibi illa vendicaret, ſed ad Braſiliæ rectores deferret, indicta capitis & bonorum pœna, qui ſecus faxint. cum illa non privati eſſent peculii ſed publici, nec avaritiæ ſingulorum obvia pabula, ſed Reipub.

De reconditis mercibus.

De Olindæ ruderibus.

pub.

pub. compendia. at præmiis invitati, qui indicarent abdita & abditorum clandeſtinos poſſeſſores. Prohibitæ demolitiones veteris Olindæ, ne metropoli Pernambucenſi omne decederet decus, & de reſtauratione prorſus deſperaretur. quin facta civibus poteſtas novas domos condendi, collapſaſque reſtaurandi. Pulſis extra fines hoſtibus, partaque indigenis ſecuritate, pronunciatum ſeverè fuit in prædones & populatores, factaque licentia civibus, armis ſe tuendi, in vindicias ſtius legis, quam natura hauſimus, non didimus. Ne verò ritus ſacrorum per adverſa culti, per proſpera obliterarentur, juſſi ſunt circa ſacra negligentiores, Sabbathis reverentiam debere, ipſiſque mancipiis vacationem ab opere facere. Non ignorabat continentiâ contineri militiam, incontinentia ſolvi. quare vetitum, ne miles ſtipendia alea aliiſque maleferiatis luſuum formis abſumeret. ne huncad facinora accenderet egeſtas, illum multæ pecuniæ rarior conſpectus in popinas truderet & voluptates, ferociamque & ardorem animi detereret. Militi rigidè interdictum, ne agrorum poſſeſſoribus aut pacato ulli graves eſſent, alienum pecus nemo raperet, aut læderet, ſua quiſque annona contentus viveret, nec perderet ea, quæ defenſurus venerat. Arces & caſtella pro munimentis imperii habere, vetus mos. Ea ut integra eſſent & ad arçendam hoſtilem vim idonea,

De prædonibus.

De Sabbathi obſervatione.

De alea luſu.

Militum graſſationibus.

De vallorum conſervatione.

ediсto cautum, ne per ruinas & collapſa imbribus propugnacula niterentur cives aut pecus agerent. Vt mercantium fraudibus obviam iretur, juſſi ſunt omnes merces ſuas, antequam in naves deportarentur, in ſyllabos publicos referre. Milites auctoratos, qui in procinctu ſub ſignis non erant, ſed per municipia deſides vagabantur, rigida voce ad ſigna ſua revocavit Comes; vetitique cives detinere ac morari iſtas pecuniæ publicæ inutiles hirudines. Cum Hiſpanorum Dux Soutius fines Belgarum invaſiſſet, non multo milite, ad latrocinia potius quàm bellum comparato, mandatum indigenis, aqua ipſi & igni interdicerent, ni perduelles haberi & hac culpæ ſpecie luere cupiant. In ipſum Soutium promiſſa ingens pecuniæ vis iis, qui vivum vel mortuum occuparent. Permiſſum incolis, uti deſertos per belli incommoda & graſſantium procellas, agros, prædia, domos, ſibi quiſque vendicaret & habitatum excultumque iret. Provincias adminiſtrantes, tum qui civibus, tum qui militiæ præeſſent, juſſi quietem præſtare paganis nec poſſeſſoribus eſſe metuendi. edicto de reſtauranda Olinda, quæ neglecta in ruderibus jacuerat, ſævientibus in propinquo armis, pronuntiatum ad populum fuit. Tunc menſuris ponderibuſque lata lex injuſtitiæ ſtudium proſcripſit, revocataque æqualitas rerum & preciorum, quam inverterat dudum multorum improbitas

De mercantium fraudibus.

De militibus vagis.

De hoſtibus latrocinantibus.

De præfectis graſſantibus.

De reſtauranda Olinda.

De ponderibus & menſuris.

bitas

bitas. Et ut nitidè viveret exculta gens & patrii ſoli elegantiæ eſſueta, purgamenta præſcripta in hebdomades fuere ſtricta lege. Popinarum frequentationibus permiſſæ horæ, nec ultra has conceſſæ. at per cultus divini tempora nefas habitum litare ibidem Baccho & gulæ. Vt vitæ humanæ inter homines ſua conſtarent precia, vetitæ pugnæ ſingulares & provocationes ad certamina, ad quæ barbaræ & ſanguinariæ gentis exemplis invitabantur noſtrates. Coercita quoque inſequente anno legibus militarium in ruricolas violentia, quibus tutus eſſe debebat fundus & ager. etiam de Farinæ plantatione lata lex, & panum, in famentium gratiam, pondere, ut & de monetæ valore mercantium bono. Imperatæ quadrageſimæ bonorum immobilium, prohibitæ chartæ in famam civium injuriæ, invigiles & excubitores maledicta, nocturnæ curſitationes armatornm clavaſque ferentium, peculatorum & æraria fraudantium ſubdolæ artes, ut & eorum, qui Nigritas bello captos, pro ſuis habent. De pecorum captura, in qua annonæ pars maxima vertitur, multa utiliter pronunciata. ut & de tranſmittendo in hoſticum commeatu: de pontium & viarum curatione, de navium ſtationibus, deque agendis per cives excubiis. Cumque ingenioſa mercatorum induſtria mille modos comminiſcatur fallendi reditus publicos, interdictum, nequis, non conſciis ad

De purgandis viis & plateis.

De popinarum frequentationibus.

De certaminibus ſingularibus.

De farinæ plantatione.

aliiſque.

eam rem conſtitutis, noctu vel interdiu ve-
ctorias naves conſcendat aut mercium quid-
quam in eas deportet: effecit rei cibariæ ino-
pia, ne liceret è Reciffâ aliò transferre victua-
lia, niſi gnaris iis ad quos iſtæ res pertinent.

De debitoribus.

Tardis ad expungenda nomina debitoribus,
juſſi ſunt, qui in ære Societatis erant, profite-
ri. Nec quies erat ſubditis ab expilatoribus,

Expilatoribus.

qui quæſitis prætextibus incubabant fortu-
nis miſerorum, primores licet populi eſſent
& juris vindices. horum crudelitatem & ava-
ritiam publica quoque autoritas terruit, fa-
cta civibus venia apud Comitem & Senatum
querendi. Prima, inter tot nefarios vivente
Naſſovio, Numinis cura fuit, de quo uti op-

De Blaſphemis.

timè exiſtimare, ita & loqui pietatis eſt. ideò
adverſis religioni & in Creatorem ſuum & ſa-
cra omnia petulantibus impoſita ſilentii fi-
bula, ejus ſupplicii metu, quod in ipſam lin-

Aliis ſceleribus.

guam iret. Nec impunè fuit illo imperante
inceſtuoſis, adulteris, & in concubinatu a-
gentibus, quibus pro delicto riguere pœnæ.
Decimas ex ædium locatione exegit, ordina-
vitque legibus architectonicam. machina-
rum bellicarum exploſiones prohibitæ die-
bus Deo ſacris: etiam operæ mercenariæ il-
lorum, qui apud Societatem merent. ne dum
gemina mercede gaudent, bis malè ſerviant.
Illud grandibus de cauſis viſum Comiti, ut
quotquot ſui juris hic ſedem figerent, cenſe-
rentur, relatis in matriculam ſive Indiculum
nomi-

nominibus, ne hoſtibus ad proditionem paterent urbes, aucta clam ſubeuntium multitudine. Saccharorum inſuper decimæ & pondera definita. prius in publicos, poſterius in privatos mercantium uſus. Creſcentibus aureæ monetæ preciis & æruſcatorum audacia, vetuit pecunias accipi, niſi ad trutinam, ut Europæis reſponderent Braſilianæ. Vigentibus hîc rebus, fugatis hoſtibus, excuſſo indigenarum cervicibus Hiſpanorum jugo, Luſitanis in novum Regem jurantibus, mutato Africæ, Aſiæ, Americæ domino, & fatiſcente, quam dudum agitaverat Hiſpanus, unius dominatione, Comes, ut in tantorum beneficiorum autorem reflecteretur, per provincias omnes diem Deo dicavit, quo immenſa ejus erga nos bonitas & clementia publica voce paſſim prædicaretur. Erant non longè à Reciffa ſilvæ, quæ ligna ædificantibus ſufficiebant. Eas cædi à civibus noluit, ne ad publicas neceſſitates aliquando deeſſent. Citati coram Senatoribus, quorum bona fiſco debebantur, ut tranſigerent, cavillantibus reis & ſubterfugia quærentibus. Surgebant jam novæ urbis Mauritiæ in inſula S. Vazii mœnia. in quam curam incumbens Comes, depreſſa extulerat, evecta æquaverat, plateis ſpatia diſtinxerat, munitione urbem cinxerat. Huic ne deeſſent civium ſtudia, placuit iterum negligi Olindam, longius à portu remotam, & ædium novarum fabricationem

De æruſcatoribus.

Dies Euchariſticus Deo dictus.

De cædendis lignis.

 hîc

hîc imperari. Intererat quietis publicæ, ſi non opinionibus, ſaltem animis aliquà coaleſcere tot diſparis fidei populos. Quod ut ſperari poſſet, indictæ iis graviores pœnæ, qui Iudæos contumeliis ac ludibriis inceſſerent, gentemque non docerent meliora, ſed protervè laceſſerent. Ibat avaritia in mancipia & Æthiopas, quos ſubducere occultè alter alteri cum ſtuderet, voluere Comes Senatoreſque, ſuis quæque dominis reddi nec teneri ultrà à malæ fidei poſſeſſoribus. Hoc à pietate erat, Orphanorum haberi rationem. quare conſtituti in hanc rem Quatuor-viri, qui optimis legibus miſerarentur eos, ob opibus, parentibus, cura ſui deſtitutos. Horum ſe patrem tutoremque ſupremum profeſſus Naſſovius, minimè alienum ab Illuſtriſſimis viris putavit, genuinum illud & omni theologorum diſceptatione ſanctius, Chriſtianæ fidei opus. nec armis ſolum tueri adultos voluit dux, ſed & imbellem infantiam pater. In reliquis caſibus poteſt in tempore ſubveniri. at cum pabulatio & annona in neceſſitate remedium non habeat aliud, quàm ut anteà habeatur; ſæpius iteratà fuere edicta, de Mandiocæ plantatione, farinarum cultura, venditione, avectione, precio; ne per incuriam rei frumentariæ laboraret aliquando Reſpub. aut hoſtibus paterent munimenta. Illud ſubditis ſolatio fuit, quod piſcaturæ jus ſingulis conceſſerit, præterquam iis in lo-

De mancipiis ſublatis.

De Orphanis.

De mandiocæ plantatione & precio.

De piſcatura.

cis, quæ vel ære redemerant conductores, vel ſepibus incluſerat privatorum ſollicitudo. Mercaturæ præcipua vis in ſaccharis erat & molendinis. ideoque plurima ſuper illis ex uſu omnium ſancita fuere. Nec inter poſtremas Comitis curas fuit Scholarum inauguratio, formandæ & erudiendæ juventuti. non ut invitis Luſitanis perſuaderentur nobis credita, ſed ut cultum induerent, qui ad humanitatem omnem & morum elegantiam præformat. Hoc ad ſtabilimentum imperii non parum facit, ut non miles ſolummodo, ſed & civis arma ſciat tractare, cum non indocta rudiſque multitudo, ſed ars & exercitium in bellis valeant. Voluit ergo & his Comes armorum doctrinam demonſtrari, nec abeſſe à ſignis quenquam, cum ea oſtendenda ſunt & in propatulum ducenda. Arma junioribus & imbelli ætati noluit divendi, nec ab iis geri, qui per ætatem inhabiles. Quin, ut agrorum populatoribus nocendi inſtrumenta ſubduceret, vetuit à Luſitanis arma emi, aut ea domi haberi, iis exceptis, quibus indulſerat Comes. Huic fini decreta armiluſtria, juſſuſque civis ea apud Comitem deponere, ne vel neceſſaria deeſſent militi, vel non neceſſariis abuteretur non miles. Tum ne eſculentorum & poculentorum precia pro cujuſvis arbitrio in immenſum creſcerent, determinatum de valore fuit iſque adhibitus modus, qui inter nimium vendentium cupi-

De ſaccharis.

De Scholis.

De armis civium.

De annonæ valore.

ditatem, & anguſtiam nimis & tenacem ementium avaritiam medius eſſet. Exacta quoque ad rigidius examen actuariorum fides, nec ratæ habitæ illorum tabulæ, niſi auctoritate publica firmatus eſſet ſcriptor. Hæc aliaque Braſiliæ faciem, certa & incerta imperii tranſmarini, inſtabiles civium fortunas, hoſtium apertas & occultas inimicitias, pronas in flagitia hominum mentes, tantæque gubernationis labores viceſque exhibent. quibus malis, quoad per humanam prudentiam licuit, legibus occurſum fuit. quarum neglectu fomenta ſubdita & alebria improbitati: at integris, utilitas ſingulis fuit & omnibus ex voto.

De Notariis.

Supereſt, ut abiturienti Naſſovio ſuos faſces colligamus & imperii omnis Braſilienſis formam ordinemque monſtremus legentibus. ut quali induſtria adverſus hoſtium & ſcelerum vim, diverſorum populorum mores & ſtudia, in alio Orbe perſtiterit inviolabilis, ſciant rerum iſtarum avidi. Nec enim dubitare velim quemquam, quin hæc prudentia ſecuritati & gloriæ publicæ fuerit neceſſaria & conveniens. Facilius quoque tantæ gubernationis in unum contracta ſpecies obverſabitur animis, quæ ſparſim & per partes viſa, fugit oculos & mentem. Imperium hoc omne pars eſt imperii Potentiſſ. Fœderatorum Belgii Ordinum, qui poſtquam ob violatas Reip. leges, ipſo jure Principatu exdiſ-

Imperii Braſilienſis ordo, modus, gradus.

diſſe Philippum Hiſpaniarum Regem pronunciaviſſent, non ſolum ſua domi tutati ſunt; verùm quod Hiſpania terris hiſce immiſerat bellum, ipſi repoſuerunt, & ad ultimas Indorum, hinc Orientalium inde Occidentalium terras navigavere, & cum commerciis arma miſere. Etiam in Braſiliam, ubi inclita Belgarum virtus, Societatis novæ opibus nixa, adverſus eundem, qui hîc, hoſtem emicuit. Hæc ipſa Societas, velut Optimatium forma, Rempublicam iſtam geſſit & per Novemdecim-viros peregrinum imperium ſapientibus conſiliis flexit. Neque tamen ſine Principatu. Nam ſublato illic Regis & Pro-regis nomine, quorum auſpiciis olim res gerebatur, legitimum imperium accepit Illuſtriſſimus Mauritius, Præfecti appellatione. penes quem ſumma eſſet terra marique poteſtas. Eam ratam habuere Fœderati Patres, Princeps Auriacus & Societatis rectores. Hujus muneris fuit, Præſidis Braſiliæ titulo ipſos Supremi & Secretioris Concilii Senatores moderari, de bello & Reipubl. ibidem negotiis decernere, gubernatores provinciis arcibuſque imponere, novas condere, veteres demoliri, ſacra religionemque noſtratium publicam tueri, ut & jura civium, æraria, dominia, redituſque Societatis, honores dignitateſque tum fori, tum militiæ, in optimos conferre, militi præſidiario ac in bellum miſſo imperitare, criminum pœnas remittere, ad

Fœderati Ordines.

Novemdecim-viri.

Præfectus Braſiliæ.

Supremus & Secretioris Concilii Senatus.

eam Procurationis normam, in quam ipſi rectores Præfectuſque conſenſerant. Verum quanto plura agenda Imperatori erant, tanto magis prudentibus viris eguit ad gubernationem. ut licet unius autoritate geri poſſent omnia, non potuerint unius labore & providentia. Quod alienum ab exemplo veterum Principum non fuit, qui licet maximis virtutibus ſubnixi eſſent, tamen in partem curarum uſu optimos advocavere. Naſſovio ad intima conſilia additi Senatores non multi, tres quatuorve, Supremi & Secretioris Concilii dignatione. qui cum Præfecto de bello, mercatu, condendis legibus, earumque in dubiis interpretatione, ac totius adeò Reipubl. adminiſtratione in commune conſulerent, ad quos civium poſtulata, querelæ, poſt minorum ſubſelliorum voces poſtremùm devolverentur: qui maris quoque rebus & præfecturæ intervenirent, claſſium ratiumque apparatus curarent, onera ad publicam neceſſitatem imponerent, magiſtratus provinciales & urbanos ex nominatis eligerent, arcium & armamentariorum fabricationi vacarent, apud quem & Comitem urbium & pagorum controverſiæ aliaque magni momenti diſceptarentur. Præter hos & ſub his inſtitutus Senatus Politicus, tredecim primum, mox Septem-viris conſtans. quem & Iuſtitiæ conſeſſum poſt appellavere. Hi civium jura defendunt, pecuniariis & capitali-

Senatus Politicus.

talibus judiciis præſunt, de litibus, poſt appellationes, juxta Romanorumleges & Belgii morem pronunciant. Atque hi Senatores perpetui, nec niſi perrectores Societatis mobiles, ſalario gaudent. At provinciis ſingulis ſuus quoque Magiſtratus eſt, qui ſui territorii urbes pagoſque imperio tenet. Hujus Senatores Electores dicti, & Scabini mobili ſunt dignitate & ſalarii expertes. Apud quos accuſatorum publicum munus non ſine imperio obeunt illi, quos Scultetos, Prætores vel Balivos vocant. Eſt præterea Collegium Rationalium, quod Societatis æraria regit, rationeſque communes, ut & fiſci, diſpungit. Hos eligi placuit è Senatorum politicorum numero, quoties ſe iſto munere exſolverent. Eorum duo, ſunt enim quinque, theſaurarii officio annuis vicibus funguntur. Eſt &, qui maris dominio, Vice-Præfecti appellatione, ſub Naſſovio eminet, & claſſib⁹, navarchis, totiq; nautico ordini imperat. Cumq; res Braſiliæ naviũ ultrà citràq; miſſitatione magna parte gerantur, præſcriptæ illarũ gubernatorib⁹ ſuæ partes, ſive navigandum claſſibus, ſive ſingulari rate foret; ſive Societatis ſive privatorum commodo; ſive pugnandi cum hoſte daretur copia, ſive non; ſive in anchoris ſtandum; ſive promovenda navigatio. Etiam imperatum, quid facto opus, quoties ſe in coſpectum darent naves aliæ, quoties tempeſtates rumperent navi-

Magiſtratus Provinciales.

Collegium Rationum

Vice Præfectus maris.

navium ſocietatem, quoties ad colloquia Superiorum admitti cuperent ejuſdem claſſis ſocii; qua morum diſciplinâ, quo demenſo dietim vivendum navalibus, quæ adminiſtranda inter efferos juſtitiæ ratio, lex, modus, quibus occupari & quando ſacris debeant & quo ritu, quis obſervari in perſcribendis analibus ordo, quæ in defunctorum dignitates ſuceſſio, quomodo habendi captivi hoſtes, diſtribuenda ſpolia, qui & qua cautione ſubeundi portus, quæ eligendæ ſtationes. de quibus omnibus, prout ſe res dant, diſpicere, nautici eſt Senatus. Eccleſiaſticæ gubernationis eadem, quæ in Belgicis Eccleſiis, forma obtinent. Suprema in illam imperia ſunt penes Comitem & Senatores ſecretioris Concilii. quorum eſt hanc quoque navem ſuis jactatam fluctibus, ſuis impetitam hoſtibus, ſuis laborantem vitiis moderari. Synodorum major, quàm Claſſium, & harum major, quàm Preſbyteriorum autoritas. Synodorum decreta abſque Rectorum Societatis ſuffragatione rata non fuere. Eas habere nefas, niſi congnitis primum deliberationū momētis, ut diſpungi poſſint & min⁹ neceſſaria & minus utilia. Adſunt à Comite ac Senatu delegati, ob arctiſſima Reip. & Eccleſiæ vincula, & communem boni maliq; ſenſum. Verbi divini præconibus imperata animarum ſeria & flagrans cura, barbaros doctrina vitæquæ rigidioris exemplo invitarent,

Senatus nauticus.

Eccleſiæ regimen.

Synodi. Claſſes. Presbiiteria.

Verbi divini præcones.

rent, fidei Chiſtianæ ſaluberrimo ſucco imbuerent, ea loquerentur & eo ordine, qui convertendis gentibus conveniens eſſet: præmitterent naturam, ſubmitterent ſcripturam, ut facilius crædant ſcripturæ, diſcipuli facti naturæ. Darent documenta, non veniſſe, non pugnaſſe, non viciſſe noſtram gentem, ſordidi lucelli aut dilatandæ dominationis ſtudio, verùm æternæ potiſſimum tot in tenebris palantium felicitatis amore. Iuſſi non ſatagere rerum Curiæ, non de fabis aut calculo eſſe ſolliciti, non ſervire ambientibus, verum ſtare intra ſacros limites, & de rerum Eccleſiaſticarum ſtatu, gentiumque converſione, ſæpius ao Sectores perſcribere. non quod indigni illi eſſent de rebus civilibus loqui, ſed quia indignum ipſis, talibus inſiſtere: quippe qui in potioribus occupari debebant. Iuſſi quoque Dominis per humanam imbecillitatem peccantibus non iraſci publicè, aut nominatos objectare vulgi contumeliis, ne aut vileſcat regentium autoritas, aut ſeipſam redarguat calida, præceps & bilioſa reprehenſio. Illibatam quoque voluit eſſe ſacro ordini venerationem, & à protervia & procacibus peſſimi cujuſque linguis pœnarum metu tutam. Temerè illos ſubmoveri de navi in naves, aut de pago in pagos trudi noluit, niſi ex Magiſtratus & primorum Eccleſiæ conſenſu. Navibus vectos aut arcibus impoſitos imperantum menſæ accumbere dignè cenſuit, ne in-

Eorum officia.

inter gregarios contemptui eſſent, & ſpiritualium ſeminatores honeſtæ alimoniæ egerent. Pontificiam religionem his cancellis circumſcriptam legi. Vicarium, epiſcopum, ſuffraganeum cum imperio hic nullum agnoſcito, aut exterorum cuiquam obedientiam debeto, aut conſilia cum illis agitato, aut ſubreptitias pecunias ſubmittito. Quotquot preſbyterorum vivere ſub imperio Belgarum cupiunt, juramento ſe fidelitatis Comiti Senatoribuſque alliganto. nec ordinationem ab Epiſcopo Bahienſi expectanto. Qui fines noſtros abſque ſalvi conductus litteris ſubibunt, captivitatis jure tenentor. Nemo matrimonia conciliatore Presbytero inito, pœna exilium vel mulcta trecentorum florenorum eſto, nec liberi hæreditatem adeunto. religionis ſuæ ſacra intra templorum parietes, non foris per compita obeunto. Eccleſiaſtici reditus Societatis ſunto, & in pios uſus Scholarum, templorum, Noſodochiorum convertuntor. Liberum illis eſto ſentire, quod volent, & eloqui ſine offenſa quod ſentiunt. Iudæis & abramidis hæc poſita repagula: novas ſynagogas ne ædificanto. nulli Chriſtianam uxorem ducere, aut concubinatu poſſidere faſt eſto. neminem à Chriſto ad Moſen, ab Euangelica libertate ad legis onera, à luce ad umbras avocanto. Sacroſancto Ieſu Chriſti nomini ne maledicito. In cenſu proxenetarum tertiam partem ne ex-

Pontificiorum cancelli.

Iudæorum repagula.

cedunto. mercando neminem fraudibus circumveniunto. Liberos ex altero parente Iudæo, altero Chriſtiano natos. iis defunctis, Chriſtianis conſanguineis educandos tradunto. his deſtituti Orphanotrophiis, ſi pauperes ſint, ſin divites, Secreti Cconcilii Senatoribus curæ ſunto.

Paulò aliter ſe Africana imperia habuere in Angolenſium regno & Inſula S. Thomæ. Quanquam enim uni præfecto primum paruerint, mox tamen ex ſententia primorum Societatis abrogata unius poteſtate, collata hæc duobus fuit. Diviſâ namque per Æquinoctialem Æthiopicâ orâ, alter partem Borealem, ubi Mina aliaque Societati poſſeſſa loca, tenet; alter partem Auſtralem, quæ Loandam Metropolim oſtentat & inſulam S. Thomæ totumqe littorum tractum, ad Caput uſque Bonæ Spei, imperio complectitur. Illis dein tertium addidére. Hi, partitis inter ſe vicibus, curant Remp. & ea quæ juris ſunt, rationes adhæc redituſque & commercia. ea lege, ut alter alterius teneatur culpam præſtare, quod providè cautum, ut arctius fide in Societatem, amicitiâ inter ſe jungerentur. Religionis cura penes Eccleſiaſtas fuit, quibus mandatum, uti gentium linguas addiſcerent, mores, indolem, ſtudia cognoſcerent. mox Chriſtum loquerentur gentibus, Pontificiis purius. Militaris poteſtas penes unum, dein penes illos ipſos Directores fuit. hi militiæ

Imperium Africanum.

tiæ ducem, Capitanæi aut præfecti titulo, imponunt. qui teſſeram à Directoribus accipit & de excubiis cuſtodiiſque ad ipſos refert. illorum muneris eſt, arcibus turribuſpue caſtrenſibus ea loca tueri, quæ mercatu aliquo vigent, à commeatu iis proſpicere in ſemeſtre, fœderibus cum Rege Congenſi aliiſque Principibus ſe innectere & aulis puriores de Deo & Chriſto ſenſus inferre. Ita credita ubique pluribus & optimis Reſpublica fuit; qualem ſapientiſſimi ſemper laudavere, & exempla nobiliſſima veterum & recentiorum probant, quaque maximè floruiſſe Romanos multis creditum. Iſte ordo imperio Braſilienſi ſub Comite fuit, cujus admirabilis cum Societatis rectoribus concordia, dum & ipſe mandatis illorum obſequitur, illi viciſſim ipſum amant & reverenter, res Braſilienſium è parvis initiis ad maxima incrementa provexit.

Comitis cum Societatis rectoribus concordia.

Comes Mauritius Paraybam abiturus ſuis valedicit.

Stabat in Paraybæ littoribus procincta claſſis, quæ Mauritium reveheret, maximo & illuſtri apud Braſilianos imperio defunctum. Is Mauritiopoli abiturus valedictionum officia pari humanitate erga Rectores & cives, navalis & terreſtris militiæ, explevit: relicto ibidem incredibili ſui deſiderio, quod ſecutæ mox calamitates tantopere cumulaverunt, ut res ab ipſo omni circumſpectione geſtas, nemo jam dubitet honorificentius decentiuſque enarrare. Tum militari more explo-

explosis undique, quà ibat, tormentis & civium militumque fiſtulis, intonuit fragore cœlum & pontus omnis. nempe ubi popularium faustæ apprecationes deſiere, longius diffuſus machinarum clangor extendit vota publica & inſequentem Reipubl. favorem: Commotæ urbes & oppida, pagi & rura: Ingenia paſſim & Aldeæ ingenti multitudine confluxerant, ut cujus imperia æqua ſenſerant, ejus ſe abitu tangi teſtarentur. Videre erat pauperum divitumque, ſenum ac juvenum turbam mixtis agminibus nunc prævertere, nunc inſequi, modò cingere diſcedentem, & murmure, acclamatione, lachrymis, benevolentiam profiteri. quod & obſervatum in Luſitanorum pluribus, quibus memoria moderationis Naſſovicæ & indulgentiæ in ipſos altius inſederat. Scenæ omnis facies non læta ſed triſtis erat, aliis patris, aliis domini, aliis patroni appellatione fauſta voventibus: quibuſdam ſolatium erat dexteram; quibuſdam paludamentum tetigiſſe: idem omnibus dolor, defixis in Comitem oculis: nec diſcerneres inferiorum aut Superiorum, virorum fœminarumque dejectos vultus. Erant, qui concidiſſe res Braſiliæ clamitabant, & vix quicquam ſpei reliquum. idque promtius audaciuſque efferebant, quàm ut meminiſſe reliquorum imperitantium crederes. Comitabantur cives centum, equis vecti ad pagum uſque Paratibi & Igua-

Confluxus itineri apprecantium.

razu. Prætores & Scabini paganorum profecti in occurſum obnixa comitate & veneratione venientem excepere & Paraybam uſque decenti ordine deduxere. Nec quies erat abeunti à libellis ſupplicibus Luſitanorum, Braſilianorum, aliorumque, quibus res ſuas quiſque Fœderatis Ordinibus, Principi Auriaco & Societatis primoribus tradi ſpecioſè cupiebat. Paucis ante diebus Rex Tapujarum Iohannes Wy ſive Iandovius, filiorum ſuorum tres, comitantibus ex eadem gente viginti, ad Naſſovium ablegaverat, ſciſcitatus abitionis cauſſas, urgenſque manſionem diuturniorem, & annonæ, quantum ſatis eſſet Comiti domeſticiſque, liberaliter pollicitus. Barbarorum duo cum Mauritio in Hollandiam iter capeſſivere, ignotas terras, ſidera, populos viſuri. reliqui leviculis donariis, qualia ſunt cultelli, ſecuriculæ, ſpecilla, Barbarorum oblectamenta, honorati, domum ſe ad Regem ſuum recepere. Quatuor alii è gente Carapatarum & Waypebarum, (qui Majotum Palmarium jam nuper receſſus invaſerant & latitantem illic prædonum colluviem deleverant) Comites quoque Naſſovio eſſe voluerunt, ſuo adjuti interprete. Braſilienſium natio è ſuis quinque legavere. qui unà trajicerent, viſendi Belgii Principiſque Auriaci (quæ ſola inter ipſos eminet appellatio) cupidine, relaturi ad ſuos de regionum noſtrarum ſtatu & moribus.

Rex Tapuiarum filios ad Comitem mittit.

Traiiciunt unà Tapuiæ aliquot.

Ete-

Etenim familiare erat Luſitanis illas vilipendere, tanquam prædatorias & piſcatoriis aliquot ſcaphulis inopiam ſuſtentantes. Tam accenſa apparebant Braſilianorum in Comitem ſtudia, tanta teſtandi affectus in ſingulis ſtudia, ut ipſi humeros commodaverint, & retruſis, velut æmulatione, Belgis, ſublatum è littore per medios fluctus & æſtuaria, ubi Margaritæ Arx eſt, ad ſcapham pertulerint, immani vociferatione, ſuo more & lingua Vale ingeminantes. Scilicet, ſupremum officium honoremque arbitrabantur, cervicibus ſuis portare, qui omnium fortunas ſalutemque dudum ſuis portaverat. At nunc maximè eminuit iſtorum hominum in Comitem pietas, cum poſtero die, exactâ in littoralibus nocte, magna uxorum & liberorum comitante caterva, in lembos & vectorias impedimentorum rates glomeratim infunderentur, velut cum ipſo omnes navigaturi & eadem maris viæque diſcrimina abituri. At hos, ne iter intempeſtivis officiis interturbarent, rogabat, & mollibus oportuniſque verbis mitigatos & munuſculis decoratos, in littus lacrymantes ſingultienteſque remiſit. ſe affectus tanti experimenta exoſculari, nec immemorem unquam propenſiſſimæ in ſe gentis fore, profeſſus. Sic vela fecit, cum triceſimus ſecundus Majo illuxiſſet & ſecuritatem navigantibus ſerenior promitteret. Claſſis, qua trajecit, navium erat tredecim, à machi-

Comes à Parayba littore ſolvit.

Ann. CIϽ IϽCXLIV. May xx ii. nis, navalibus ſociis & milite adverſus vim inſtructa, mercibuſque ejus ſoli, in Societatis & privatorum lucra, onuſte. Remeavere cum Comite plures, politici, Eccleſiaſtici; militaris ordinis viri, vel muniis ſuis defuncti, vel quod abeunte ipſo morari hic diutius durum videretur. abeuntium numerus mille & quadringentorum erat, quà militum, quà navalium, quà viatorum & caſtra ſequentium. Equos aliquot Braſilienſis proſapiæ & ſanguinis unà tranſvexit. Quin & exotica multa, quæ hic Batavi rara nec viſa miramur, exuvias quadrupedum, piſcium, avium, utenſilia Barbarica, arma, redimicula, pilea in Belgium tranſtulit. quæ cuncta non habuit ſibi ad propriam delectationem tantum, ſed & ad uſum & voluptates plurium. Teſtis eſt Theatrum Anatomicum apud Leidenſes, in Batavis. in quo, velut in Faviſſis Capitolinis haec ipſa hodie viſuntur, dono & munificentia Naſſovii. ut non militiæ ſolum documenta apud Braſilienſes depoſuerit, ſed in Belgium reverſus in litteratorum porticibus tot naturæ oſtenta, Phyſicorum & Medicorum adjumenta & præſidia ſuſpenderit. Præterquam, quod picturis exhiberi & tapetibus intexti illa in longam poſterorum memoriam voluerit, ut corruptis rebus exſtarent ſimulachra eorum, quæ Orbis iſte admiranda habet. Atque hæc in illuſtri Palatio, quod Hagæ Comitis è marmore condidit, ad Aulæ in-

ingreſſum, ſpectare eſt, præter artis opera plurima, quibus ab ebore & elephantinis dentibus precium eſt & admiratio. Mercimoniorum, ſacchari, lignorum, eboris, auri Africani, tabaci, tragematum, coriorum, ſive publicæ ſive privatorum eſſent merces, copia in navibus erat. quæ cuncta vicies ſex centenis millibus florenûm æſtimabantur. 2600900. Oceanum denuò emenſus & Æquinoctiorum lineam, quam non rerum gerendarum ſed geſtarum teſtem habebat, in Texelæ portum incolumi navigatione perlatus, exſcendit. *Comes Texelam Hollandiæ portum appellit.* Sed afflixerant proficiſcentem maris incomoda; ut æger atteneretur in Helderæ pago ubi refectioni ſuæ ſtuduit & valitudine firmior peragratis aliquot Hollandiæ urbibus Hagam devenit. Hic reducem excepere cognati Principes, Fœderati Ordines & Societatis rectores. *Excipitur à ſuis.* qui gratulati reditum, gratiis actis, ingentia merita & imperantis officia agnovere. At Comes ſalutationum ritu defunctus, non uno conventu apud illos de rebus Braſilienſibus imperioque omni, præfecturis, proventibus, incolis, milite, claſſibus, diſſeruit, & quæ opis, quæ correctionis egerent, aperuit. Aliis & jam anteà nobis dicta referre, ſupervacuum fuerit. *Braſiliæ Status referente Naſſovio.* ut quibus provinciis diſtinguatur Braſilia, qui ejus proventus redituſque, quibus arcibus defendatur, quibus qualibuſque populis habitetur. Verùm excerpam è narratione Naſſoviana

nondum ſcripta, quæque nec inamœna & ſcitu Rectoribus neceſſaria erunt:

Proventus ſacchari quantus olim fuerit.

Saccharorum ex omni Braſilia olim colligebantur Arobæ decies centies mille, idque quotannis. Earum centies mille Regi in decimas cedebant. ter centies mille, ejus ſacchari, quod Pamelium ſive Panellas vocant, decimationi, ob vilitatem, exemptis. Nec permiſſum cuiquam, hæc ipſa aliò, quàm in Luſitaniam, deportare, nec niſi navibus ex Olyſippone, Portu Vianenſi, inſuliſque Tercera, Canaria, Madera egreſſis. Hoc fini à trecentis navibus, partim Galeonibus, partim Caravellis, (minus navigiorum genus eſt) frequentabatur. quæ vinis, oleo, farina, piſcibus ſalitis, lineis laneiſque pannis, ferro, ære aliiſque mercibus graves mercatum eò abibant. Ex illis annuatim ad dominos ſuos redibant miliones aliquot. qui reditus per Europæ tractus varios mercantum ſtudia & cupiditatem exercebant. Limites Braſiliæ, quæ Fœderatis paret, armorum felicitate aucti, à Flumine Regali, quod à Præfectura Bahienſi Seregippam dirimit, ad fluvium uſque Maragnonem extenduntur. Seregippa, ad littus miliaribus triginta duobus excurrens, addita primum Luſitanorum imperio fuit per Chriſtovannum de Barros Cardoſum, cui meritorum præmium, has ipſas terras, Seregippem & S. Franciſci flumen inter, donavit Hiſpaniarum Rex, eo jure, ut diven-

Seregippa.

dere

dere illas & partiri in colonos quos vellet fas ipſi eſſet. ea lege, ut intra præfixum à Rege tempus, colonias ibidem conderet. Fecitque hæc res, ut Bahienſium plurimi pellecti huc commigraverint, & exactis aliquot annis Ingenia fabricaverint quatuor, licet minoris precii, & armentorum ſepta quadringenta, & oppidulum, centum circiter ædificiis conſtans. At hæc bellis vaſtata, triſte ſui veſtigium reliquere, incolis dilapſis, & in Sanctorum Sinum propulſis. Quod reliquum erat pecoris, vel hoſti vel nobis vel tigridum voracitati ceſſit, uſque adeò, ut ob rariorem capturam, raro venatore adeatur. Hanc ipſam priſtino decori reſtitui poſſe, niſi immiſſis colonis, ſpes nulla eſt. hos acquiras nunquam, niſi tuta ipſis præſtetur habitatio, agrique donentur & fundus. Malè calculum ponunt, qui per Societatem hæc confici poſſe arbitrantur, & pecorum propagationes publica cura promoveri. cum nec ab hoſtium invaſionibus tuta ſit regio, & illa pecorum cura eventus ſit incerti, & ſi quàm optimè ſuccedat, vile eorum ſit precium, ob monetæ hac tempeſtate ſummam parcitatem. Quid, quod aſſerendæ provinciæ & equitum aliquot turmis & pedite aliiſque adminiculis opus foret, ſumptu minimum ſeſqui centies mille florenorum. metus adhæc eſſet, ne iſtarum rerum adminiſtratio pateret Curatori ad ſordes & iniquius lucrum, & in-

çolarum crudeles expilationes, uti recentibus exemplis conſtat. Quæ in montibus Seregippes, (Itoabouhanas vocant) deprehenduntur metalla, poſt crebra examina, nullius eſſe valoris compertum. primum reperta perhibentur, imperante hic Lodovico de Souſa, per Mamoluchum Melchiorem Dias. qui conjectis forte in micantes lapillos oculis, argentum ineſſe arbitrabatur, re ad Hiſpaniarum regem relata, Souſius juſſus aperire montium ſecreta & ſcrutari hoc arcanum, vanas ſpes perditique laboris nuntium Regi ſuo remiſit.

Pernambucenſe ſolum.

Pernambucenſis provinciæ ſolum, quantum ex aliquot retrò annorum meſſibus colligi potuit, fertilitate nulli orbis terrarum parti concedit. niſi ubi arenis omnia ſterileſcunt, aut ſaxis regent. Situ, opibus, incolarum frequentia & mercimoniis eminentiſſimum, ædibus, ubi urbes ſunt, publicis privatiſque, pontibus, turribus, propugnaculis ad uſum & cultum elegans & validum. paſcuorum ubertate luxuriat, boum armenta fert alitque ſine numero, vaccaſque corporum vaſtitate, lactis copia, cornuum pulchritudine conſpicuas. Agri, modò cultura adhibeatur, ſegetum feraciſſimi. In ſilvis avium & ferarum captura quæſtuoſiſſima, in fluminibus piſcium. Balſamis non unius generis rendet, oleis quoque herbis & radicibus medicis tutanda valetudine potens. Non niſi

octo

octo à littore milliaribus habitatur, quia ad importationem & exportationem aptiora ſunt littoralia. & qui primi exterorum coluerunt Luſitani, latius diffundere, ob paucitatem, colonos nequiere. etiam vim opponentibus Barbaris, ne longius iretur in mediterranea.

Molæ ſingulæ dominis, familiis ampliſſimis, mancipiiſque diſtinguuntur. Horum numerus ingens inter flum. S. Franciſci & illud, quod Grande vocitant, cenſetur eſſe tricies aut quadragies millium. qui ne fato diminueretur, quotannis tranſlata in ſupplementum fuere, Nigritarum terna millia, quos Afrorum littora, Caput Viride, Mina, Angola, Ardra & Calabaria miſere. Niſi per noſtrorum fuiſſet negligentiam & diſſolutiorem œconomiam, potuiſſet hæc regio ſibi ad alimoniam ſuffeciſſe. nunc ea laborat annonæ calamitate, ut pecoris abacti & malè habiti penuria, propediem Ingeniorum magiſtris & laboratoribus metuenda ſit ab omni opere ceſſatio. *Mancipiorum numerus.*

Illud maximè ſciri Societatis intereſt, quæ Imperii hujus vitia & mala, quæ malorum cauſæ, quæ remedia. In vitiis prima ſunt, paupertas & perfidia Luſitanorum, proventuum ex agris inopia, mercaturæ prolapſus & decrementum, ærarii publici & rationum conturbatio. quæ mala primitus contempta aliud ex alio velut propagine trahunt. Æs alie- *Imperii hujus vitia & defectus.* *AEs alienum.*

alienum, quo Societati privatiſque alligantur Ingeniorum Domini, immane eſt. in cujus dimidium Societas venit. nexis verò inter ſe Senatoribus, molarum magiſtris, mercatoribus, opificibus, ſellulariis, ob communes vitæ neceſſitates, fit, ut unius ruina aliam ductet & prior calamitas ſequentes involvat. *Perfidia.* Perfidiam gentis Maragnonenſes nuper illuſtri ſcelere prodidere. quæ etiam apud Pernambucenſes erupiſſet, niſi oppreſſa in herba malè cœpta evanuiſſent deſperatis nihil anceps horridum, ut quidvis tentaturi videantur, quo ſe expediant & nominibus Belgarum & imperio. *Proventus agrorum inopia.* Proventus præcipuus Mandiocæ eſt, Sacchari & Lignorum. illa, ſi copioſa eſſet, à perpetua commeatus miſſitatione ſublevare poſſet Societatem. eſſet copioſa ſatis, ſi agrorum culturæ in plurium uſus vacarent indigenæ, aſſueti ſibi & ſuis vivere, non aliis. Ab hujus penuria eſt, quod in immenſum creſcant ejus precia, ut qui modius viginti quatuor ſeſtertiis olim, jam non niſi decem florenis haberi poſſit. Hinc fit, ut neſcia timere plebes jejuna vaſtationes agrorum, Ingeniorum direptiones, latrocinia, furta cœptet, prodiga vitæ, ut vitæ conſulat. Huic malo remedia peti poſſunt & debent ab illis conſiliis, quæ à me ſuppeditata aliàs ſuffragationem publicam meruére. *Lignorum Braſilienſium ratio* Ligna Braſilienſia malè quoque tractari credam, cum nec de eorum cædendorum quantitate

nec

nec qualitate definitum ſit. quot, inquam, & quales arbores cædi oporteat. Contrà quàm à Regis Hiſpaniarum miniſtris factitatum. Per hos non permiſſum ultra decies mille quinctalium ſectionem facere. à noſtratibus ſterni videas arbores ſine lege, & modo. etiam tenellas adhuc nec adultas. ut mercatum hunc deleri ſit neceſſe, intercepta germinibus novarum arborum ſpe. nec occurras huic malo aliter, niſi ſeverè interdicendo, ut à teneriorum ſectione abſtineatur & ab adultarum nimiâ. Saccharo faciendis lucris nihil fructuoſius, præter tributorum, vectigalium, portoriorum ingentes reditus At ſi ſumtuum omnium, quîs Braſiliæ opus, ratio rigida ineatur, dubium, an accepti expenſique ſit futura æqualitas. Mercaturæ adhæc facies vigorque languet. nec enim ad mercatores Belgas ea redeunt emolumenta, quibus miſſas à Belgis merces penſent. Quamobrem vela colligunt, proxenetas ſuos ſufflaminant, mercimonia parcius tranſmittunt, nomina rigidius exigunt & impedita diſſolvi cupiunt. Dubia fide, nummos nemo exponit, niſi pignore caveatur. literæ collybiſticæ ob fraudes repudium patiuntur. unde argumentariam multi diſſolvere & foro cedere coacti, implicant ſocios mercium Conditoria vacuitatem ſuam lugent. ædium & agrorum precium uſque adeo eviluit, ut tertia pars priſtino valori deceſ-

Saccharū.

Mercaturæ facies.

ceſſerit. Nigritam nuper vix ducentis aut trecentis Regalibus parabilem, jam triginta, quadraginta, aut ſexaginta emas. Mechanicis otia ſunt, & rebus anguſtis militiam amplexantur aut in patriam remeant. Quibus malis niſi medelam acceleret Rectorum ſedulitas, ad ſummam calamitatem parum videbitur deeſſe. Ærarii & nummariæ rei ea poſtremo hoc biennio difficultas fuit, ut militi victus ſtipendiique demenſum ſtatis temporibus erogari nequiverit. nedum redimi debitorum tabulæ, quæ per ærarios jactura viceſimæ venum circumferuntur, grandi Societatis damno. Mala recitavi. nunc cauſas aperiam, ut mederi tutius poſſim. Luſitanorum paupertas, peſſimarum ipſis artium magiſtra, partim à bellis eſt, quæ non ſemel vaſtitatem fecere, partim ab ea perſuaſione, quæ ſpem ipſis fecit, fugam nobis & extrema omnia per Hiſpanicam claſſem parari. Hac fiducia animoſiores, Ingenia, agros, Nigritas, officinas mercati, quovis precio fuere, ſecuri qui ſolverent. Inſtitores inſigni levitate dominorum ſuorum res talibus credidere, & ex certa incertam poſſeſſionem fecére, ſtimulante lucri cupidine, quod de repræſentatis pecuniis præcidebant. Hæc ipſa excepere famulantium luxus, ſacchari vilitas, annonæ caritas, Nigritarum ex variolis obitus, agrorum neglectus, meſſium per prædones calamitas, vermium, quos *lagartas* vocant,

Rei nummariæ ratio.

Cauſſa malorum.

Paupertatis Luſitanorum.

cant, glirium muriumque populationes, inundationes & torridum ab æſtu ſolum. Quæ cuncta cum adverſa ipſis evenirent, nec expungere ſuo die nomina poſſent, pecunias magnis uſuris mutuas popoſcére, & litibus forenſibus impliciti, hac inſuper veſania fortunas ſuas attrivére. Vſuram tertiæ aut quartæ exigi in menſem conſuetudo eſt, aut ſortem totam exſtingui per biennii aut triennii moram. Accedunt ad injuriam alia hæc. quod ſingulis menſibus novis apochis ſors admiſtâ uſurâ creſcat & ſic uſura uſurâ invaleſcat. Scribarum, amanuenſium, actuariorum, proxenetarum, procuratorum, tabellariorum, aliarumque hirudinum forenſium ſalaria, emungunt egenos & faciunt. Tum Prætorum & ſub-prætorum, locupletiſſimum quemque in prædam rapientium, avarities, incubat miſeris & decoriat mulctis extorſionibuſque, quos reos haberi utile cenſet. quibus ſanguiſugis, ut ſolet accidere malè partis, licet omnia rapiant, omnia tamen deſunt. Cauſæ collapſi mercatus partim ex dictis originem trahunt, partim ab immenſis oneribus, quibus Braſilianorum proventus gravantur. ut licet meſſes votis reſpondeant, ſalva tamen eſſe nequeat res familiaris, langueſcente indies apud Belgas ſaccharorum precio. Eſt inter diminutæ mercaturæ cauſas diminutus mercaturæ valor, ut & portorii pro pecuniarum tranſvectione. Quæ res *Collapſi mercatus.*

effe-

effecit, ut mercatores ob dubiam pecuniæ in fructum erogationem & jacturam vileſcentis in Belgio ſacchari, in animum induxerint, non palam, conſciis vectigalium magiſtris, ſed clàm tranſmittere pecunias, mercatus inſtrumenta & fructus. Ærarіa publica quod attinet, licet illorum felicitas ex rerum Braſilianarum prudenti adminiſtratione omnis dependeat & legitimo mercium tum importandarum tum exportandarum uſu, illud tamen vero affine, inter cauſas deficientis & hic fortunæ, eſſe quorundam imperitiam & enorme habendi ſtudium. Enimverò ex quo ſe movere cœpit illa & Braſiliam attentare, latuere plurimos, locorum ſitus, appulſus, indoles ſoli, & populorum. ut horum ignorantia & neglectu non unius victoriæ occaſio elapſa fuerit; nec unius facinoris ſucceſſus, perdito immani ære, autores ſuos fefellerit. Præclara multa auſi Rectores laudatiſſimi, minus voto confecére. quia mutatis iis, ob ambulatorias dignitates, & novis in alia conſilia euntibus, nec conſtantia cœptis nec par ſemper induſtria adfuit. Illud quoque inter errores publicos putabatur; quod privatorum ad Batavos ſcriptitantium chartis delationibuſque major à quibuſdam habita fuerit fides, quàm publicis & dignitatem habentium, aureſque crudelorum impleverint, qui ad gratiam loqui malunt, quàm prodeſſe. Hinc modò intempeſtiva frugali-

Inopia Ærarii.

tate intermiſſæ expeditiones fuére, modo profuſa liberalitate ſuſceptæ, modò parcius æquo miſſa victualia, naves, arma, aliaque ab bellum requiſita. ut grandes pecuniarum impenſas periiſſe non immeritò ploret ſalus publica. Ab eodem fonte eſt, quod vix præſtitu poſſibilia, & adverſa mandatis mandata, ſæpè & nocitura acceperint Braſiliæ rectores. quale illud eſt de rapiendis in debiti ſolutionem mancipiis, & donandis agris, quæ donari nefas; de imperata Nigritarum venditione, dictis ſolutioni intervallis tunc, cum pecuniarum hic eſſet abundè; quos nunc vendere jubemur numeratio ære, poſtquam æs omne fugit. unde accidit, ut vetera nomina maneant, & ſervis ea inducta ſit vilitas, ut minore, quàm ab Afris emti fuere precio, hîc veneant. Nec tamen Ordinem propter hæc incuſare promtum mihi, cui animus fuit audendi maxima & Reipub. utilia. non ſtant rerum ſucceſſus intra vota. at turbant caſuum ludibria ſapienter cœpta. Ærarii Braſilienſis inopiæ inter alias cauſæ fuere: ſubſidia miſſa Angolenſibus, Thomæis & Maragnonenſibus, facti in arcium inſtaurationes ſumptus, victus demenſa & ſtipendiorum militarium diariæ præſtationes, lentæ adhæc & protractæ debitarum ſolutiones, & difficiles, licet judicis vocis ratæ, excutiones. At malis præſentibus afferre medicinam dolendo querendoque, mentes veſtras fatigare foret

Remedia malorum. ret & veri conſpectum interturbare. Quare de remediis ſententiam dicam, ſalva & integra meliore.

Illud Ingeniorum poſſeſſori & exhauſtis ære Luſitanis ſolatio fuerit, ſi ſpiramentum aliquod temporis indulgeat Societas ad reſarciendam rem. quam bella aliaque calamitatum improviſa & divinitus immiſſa afflixerunt. quod ſi impetrari nequeat; mitius exigi debita ſuaſerim, ſaccharorum, ſuppellectilis, moniliorum, aliarumque rerum mobilium venditione. non ſervorum; non utenſilium. quibus ad elaboranda ſacchara opus, non boum venditione; ſine quibus nullus Ingeniis labor. niſi tanta forte ſint nomina; ut molas cum utenſilibus & appendicibus omnibus vendi ad haſtam neceſſum ſit. Illud conſtat, molis iſtiuſmodi, ſi laborum ieſtrumenta tollas, multum de precio decedere. Nam quæ à neceſſariis inſtructa valent centum mille florenos, ab iiſdem deſtituta vix quadragies mille valebunt. quæ mox ſumma, ſi pluribus dividatur creditoribus, exilis erit ſingulis. Nec minus attendendum ad hoc; edicto Anni ſupra millieſimum ſexcenteſimum quadrageſimi cautum fuiſſe, ne pro debitis oppignoratis exigatur major uſura, quam unciaria, pro non oppignoratis non niſi octodenaria. In cujus legis fraudem immane quantum peccaverint noſtratium plurimi, injuſti fœnoris exactores. præſto ſunt

Adverſus Luſitanorum Æs alienum.

exempla

exempla. Coſmus Oliveira Tugicapapæ incola, novem florenorum millibus ſervos aliquot mercatus, poſtquam ſolviſſet duodecim millia ob moram, quindecim inſuper florenorum debito attentus fuit. Iohannes Suares Moribecæ civis, acceptis in fidem bonis precio triginta ſex mille florenorum, ſolutis ſexagies mille florenis, pari adhuc (heu hominum fidem) debito obſtringebatur, ob moram. Sane juris & æqui fuerit, iſtorum debitis detrahi, quicquid exactum per ſummum nefas fuit. Fecere hoc Novas tabulas condendo Romani, compeſcendis plebeis furoribus & juſtiſſimis querimoniis. Nec facile repagulum reperiam ſceleratæ quorundam cupiditati, niſi legum & pœnarum atrocitatem adverſus rapaces milvos & effrenes lucripetas. Præter hæc litium ſumptus, fori tabem, præcîdi oportet & Prætorum in clientum loculos latrocinia compeſci. Leges quoque ſumptuarias exigat naſcens Reſpublica, cohibendo luxu, ne in immenſum prorumpat, ad cuncta quîs pecunia prodigitur, præſertim exquiſitis menſarum ingeniis & veſtium, quæ ægræ civitatis indicia ſunt. Et cum propè ſit, ut exſpirent tempora mercatus Orientalis, id apud Fœderatos Ordines agendum ſedulò, ut ab importandis ex Oriente ſaccharis abſtineat, cum per hæc dejici conſtet ſaccharorum Braſilienſium apud Europæos valorem. Nigritarum propiorem cu-

ram haberi ex re Societatis erit, cum ex ſexagies & quater millibus, quos Africa miſit, deſiderati fuerint intra ſeſqui annum mille quingenti & vigintiquinque. cauſam non aliam eſſe crediderim, quàm quod malè habiti in navibus & à vitæ neceſſariis deſtituti, ſordibus & pravo victu miſeri enecentur. Prout ſaginato vel tenui ſunt corpore, preciis differunt. poſt marinam trajectionem refectioni corporum ſpatium detur. ſecus & precio ferè omni excidunt macilenti, aut confecti navigationis incommodis mox ab exſcenſu moriuntur. Illos divendi, more ſolito, per dicta ſolutioni intervalla, minus poſthac expediat. Cum enim in frequenti & denſa circumſtantium turba ratio haberi non poſſit ementium aut ſpondentium, fit, ut Nigritarum magna pars ad eos venditione devolvatur, qui de nominibus expungendis minus cogitant, aut in ſilvis ex rapto vivunt, & ſocios hos ſcelerum adſciſcunt. ubi in idem vitæ genus latrociniis graſſationibuſque efferantur. Hinc Rationaria vanis debitis & inopi emptore conſpergi videas. Nec numerato ære illos vendi utile, cum paucorum tunc emtorum ſint. qui à nummis paratiores in publica licitatione decreſcere & flacceſcere precia patiuntur, priuſquam vendenti annuant. Quamobrem autor ſiem, ut explorato primum per procuratores ſingulorum Ingeniorum ſtatu & dominorum opibus,

bus, mancipia iis vendantur certis penſionibus; ſive in diem. ea lege, ut quotquot repræſentare volent, hoc eſt, diem ſolutionis præſenti pecunia redimere, fruantur; qui nolunt, Nigritas emtos, antequam in ſolidum & aſſem ſatisfecerint, non niſi uſu ſuos putent, poſſeſſione ac dominio publicos. Quamobrem notari charactere Societatis corpora mancipiorum velim, ne prona in fraudes gens melioribus pejora ſubſtituat. Hæc levandæ plurimorum paupertati, diminuendis nominibus, & mitigandis in nos animis facere videbuntur. Si via ſeveriore inſiſtamus, plus acquiremus odii, quam potentiæ. Provinciis vel domeſticos motus, vel externorum arma, vel ſolitudinem inducemus. Vt verò Mercaturæ omni ſuus redeat vigor, de Oneribus & Moneta nova deliberatio ſit. Sacchara abſolvi cupiam à ſemiſeſtertio in ſingulas libras. nec enim nuperum hoc actuarium vilioris precii ſacchara ſuſtinent. Quin, tutiore jam à Morinûm inſultibus Oceano, navigationes impendiorum parte levari poterunt. nec opus tanto bellicarum & fiduciariarum navium apparatu. cum per vectorias & onerarias, quarum minus precium, tranſvectari cuncta queant. Sin à Morinis metus duret, factis contuberniis per Septentrionalia Iberniam inter Britanniamque navigandum, aut rigente iſtic bruma per fretum Britannicum, navium tu-

Adverſus Mercaturæ prolapſum.

telarium præſidio. Nummariam rem bonis legibus conſtitui fructuoſum. à monetæ depreciatione ingens vulnus infl ctum mercantibus fuit, quod ſanari niſi ejus incremento nequit. Nummi quos Crucigeros vocant, apud Bahienſes valent florenos duodecim, quos Regales, florenos tres & ſeſtertia duodecim. Quicquid ab hoc valore in lucro deputatur, tertia parte Regi, tertia domino, tertia Eccleſiaſticis cedit. Induſtriis, quibus facile ingenium largitur cantata illa artium magiſtra, comminiſcendum ſimile quid. ne lucelli ſpe illecti noſtrates, quorum aurum jampridem per medios ire ſatellites didicit, illud ad Bahienſes tranſmittant. Fortè non inutile fuerit novam monetam cudi, cujus valor ratus ſit ſolis Braſilienſibus. ut fugiente Hiſpanico ære aut deficiente, nummorum hic ſatis ſit ad militum ſtipendia & mercaturæ negotia.

Piſtolettos Reales.

Ærariis recreandis hæc fecerint: ſi præter ſuperiorum curam, accidantur navalium fabricarum impenſæ, ſi annona aliaque è Belgio mittantur liberalius, mercibuſque Braſilienſibus ſuum conſtet precium: ſi Officialium tum civilium tum militarium contrahatur numerus: ſi commeatus curatores Arcibus, Europæorum more, ſollicitè proſpiciant; militi cibaria non vendant nimio: ſi Societati debitum æs nec nimia ſeveritas exigat, nec nimia facilitas diſſimulet. Debentium

um alii mechanici ſunt, alii mercatores, alii agrorum cultores & poſſeſſores. Cum illis rigidius agendum, quia alieno ſucco victitare amant, ſua culpâ inopes. Cum iſtis itidem, quandiu fide integri. honoris namque ſui intereſſe arbitrantur, ejuſdem periculum incurrere. Si rem fregerint & fidem, mora omnis in damno erit. quæ ſola ipſis convaſandis bonis aut occultandis ſupereſt. Cum his lenius moderatiuſque agendum. nam ex hoc fonte omnium commodorum & lucrorum Braſilientium ſpes manant. nec aliis principiis nituntur Societatis aureæ Apodixes. Omnino extrema illa caveri optem, ne molarum quotidianæ operæ ceſſent & agrorum conſitiones, feriantibus Nigritis. Attamen pro meſſium felicitate, quam præſtare ſolius Dei eſt, cum illis tranſigendum. Nec mirari ſubeat, hanc malorum Iliadem à me narrari, quam ſublatam aut correctam oportuit. Culpam iſtam præſtare non eſt meum. per quem nunquam ſtetit hæc incommoda averruncari. alienæ opis & quidem exteræ indiguere Braſiliæ rectores. quin nec hi nec Belgæ ipſi potuere id omne, quod voluere. ut ſatis aliquid, incuriæ nonnihil, imprudentiæ multum, inopiæ publicæ plurimum imputare habeamus.

Quæ plura ſcire ſatagent Dominationes Veſtræ, exponam lubens, paratiſſimus audire contra differentes. Tantum profectò pro-

Braſilia momentum grande.

vinciarum, quas armis veſtris tenetis, momentum puto, ut indignum ſeculo & poſteritate fuerit, illas negligi. Si nondũ magnis ſe emolumentis probant, probabunt magis, ubi auctis coloniis latius ſe Belgæ diffuderint. Tales ſunt, ut natura loci & arcibus munitæ, potentiſſimum hoſtem poſſint contemnere. per ſocordiam aut diſcordiam ſuſque deque habitæ, recuperari nunquam. Milite & viribus ubi hic rerum ſtatus partus eſt, ita conſervari eundem oportet. Africæ non unam partem armis tenetis, ut hinc in Occidentem trajicere & in receſſus ejus penetrare detur. Chilen maris Pacifici provinciam menſibus duobus, Havanam quatuordecim diebus adimus. quæ loca machinationibus noſtrorum opportuna ſunt. Ex quo Hondurarum reditus intercepimus, claſſem argentiferam ſpoliavimus, alias portubus, ne prodirent, concluſimus, tantus per Occidentem terror fuit, ut Mexici Prorex de regnorum ſuorum diſcrimine queſtus, eas Regi Hiſpaniarum curas fecerit, ut de recuperanda Braſilia extrema ſtatuerit. Et licet malè illi res iſta ſucceſſerit per claſſem nuperrimè Dei beneficio disjectam, ſecundis curis incubuit in novam. quas tamen oborti in Portugallia motus turbavere. per hos non Algarbia ſolum ſed & Azorum Inſulis, Afrorum littoribus & Indiæ Orientalis non uno imperio excidit. ut jam magnis impendiis tutari habeat reditus Terræ Firmæ & Novæ Hiſpaniæ Quod

ſi ſperari poſſit Orientalis & Occidentalis Societatum in unam conjunctio, de qua agitari audio, nullus dubito, quin junctis viribus exui Peruano & Maniliarum imperio poſſit & Fluvii Argentei terris ac montibus Potoſinis. Neque ſuffecerit tutandæ Havanæ, Cartagenæ & Mexicano regno. Sola combinationis fama pacem imperabit Regi glorioſiſſimo. At Braſiliâ depulſi excidemus Angolæ regno & Thomæo & toto Nigritarum mercatu.

Hæc ſumma illorum eſt, quæ ad res belli domique apud Braſilienſes noſcendas exponere habuit Comes, Hæc ad Dei Optimi Maximi honorem, Societatis amplitudinem, & Patriæ laudem hactenus aut geſſit aut conſuluit. Quid ſentiat, dixit & quid ſuadeat, hortatus Patres, hæc ipſa ad Reipub. ſalutem flecterent & vel ultrò conſulerent, quod in rem eſſe videbitur, vel ſaluberrima ſuadenti auſcultare non dedignarentur. De Braſilianorum quoque indole diſſeruit, & liberalius licentiuſque habendos monuit, & ratam ipſis libertatem & immunitatum pacta præſtari. ne, quæ arma pro nobis non ſemel induerunt, exercere adverſus nos intempeſtivè doceamus. SECVRITAS, ajebat, mutua ſecuritate & obedientia ſubditorum facilitate imperantium paciſcenda eſt. Sic ſecuritati provinciarum contrà temporum adverſa murus aheneus parabitur. AD PRVDENTIAM Prin-

cipis ſpectat, quod rigore ne queas & ſeveritate unquam, moderatione aliquando efficias. idque Societati honorificentius fore, ſi ex facili res tantas componere in animum inducat. Potentiſſimi Ordines, Princeps Auriacus & Societatis Rectores, ad quos iſta pertinebant, gratiis Cometi actis, quod Noui Orbis adminiſtratione ſedulâ adjutaſſet veterem, rationes ejus confecere abſque lite, perpetuorumque porrò in Rempub. officiorum fide adſtrinxére obſequi promtiſſimum. Qud ſanè graviſſimi Senatus judicium, calumniæ dentibus exemit Ducem omni laude cumulatiſſimum, de cujus virtutibus nihil tam excellens concipi poteſt, quod ad meritorum ſublimitatem aſſurgat.

Federati Ordines, Auriacus Societatis Rectores Comiti pro adminiſtrata Braſilia gratias agunt.

ENarravi res in Braſilia geſtas, ſub Mauritio imperatore, è periculis tam longæ navigationis & bello tam profundæ barbariæ reduce, minutiora præterfectus ea ſelegi, quæ exemplo, magnitudine, uſu conſpicua maximè videbantur. Genus illi è domo Naſſovica eſt, quæ multis retrò ſeculis, imperio, connubiis & rerum pace militiaque geſtarum fama celebris non per Germaniam ſolum ſed & Eu opam omnem fuit. Auguſtam primus fecit Adolphus Naſſovius, Romanum Imperium adeptus. aucta principatu Arauſionenſi fuit per Renatum Cabilionenſem, Naſſovium. Comes Otto antè annos ducentos il-

Genus è domo Naſſovica.

illam in Belgium traduxit, ornavitque Engelbertus primus atque hujus nepos Engelbertus ſecundus, à quibus per has provincias dotalibus oppidis opibuſque præſtare inter Belgas cœpit. Engelbertum ſecundum, poſtquam res maximas in Gallia Flandriaque geſſiſſet, Maximilianus Cæſar florentiſſimis Belgii nationibus præfecit. Quem ſecutus Henricus Naſſovius Engelberti è fratre nepos, non ſolum potentiſſimo exercitui Caroli Quinti Cæſaris in Galliis Dux præfuit, verùm etiam Brabantiæ univerſæ & aliarum provinciarum gubernacula tenuit. Nec minor laus dignitaſque Renati Cabilionenſis, Guilielmi, Mauritii, necnon hodie latè victoris, Celſiſſimi Principis Frederici Henrici, Arauſionenſium Principum. quos Naſſovios omnes imperiis Belgarum feliciter deſtinavere fata. Inter Domus Naſſovicæ ſtemmata Dillenburgicum eſt, è quo dicti Duces & hic noſter, quem præſens Hiſtoria loquitur. Dillenburgum Comitatus Naſſoviæ civitas, ad Dillam amnem, tot Naſſoviorum ſedes & patria eſt. Avus Ioannes Naſſovius, Senior dictus, Guilielmi Arauſionenſium Principis frater, Geldriæ vicaria dignitate Præfectus, magnis, dum viveret, virtutibus gloriam extendit. Pater Mauritii Ioannes, frater Comitis Guilielmi, Friſiæ & Groningæ laudatiſſimi Gubernatoris, poſtquam in Belgio belli ſtudiis ſub Mauritio inclaruiſſet

Stemma Dillenburgicum.

Dillenburgum Naſſoviæ civitas.

exercitus Regis Suecorum Caroli præfectus, *Mauritii Avus.* militiæ experimenta plurima edidit. Mater Margareta Ducis Holſatiæ & Sleeſwici Filia, felicis uteri Princeps, Ioanni marito, cui à ſecundis thalamis fuit, peperit I. Mauritium *Pater. Mater. Fratres.* Georgium Fredericum, Guilielmum Ottonem, Henricum, Bernardum, Chriſtianum & Ioannem Erneſtum, filiaſque complures. Mauritium, Dillenburgi Naſſoviæ urbe editum, pater puerum litteris, juvenem armis inſtruxit, & tot Naſſoviorum exemplis bellicæ famæ in Belgio oſtendit. ubi Martis arena laborque militiæ plurimus erat, nataque mox occaſio, Dillenburgicæ familiæ dignitatem, prudentiam fortitudinemque Naſſovicæ in Braſiliam inferendi. Fratrem Georgium Fredericum turmæ Equeſtris baliſtariorum ductorem & legionis Equeſtris vigilum præfectum militaria ſtudia ſub Celſiſſimo Principe Arauſionenſi etiamnum occupant. Guilielmum Ottonem, ſub bellicoſiſſimo Rege Guſtavo Adolpho militantem, victoria Lipſienſis extulit, & Equitum præfectum maximis laudibus cum virtute fortuna cumulavit. Henricum militum Tribunum, militiæ noſtræ expertum, poſtquam variarum urbium & Arcium in Belgio expugnationibus digni militis officio interfuiſſet, ſua merita validiſſimæ Waſiorum in Flandria urbi Hulſtæ, Gubernatorem præfecere. Bernardus juvenis admodum deceſſit, fortunæ in quam alebaba-

batur capax. Chriſtianum Landtgravii Haſſiæ auſpiciis pugnantem, Ducis dignitate, pergit ſua ſors conſecrare famæ, & per majorum rapere veſtigia. Fratrum poſtremus Ioannes Erneſtus, cum fratre Mauritio in Braſiliam profectus, mortis illic & gloriæ locum Ducis dignatione repperit. Sororum ejus aliæ fulgidiſſimis conjugiis nexæ aut innuptæ ſuperſunt. Mauritius ex quo ingreſſus illam fuit, labores ſibi & pericula placere voluit. Fovebant belli ſtudia proavorum geſta & imagines, cognatorum in Belgio triumphi, à quorum potius quàm ſiderum afflatu mores Principum finguntur. fortitudinem, prudentiam, probitatem, eximias Ducum virtutes, ita apud exteros miſcuit, ut & militi fiduciæ bellicæ & domeſticis compoſitæ exactæque vitæ exemplum ſe præbuerit. Nemo illo officiis, alloquiis, habitu, inceſſu civilior. Et tamen blanditiis intractabilis perſonatos vultus oderat, candoris innocentiæque unicè cultor. Iſta comitate omnium in ſe animos provocabat, ut Barbaris & Anthropophagis ipſis gratus benè audiret inter portenta. Iuris juſtitiæque rigidus cuſtos, ſummos infimoſque, Barbaros & Chriſtianos, mercatorem civemque pari jure retinuit. Quæ in rem gloriamque Societatis erant, conſuluit. Rectoribus optima ſuadentibus auſcultavit. ea tamen circumſpectione, ut moderari ſubinde & differre mandata ſuſtinue-

Sorores.

Mauritii apud Braſilianos vivendi ratio.

nuerit. ita ſuadente vel utilitate Reipubl. vel neceſſitate. Auguſti exemplo, de quo Dio perhibet, eum non omnia, quæ decreta erant, executum, veritum ne parùm ſuccederent. ſed quædam ex tempore diſpoſuiſſe, quædam rejeciſſe in tempus. Communi indigentiæ non exemtus, tulit belli tranſmarini calamitates juxta ſubjectos. imperii labores illud auxit, quod inter populos viveret iſtiuſmodi, quorum pleroſque aut æmulatione diſcordes, aut fide dubios aut genti noſtræ magis quàm ſibi infenſos habuit. Hoſtium nemo vim ejus ſenſit, niſi vincendus, benevolentiam popularium nemo, niſi aliqua miſeriæ levatione aut dignitatis acceſſione. Mirus ejus & perpetuus in perſpiciendis ac examinandis rebus vigor & induſtria. Et cum facilis eſſet inter exteros ad luxuriem prolapſus, nequaquam ſe moribus Americanorum permiſit, aut fortitudinem licentia fregit. Duas regnantum peſtes à generoſo pectore à ſe amolitus libidinem & avaritiem. minimè credulus rumuſculis ad gratiam allatis, expendebat veris ſimilia. Opera omnia quis diſtinctè loquatur? Octennio, quo præfuit, cuncta egregii ducis munia implevit. Principalium operum fuit ordinatio Reipublicæ. Fines imperii Braſilienſis novis Præfecturis auxit, veteres tutatus fuit. Ingenia ſola agrique Luſitanorum, qui aufugerant & in hoſtico degebant, belli jure licitata venditaque

Summa geſtorum à Mauritio.

que, Societatis ærariis immane precium, undevigeſies centena millia & ſexagies ac ter mille florenorum & quod excurrit inſcripſe- 1963250 re. E manubiis aliiſque ab hoſte receptis bo- floren. nis, partum viceſies centies mille, decies & 2017478 ſepties mille florenorum & quod excurrit. floren. Securitati provinciarum contra temporum adverſa munimenta paravit. Seregippem Regiam & Maragnanas terras potentiæ noſtræ addidit, arces urbeſque expugnavit, urbem S. Lodovici, arces Calvariam Tapicuram & Tagitaperam. Portum Calvum fugato Banjola Comite præſidiis Hiſpanicis exuit. Flumini S. Franciſci arcem de ſuo nomine validiſſimam impoſuit. In Siara caſtello potitus propius nos Tapujis & hos nobis junxit. Magni terroris bellum Africanum & quotidiano auctu majus, conſiliis ejus brevi confectum eſt. In Afrorum namque littoribus caſtellum Minæ, Angolæ regnum, & civitatem Loandam, arcem Benguellam, urbem caſtrumque Inſulæ Thomææ noſtra fecit. Expeditione Bahienſi trium caſtellorum & navium aliquot, quæ in prædam ceſſere, victor evaſit. Claſſem potentiſſimam, in qua omne Hiſpanis præſidium, validis conſiliis armiſq; à littoribus Braſiliæ depulit. Indiæ Occidētalis penitiora imiſſis claſſibus non ſemel terruit. Chilenſes fœdere junxit. Bahienſes ad belli moderationem coëgit. Arma Batavorū per utrumq; orbem circūtulit, barbaros in So-

cie-

ietatem belli totis cohortibus pertraxit. Nihil apud hoſtem quietum paſſus, quo minus aut populationes hoſtiles impediret, aut populantes popularetur, & ubi terruiſſet, ab invitamentis pacis & ordinatioris belli non abhorrebat. Gentibus tum Braſilienſibus tum Afris ad eum fuit perfugum, legatos honorificè excepit decuſque Fœderatorum quà bello quà pace aſſeruit. Quis mercantium opes omnes ſingulaſque & mercium vim ſtylo exequatur. Ciſtarum Sacchari tranſmiſſa per hæc tempora fuere aliquot centena millia, tum quæ Societatis erant, tum quæ privatorum. Earum, ut habent publicæ Tabulæ, computatio iſta eſt: Sacchari Albi ciſtæ centies & quater mille, quingentæ & quinquaginta quinque. Ejus, quod Moſcovadicum vocant vicies & ſepties mille, octingentæ ac tres. Pannelarum quinquies mille, ſeptingentæ ac ſexaginta tres. Hæ Societatis erant. At privatorum ſequentes: Sacchari Albi quinquagies & quater mille, quingentæ & nonaginta tres. Moſcovadici vicies & bis mille ac centum. Panellarum ter mille quadringentæ & tres. Ligni Braſilienſis vicies & quinquies centum millia librarum, inſuper nonaginta & tria millia, ſupra ſexcentas & triginta. Vt de Tabaci, aliarumque mercium viliorum calculis nihil dicam.

Societatis Blanco 104555 Ciſtæ. *Moſcovados* 27803. *Pannellas* 5766. *Privatorũ Blanco* 54593 *Moſcovad* 22100. *Pannell.* 3403. *Ligni Braſilienſis libra* 2593630

Vrbes adhæc pagoſque ædificiis auxit ornavitque. pontes domoſque Prætorias condi-

didit ad uſum & decus. templum pietati & divino uſui ſua ex parte munificentia exſtruxit. Eminentiſſimos cujuſque profeſſionis artifices, architectos, geograhos, pictores, ſculptores, domi militiæque ſecum habuit & fovit. ut quæ loca, quas terras urbeſque ipſe vinceret, illi victas tranſmarinis Belgis oſtenderent. Quò imperium ivit, æquum putabat cultum ingenii ſequi debere. Tabulas Geographicas magna cura & ſumptibus ſuis exarari fecit, in quîs oppida, pagi, arces, armentorum ſepta, ſtagna, fontes, promontoria, ſtationes navium, portus, flumina, ſcopuli, Ingenia ac molarum fabricæ, templa, Cœnobia, plantaria, regionum ſitus, longitudines ac latitudines, aliaque, mira accuratione repræſentantur, autore Georgio Marckgravio, Geographo & Aſtrologo eximio. qui idem facturus apud Afros, fatis ibidem conceſſit. Hujus in gratiam exſtrui in ſublimi Speculam fecerat Naſſovius, obſervandis aſtrorum motibus, ortu, occaſu, magnitudine, diſtantia, aliiſque. Acceſſit ad hæc ſtudia etiam iſta ſedulitas, quâ animalia varii generis, quadrupedum mirabiles formas, ut & avium, piſcium, herbarum, ſerpentum & inſectorum, populorum habitus difformes & arma pingi artificioſè fecit. quæ cuncta propediem cum ſuis deſcriptionibus lucem viſura, certa expectatione tenemus. In omnes ſiquidem honorificus, eru-

ditos

ditos mirabatur & diligebat. præſertim privato contubernio cognitos. inter quos primi fuere Franciſcus Plante & Guilielmus Piſo. ille à concionibus, & ſacris Comiti, hic à pharmacis. ille in excitandis ad pietatem animis promtiſſimus, hic in diſpicienda rerum natura maximæ prudentiæ. uterque doctrina & ſuæ artis laude clari. Quare teſtes ſe & rerum geſtarum & quas proprias Braſilia habet herbarum plantarumque eſſe voluerunt. Alter præcipitato per commenta poëtica ſpiritu, ibidem à Mauritio glorioſè geſta, laudabili Poëmate, quod Mauritiadem inſcripſit, extulit. alter in ſtirpium exoticarum raram indolem virtutemque ſpeculatione dimiſſus, earum omnium hiſtoriam conſcripſiſſe, muneris ſui putavit. Fecere hi duo, ne ingenio & eruditione vinceremur ab iis, quorum arma armis, barbariem manſuetudine vicimus. Inter hæc nihil majus religione, nihil ſublimius fide habuit. cujus moderamine ita inclaruit, ut inter religionum diverſitates, licet ſuæ, hoc eſt veræ, publica profeſſione addictior, æquus ſteterit, nec edictis minacibus ſubjectorum cervices ad eum, qui ipſi placuit, cultus divini modum coëgerit, ſed intemeratum reliquerit, ut repperit, aut invitaverit placidè. Ideò conciliari gentilium animos ſuaſit, ut credant meliora docere velle, à quibus amantur. Nec enim facilè perſuaſeris credenda, quibus nocueris, nec

nec animi ac melioris vitæ bona exſpectabunt ab iis, quos terrena rapto auferre cædibuſque regnum ſibi parare animadvertunt. Negares inter Barbaros vixiſſe. adeò comitate, manſuedutine, æquitate populum flectebat. quam ob cauſam palàm laudabatur ab omnibus, potens iis ſtudiis, quibus firmantur imperia. Ad pietatem præiivit; ſacrorum obſervator ſerius, abſque oſtentatione. Conſilia civium optima promovit, noxia ſtitit, dubia direxit. ubique cavens, ne committerentur diſcordes eo præſertim loco, ubi prope ſunt, qui civile incendium alunt, procul, qui exſtinguant. Nec anguſtum aut vile Naſſovio regimen fuit, ſed magnitudine ſua undequaque ingens & ſtupendum. Fines maximi ampliſſima terrarum ac maris ſpatia complectuntur, ſparſis etiã per Inſulas dominationis viribus. Provinciæ munitæ copiis, quæ in urbib⁹, pagis, arcibus, claſſibus. plus minuſve pro temporum ratione validæ. miles limitanea, miles mediterranea habuit, ubi minimo oneri ſubditis, maximo uſu in hoſtes eſſet. Claſſes mari & fluminibus extitere terribiles, ut hoſtem excluderent, piratas cohiberent, terras novas invaderent, tranſitum ſuis aut tranſvectionem facilem darent. Præfecti militari ac civili virtute eminentes, aliis & mihi memorati, nec Græcis nec Romanis ſe minores animo, auſibuſque oſtenderunt. Coloniæ, optimum & ſapientiſſimum Romuli in-

Magnitudo Imperii Braſilienſis.

ventum, duci cœptæ. Reditus è decimis, alimentis, portoriis, grandes. Tot tantæque naves onerariæ bellicæque modo appellere modo ſolvere viſæ, ut communis orbis officina hîc crederetur. Hinc Hiſpaniæ, Occidenti omni, Mexicanis, Peruanis trepidatio. Hîc gloriæ ſuæ pomœria amplificat Belga, & veteris incola, novo orbi novus hoſpes & hoſtis incubat. Illa rexiſſe & flexiſſe prudenter Naſſovium qui negaverit, ante geſta & quæ evenére poſt, conferat. Compertum, proh dolor, ſtatim ab abitu, nutante partium concordia, in offenſarum operas itum, & hinc noſtrorum à fide defectione, hoſtium audacia, caſtellis deditis, objectoque cladibus milite Belga, Societatis res retrò iiſſe. nec metu amplius Luſitanos prædones nec Belgas officii conſcientia attentos fuiſſe. Abdicationem efflagitavit maturè, majoribus ſervatus. ut dubium reliquerit, majoremne laudem in Barbaris regnis adminiſtrandis, an iis relinquendis promeritus ſit. expeditius illi fuit tradere imperium, quàm accipere, & quod alieno rogatu ſumſit, ultrò & æquo animo depoſuit. Sanè fatis hoc debitum, ut dum imperatoria ſe dignitate foris exuit, novam domi indueret, nec deſierit eſſe, qui fuit, quin factus fuerit major, quàm fuit. Tunc mercantium quoque juſſis paruit, jam Fœderatorum ſolùm. tunc temporarii imperii, jam perpetui adminiſter. tunc Patriæ abſens, jam præ-

Redux magnis dignitatibus ornatur.

præſens curator. tunc Barbarorum rector, jam ſuæ gentis. tunc militiæ rudioris, jam ordinatioris. Etenim non inclytæ ſolum Veſaliæ, inter limitaneas validiſſimæ, præfectus à Fœderatis Ordinibus fuit & totius Equitat⁹ ſub Arauſionenſi Principe Wilhel. creatus ductor, verùm dignitatis proavorũ memor & in Belgii commoda porrò intentus, honorum ſuorum ſpatia videt, nondum terminum. Imperantium laudibus detrahere pronum invidis & querulis. at vanas populi voces non audiunt, quos recti ſenſus & meliorum ſuffragia erigunt. De Ducibus judicaturos, conſilia, fidem, res geſtas inſpicere oportet. nec hoc ſolùm, ſed & quæ confici ab illis potuerint. cum ab occaſionibus ſæpè, ſæpè ab armis & apparatu bellico deſtitui illos compertum ſit. quid, quod omnium molitionum ſucceſſus præſtare à ſe ipſis non poſſint, cum plurimum fortunæ habeant res militares. Eſt quoque ea regentium condicio, ut quicquid proſperè geſtum, ſuum eſſe ducant, quicquid infelicius, imputent ducibus. Naſſovius fortunæ ſe præbenti non defuit, nec hoſti ullam negligentiâ præbuit. nec contemnendi ejus autor, cum armis prævaleret, nec timendi, cum neceſſitas & victoriæ ſpes audaciam provocarent. Facile eſt, in Europæo Orbe degentibus, mœnia in hoſtili terra debellare votis, narrationibus, poculis. modos victoriarum comminiſcimur, quales ſua cuique ſug-

gerunt ſtudia, majores animis quàm conſiliis, impigri lingua & nihil ultra verba auſuri. At Dux vigilans, ſobrius & prudens, ubi commeatus, ubi ſupplementa, ubi pecuniæ deſunt, uti narratores Batavos ferre poteſt, ita majora viribus aggredi cavet. Etiam publica exſpectatio impatiens eventuum eſt. licet privata loquax magis inter talium rerum imperitos. Mauritius horum ſecurus, conſilio ſuo & ſuorum, grandibuſque exemplis nixus, non opinione plebeja aut abſentium vaga & inconſulta meditatione, in Barbaro orbe, pacis bellique temporibus, inter apertos occultoſque hoſtes, terra ac mari, eas res geſſit, quæ ſeculo digniſſimæ, Fœderatis, Naſſoviis, ipſi glorioſæ, Societati utiles fuerunt. ut, ſi verè æſtimare volumus, non Comiti Præfectura, ſed Præfecturæ Comes datus fuerit, nec adminiſtratæ ab ipſo Braſiliæ ullos, præterquam hoſtes, pœnitere poſſit.

FINIS.

GAS-

CASPARIS BARLÆI

MAVRITIVS REDVX.

Sive

GRATVLATIO

Ad Excellentiſſimum & Illuſtriſſimum Comitem I. MAVRITIVM, Comitem Naſſaviæ, Cattimeliboci ac Dietziæ, Bilſteinii Dominum, Braſiliæ Terrâ Marique Præfectum, &c. Cum ex Orbe Americano in Europæum ſoſpes appuliſſet.

NAſſovius trans æquor adeſt, reducemque ſalutat
Belga Ducem. nondum Phœbo fervente peruſtus,
Se priſco candore probat, patriique coloris
Et juxta veteris ſervat veſtigia recti.
Iverat Occiduum miſſus bellator in Orbem,
Et terras, Sol feſſe, tuas. non viſa ruenti
In laudes Europa ſatis, famaque ſuorum
Pars mundi concuſſa prior. quærendus in orbe
Barbarico fuit hoſtis Iber, vincique ſub ipſo
Veſpere regnatorem Aſiæ dominoſque Philippos,
Dis viſum Superis. hic opportuna trophæis
Ingens ſe tellus aperit, diffuſaque vaſtis
Regna plagis nudiſque truces cultoribus agri.
Hic alios hominum mores miramur & urbes,
Corporaque humanis fœdè diſtenta medullis,

Infameſque dapes & qualia fercula fratri
Coxit & immanes Atreus detruſit in artus.
Hæc belli laus ſumma viris, in viſcera victos
Condere & inviſos diſcerpere dentibus hoſtes,
Ne toti noceant, vel ab ipſa morte reſurgant.
Hic alium Caſtella olim conſpexit Olympum,
Diſſimileſque faces. oculis disparuit Arctos,
Et ferus Alcides. nuſquam ſua ſigna Bootes
Suſtulit aut ſtrictum Perſeus ſe torſit in enſem.
Phillyridem ſtupuit, quique altius exit in Auſtrum
Indus & ara Deum. geminis ſolamen ab umbris
Terra capit, quas nunc dextras, nunc ire ſiniſtras
Adſpicit. hybernis quoties nos noctibus acre
Calcamus ſine Sole gelu, Titania lampas
Æſtuat & fuſcas exurit fervida frontes.
Non illic ripa Vahalis Rhenique bicornis
Ambulat, at Ligerim Scythicumq; adſpectat Araxē
Incola. Amazoniæ generoſa vocabula gentis
Indunt nomen aquis, & qui per rura Maragnon
Longa ruit nitidaſque Argenteus evomit undas
Plata patens. vix obliquis ſe ſidera condunt
Flexibus & parvo diſtant diſcrimine luces.
Non his, vaſta licet, Romana potentia terris
Intulit audaces aquilas. non cepit Olindam
Græcia. non illis allatus pſittacus oris
Reddidit aut Spartam aut Cadmi fundamina Thebas,
Aut te Miltiade, aut tua victor nomina, Theſeu,
Heſperiæ ſors iſta fuit, ſervataque Bæti
Gloria rectorique Tagi. ſe barbarus illi
Tradidit & ſerò dominis abſuevit Iberis.
Nos etiam, quorum virtus Mavortia neſcit

ſtare

Stare loco, PLVS que, exemplis regalibus, VLTRA
Vadit & ingentem grandis fiducia Tethyn
Traiicit, infernas mox perruptura paludes,
Ivimus, & lauros ill s ſuſpendimus oris.
Sic fruimur rapto, & quæ quondam regna fuere
Capta Tago, noſtris ſpolium ceſſere Batavis.
Manſuetas hic Belga domos & mitia tecta
Poſſidet. Auriacis titulis expungimus Indos,
Hiſpanoſque duces. longè migramus & ipſi
Oceano inducit peregrinos Belgica cives,
Ædificatque foris. mutat cum gente colonus
Sidera, in auriferas defundit nuntia valles,
Ipſaque pallentis penetralia concutit auri,
Et terret ſecreta Erebi. ſua ſacchara noſtras
Lætatur tractare manus dulciſſima tellus;
Mattiacoſque illic & reſpirare Sicambros;
Sævus ubi crudis habitator vixit ab extis,
Horrendaque artus hominum ſecures.

Maxime Dux, hæc terra tuis ſervata triumphis,
Imperiiſque fuit. dudum ſub Principe Celſo
Miles eras, noſtrique adſperſus pulvere belli,
Publica magnanimis juviſti commoda cœptis,
Cum validam Parteſſiacis è faucibus Arcem
Eriperes, Rheni que domos & clauſtra Batavis
Aſſereres, veſtræ facinus memorabile dextræ.
Tunc latus immenſum mundi, quod neſciit ævum
Omne, tibi in meriti precium ſpatiumque futuri
Ceſſit, & intrepidi ſucceſſor magne Columbi,
Veſpucii ſectatus iter, cum Sole ſtetiſti.
Hic ſibi Natura longiſſima linea metam
Fixit. anhelantes iſto ſub cardine Phœbi

Adſpectamus equos. nec latius exit honorum
Regnorumque fames & vis peregrina ſciendi.
Conſtitit extremis in Gadibus illa potentis
Alcmenæ ſoboles & finivere columnæ
Imperium. Latiis etiam rectoribus olim
Vltima ſuffecit Thule. Tibi trans mare magnum,
Atlantiſque vagos fluctus & Nerea vaſtum
Surrexere novæ gentes, dominumque ducemque
Agnovere truces populi. ſua Numina cuncti
Devovere tibi, & nudati membra lacertos
Exeruere tuis iuſsis, & tela pharetris
Depromſere ſuis. plumæ luſere per armos,
Et picturato gratati corpore, vobis
,, Iuravere fidem. nec enim gens neſcia iuſti eſt,
,, Ipſaque barbaries aliquid præſentit honeſti.
,, Naturæ ſe lege probant, inſcriptaque menti
,, Cœlitus officii verſant dictamina; quamvis
Obruta ſe condat multa caligine virtus.
Quot circum regnis, tot linguis cultus abiſti,
Nec diſpar morum ratio diſcrevit amorem
Obſequiumque tui. te ſuſpexere feroces
Indomitiſque animis turbæ & miteſcere ſub te
Effera vis potuit facilique abſueſcere vitæ.
Excuſſæ manibus clavæ, & lethalibus arma
Cotibus & rigidi damnato in corpore fumus.
,, Sic natum malè, manſueta ſub lege renaſci
,, Poſſe hominem, iam certa fides. per ſtrata viarum
Ambulat, & noſtro ſub ſidere barbarus exit,
Et priſcum diſcit velatus membra pudorem.
Eheu, quanta viris feritas & neſcia luxus
Vita rudis, quales agreſti lumine vultus,

Quàm

Quàm pertuſa genas facies, quàm mollia flexu
Brachia, præcipitique per avia pulſat humum pes
Turbine, ſeu celeris ſequitur veſtigia cervi
Seu mediis velox leporem ſectatur in agris.
Quàm gnari torquent jaculum, doctique ferire
Obvia, non vanis proſternunt ictibus hoſtem.
Hoc memini, Batavo ſolventem è littore cunctos
Contra te mariſiſſe Deos, Zephyroſque Notoſque
Disjeciſſe rates, irataque numina ſorti
Iuvidiſſe tuæ, quid enim; tunc altera Iuno
In Belgas inimica ſtetit. te Iuppiter ire
Æneæ fato voluit, perque aſpera rerum
Per caſus pelagi varios, longinqua tueri
Littora & in terris aliis Latioque reponi,
Arcton in Occaſum portare deoſque penates.
Alter eras tum Scipiades, qui ſubruit Afrum,
Trans mare. nec fuit hæc ſolius gloria Pœni.
Tu nobis Hanno victuris claſsibus orbes
Acceſsiſſe novos auſus, glebiſque ſociſque
In patriis hæſiſſe, duci plus vile putaſti.
Eudoxo deſerta Pharos Memphiſque ſuperba
Et contemta fuit Lathyri domus hoſpita regis.
Scandit Erythræum pelagus, ratibuſque profundum
Emenſus, tandem Heſperiis ſtetit exul in oris.
Hæc Niciæ fortuna fuit, Grajique Conones
Per fluctus abire foras. ſors iſta Lyſandrum
,, Extulit & Romæ dominos. virtute probantur
,, Et pelago grandes animæ. diſcrimina fortes
,, Nos faciunt, nec parva timet, cui ſpernitur æquor.
Sed veluti ſalvus, poſt mille pericula, tandem
Conſtitit ad Tiberim Ductor Trojanus, & æquos

Exper-

Expertus ſenſit Superos, ſtas littore ſospes,
Braſiliæque domos iamque hoſpita ſaxa ſubiſti,
Vallatamque urbem ſcopulis, habitataque nuper
Hiſpanis loca, & illuſtris faſtigia regni.
Victor in adventu es. primuſque à Principe vinci
Se doluit Baniola ferox. fugere phalanges,
Et Calvi ſua ceſſerunt æraria Portus.
Fortunate Comes, memorandi nominis hæres,
Hæc Tropici videre geri. quæ faſcia Phœbo
Hic illic definit iter, tua facta ſub iſdem
Limitibus claudi voluit, Cancroque Caproque
Hoc belli finivit opus. cum victa Peneda eſt,
Creditur ipſe tibi Chiron acuiſſe ſagittas,
Et juviſſe Ducem. ſcutum porrexit Orion,
Indigetes toto cum littore pelleret audax
Dextera, & antiquis ſe maxima Pernambucum
Faſcibus exueret, tanto ſecura magiſtro.
Nec viſum ſævire tibi. clementia gentis
Dos æterna tuæ eſt. cunctis ſpes certa ſalutis
Ex æquo vitaque datur, placidiſque vagantes
Legibus atque ipſum invitas placatus Iberum.
Nec ſatis hoc. munis urbem terraque marique,
Præcludiſque aditus hoſti, dum nubibus imbres
Nimborum extundit pater, acceſſuſque viarum
Laxat & auguſto ſaliunt in gramine Fauni.
Vix firmata tuis fuerat Respulica curis,
Accepitque ſuas regio placidiſsima leges;
Mittis in oppoſitum bellacia claſsica Nigrim,
Et latè fulvis conſperſum littus arenis.
Æthiopum ſtatio eſt, quales Acheronte ſub imo
Degeneres vadunt Genii. iacet edita vallis

Mina

Mina potens, dudum Auſtriacis inſeſſa Philippis,
Vnica mercantis tremor & formido Batavi.
Cepiſti atque tuis acceſſit clara trophæis.
Deerat adhuc roſtratus honor, domitiſque corona
Claſſibus, extremis cum te pars hoſtica fatis
Et vicina ſuis terrerent mœnia tranſtris,
Sanctorumque chorus. tu per ſpatioſa vagantes
Æquora, fataleſque minas & bella ferentes
Merſiſti & multo damnaſti funere fortes
Bæticolas, faſtumque Tagi. riſere ſerenæ
Nereïdes, favitque tibi, mare, ſidera, venti.
Quà ſibi ſuppoſtas ferit ardens linea gentes,
Immenſamque ſecat ſpatiis æqualibus æthram,
Terra iacet, totoque natat circumflua ponto.
Morborum ſuccique ferax roriſque beati,
Quem cannæ dulces generant. Hic area laudum
Panditur, hæc veſtras tellus admiſit habenas,
Et dis Angolæ cultor, ſparſique per oras
Oceani nigri indigenæ, candenſque miniſtrat
Hic ebur, hic fulvum mercanti porrigit aurum,
Venaleſque animas precio tranſcribit iniquo.
„ Cur bona libertas homini ſubduceris? & cur
„ Vis ſervum natura pati? cœleſtis imago eſt,
„ Quiſquis homo eſt, natuſq; ſibi vim respuit inſons.
„ Mortales æquis generamur legibus omnes,
„ Iure pari, mox diſſimiles injuria fecit,
„ Et belli furor & rabies inſana nocendi.
Pacificos etiam fluctus Chilenque remotam
Auspiciis tetigere tuis gens noſtra, viæque
Ignotæ patuere maris, compendia ponti,
Quæſitumque fuit, quod non invenimus, aurum.

Magne Comes, ſtitit una tuos pax obvia curſus,
Et Luſitanis veniens Concordia terris,
Suſpendit Mavortis opus; frameaſque tubaſque
Et bellatrices paßim compeſcuit iras,
Ipſaque paciferam Bellona oſtendit olivam.
Non moriture Ducum, priſci venerabile germen
Sanguinis, ignotum nobis iam note per Orbem,
Ad Batavos veteremque redi, fortiſſime, mundum.
Non effœta tuæ laudis mea Belgica, cauſas,
Queis merearis, habet. reſtant præclara laborum
Argumenta domi. pandit tibi Flandria laxos
Mox vincenda ſinus. hic nondum fecimus armis
Otia. fervet amor belli, paribuſque Philippi
Regna fatigamus ſtudiis. Tu barbara ſperne
Verba, Magajates, & qui ſibi lurida formant
Tela, Tabaiarres, & pictos membra Tapuias,
Patagones, & Canibales, paſtumque cruore
Humano deforme genus; duroſque Caetas
Tupiguas & Amixocoros ſævoſque Piryvos,
Et Tupinaquorum populos. dediſce parumper
Iſta loqui, Germane, & vocibus utere noſtris.
Et Batavos Friſioſque ſona, mitemque Sicambrum,
Mattiacos Morinoſque & quos fovet Iſala cives.
Fulminat in Morinis cognati ſanguinis Heros,
AVRIACVS, ſternitque viam, qua poßit adiri
Ganda vel auguſtis Antvverpia digna triumphis.
Adſis, magnanimoque humeros ſuppone labori.
Voſque adeò, Patriæ Patres, quibus inclita belli
Gloria ſurgit ab Occaſu, tot Vespere in ipſo
Emeruit celebres vigilans induſtria lauros,
Heſperiæque acciditt opes; defendite magnis

Cœpta

Cœpta animis, Siculumque iſtis avertite Regem
Finibus, auriferamque Peru Cuſcumque Quitumq;
Et pulchros longè Potoſi convellite montes.
Hæc finem bellis regio dabit. illa potentis
Imperii ſuffulcit opes & robora tellus.
Obruite hanc orbis dominam, qua pugnat Iberus
Orbe alio. geminos in ſe committite mundos,
Et caput Hispanum Occiduis demergite terris,
Vt Phœbo labente labet. qui viribus in nos
Accreſcit gliſcitque novis, hinc pabula Marti
Sufficit, & ſtrictos æternùm nutrit in enſes.
Mercedem pugnis ſubducite. vadat Iaſon
Alter & in claros deducat carbaſa portus,
In Belum Panamamque & ditem invadite fortes
Colchida, & effoßis Indum ſpoliate metallis.
Ite Patres, monſtrabo viam per Amazonis undas
Hoc Duce, Perruvio totiſulgebitis auro.

C. BARLÆVS.

GVLI-

GVILIELMI PISONIS
TRACTATVS

De Aëribus, Aquis, & Locis.

BRaſiliæ Continens, ut maxima & præſtantiſſima totius novi Orbis pars magno ſuo merito cenſetur: ita, ſi penitius introſpiciatur, non minus jucunda atque ſalubris deprehenditur. Adeo etiam, ut Aëris, Aquarumque & Locorum cum temperie tum ſalubritate poſſit cum quibuslibet Europæ vel Aſiæ regionibus certare. Situm quippe (ſi ſpectes, figuramque, à ſecundo circiter ab Æquatore ad quartum ſupra trigeſimum latitudinis gradum excurrens longioris Trigoni ſpeciem refert. Baſin habet ad Orientem: angulis Æquatorem & Septentrionem ſpectantibus. Ab illa Baſi in Occidentem recta porrigitur: ita ut Angulus extremus ignotis ad Meridiem regionibus abſorbeatur. Quod in Orientem ſpectat latus, Heſperiis objacet Æthiopibus; interpoſito vaſtiſſimo mari. Vnde eſt, quod non minore valetudinis ac vitæ commodo, quam animi oblectamento habitetur. Etenim tota ejus frons blandum & benignum ſubſolanum, ab auris matutinis natum, continenter recipit. Is mirum in modum homines cæteraque animantia demulcens, atque ab intolerabili Solis, vertici perpetuo imminentis, æſtu vindicans mag-

magnum quid ſanitati tuendæ confert. Flatus ille, ſiquidem accedat mare, ſummo mane: ſin recedat, adultiori demum aurora exoritur, totoſque dies pervadit. Neque enim, ut multis Indorum in locis, circa veſperam langueſcit: quin intenditur adeo, vireſque ſumit eundo & comitante Sole, ut ultra medias noctis horas non raro vigeat, & aëris nocturna condenſatio nequeat dilatationem ipſius & motum naturalem facile habitare ac ſuperare.

Alterum latus (quod à Peruano Regno celſiſſima montium juga & immenſa diſterminant ſpatia) Zephyrus perflat, ventuſque mediterraneus ſera nocte infeſtat. Qu licet ob admixtos infinitis è paludibus ſurgentes vapores, habeatur inſaluber; adeo tamen à montibus mari vicinis coërcetur, & propulſatur à ſuccedente marina aura, ut vix queat ad littora uſque penetrare. Quodſi ob pluvioſas quandoque malacias per diem integrum (quod rarum eſt valde) ſpiraſſe contigerit, remotiores à mari, & Occidenti objectos, vehementius; maris vero accolas, atque imprimis nautas, una vix leuca à littore remotos, clementius exercet.

Quemadmodum vero annuis temporibus integri ſemeſtris mutationes haud magnæ: ita diurnis & nocturnis evidentiores contingunt; eo quod dies & noctes non magis pares ſint ſpatiis, quam differentes calore

lore & frigore. Nam Sol altius aſcendens, poſtquam terrarum & hominum poros aperuit, profundius & pari intervallo ſe occulit; unde condenſatus aër extremam noctis partem magis rorifluam efficit. Hinc rigidum & penetrans frigus corpora ferit inde à tertia nocturna, maxime vero circa gallicinium, uſque ad exortum Solis. Ideoque incautioribus advenis hanc terram recens ingreſſis perquam moleſtum atque noxium eſſe ſolet, & tantum non omnem ſpem præcidere vitam in hiſce vel aliis Indiarum oris beatam tranſigendi. Hujus rei non ignari indigenæ, focum perennem juxta lectos penſiles alunt, ejus ut beneficio inſecta non ſolum venenata ſed etiam nocturnum frigus, ſimul & terræ fuligines arcere à ſe queant.

Porro rectus aſcenſus & deſcenſus Solis breviſſima facit crepuſcula, noctesque adeo diebus pares, ut ne quidem unius horæ diſcrimen agnoſcant. Noctibus æſtivis, frigus intenſius: hybernis, quod mirere, mitius ſæpe perſentiſcitur: aëre ſcilicet tranquillo & nubibus undequaque preſſo pluviaſque minante.. Ruricolæ poſt noctes ſolito frigidiores, dies ſerenos & ſementi proficuos: Medici vero firmam, validamque corporis conſtitutionem pollicere conſuerunt: contra, ſi tepidæ noctes præceſſerint.

Pluvialis temporis initium fit menſe Martio vel Aprili; finis eſt Auguſto. Quo Sol redux

dux ex Cancro materiam pluviæ ex parte diſſolvit in ventos, unde procellæ & turbines ſubinde naſcuntur. Has mox vernum tempus excipit, blandiſſimeque componit. Diverſitatem quidem umbrarum, nunc in Auſtrum, nunc in Septentrionem projectarum, experiuntur Braſiliæ cæterique Tropicorum Incolæ, (Amphiſcii propterea dicti) nullam tamen, ut Doctiſſ. Scaliger, aliique non infimæ ſortis Philoſophi, fuere arbitrati, circa anni tempeſtates mutationem; bis nempe accedentis, & bis recedentis Solis; ſed tunc ſolummodo cum abit ab Æquatore ad Tropicum vel Cancri vel Capricorni, uſque dum eo redierit & Æquinoctium abſolverit. Proſper Alpinus duplicem æſtatem quod uno anno dari teſtetur in Ægypto, id non tam à Solis quam admirando Nili acceſſu & receſſu provenire exiſtimandum eſt.

Tempora anni non niſi duo ſunt, calidum & ſiccum æſtas dicitur: alterum quod calidum & humidum, ac Veri Europæo ſimile, brumæ vicem ſupplet. Idque veriſſimum omnibus in Indiis intra utrumque Tropicum deprehenditur. Hiemis enim & æſtatis initium atque finis licet ob particularia incidentia loci, tum & Æquatoris maiorem vel minorem vicinitatem, non in idem tempus incidant: plerumque tamen annus ſex fere menſibus ad humidum & totidem ad ſiccum vergentibus abſolvitur. Adeo ut vel hinc

etiam veritas Strabonis dicti confirmetur, nullum ſcilicet annum in Indiis inveniri utroque tempore ſine pluviis. Et quidem ea ratione, ut hic non, ſicut in multis Africæ & Aſiæ, ejuſdem nobiſcum Latitudinis, oris, maxima exinde intenſio & remiſſio æſtus, ſed nulla vel ſaltem exigua percipitur, (Sole licet Braſilienſium zenith menſe Octobri & Februario tranſeunte, radiiſque ſecundum angulos acutiſſimos reflexis feriente terram.) Quæ diverſitas iſtarum regionum Incolis, ob crebras malacias noxioſque tepores, interitum: harum contra ob dominatricem auram ſalutem promittit perpetuam. Vnde facile eſt colligere anni tempeſtates eſſe non tam immediate ex Sole & aſtris eorumque motu æſtimandas; quam ventorum ſpecie & diverſitate, Regioniſque qualitate ac ſitu peculiari. Eadem cauſa ſolemnibus illis Torridæ ſubſolanis vel Favoniis reddi poteſt. Quin in locis hiſce Mediterraneis paulo verſus occidentem noctes non ſolum, ſed & dies aliquando ſunt frigidiores, quam in orientalibus, littoralibus, uſque adeo ut pruina aliquibus quandoque capillos riguiſſe conſtet. Etenim in Indiis cum multa ſint admiranda, illud tamen vel in primis videtur omnium phyſicorum ingenia ſuperare, quod in eadem Cœli plaga, Solis acceſſu & receſſu pari, iiſdemque anni menſibus ab orientali parte quidem circa Oceanum æſtas & ſiccitas ſit ab

ab occidentali vero trans juga montium & paludes Braſiliæ, hiems, nebulæ & pluviæ. Vt in tanta locorum vicinitate, quod ad rationem tempeſtatum attinet, iidem pæne populi ſibi mutuo antipodes videantur eſſe. Quam miram diſſonamque naturæ varietatem, atque alia ejuſcemodi, ſi quis diligentius apud ſe reputet, profecto intelliget, Antiquos mul a de Æquinoctiali circulo & Torrida zona falſo opinatos eſſe. Cum, contra quam Ariſtoteles & Plinius aliique ſunt arbitrati, non ſolum habitabile hoc Clima, ſed & temperatum ac fertile utique reddant tum rores perpetui, tum pluviæ & jucundi à pelago flatus, dum vapores mane ſurgentes & nebulas tempeſtive diſcutiunt, æſtumque meridionalem temperant, ac Soles puriſſimos & nitidiſſimos reddunt. Hinc vero humorum, qui in nobis ſunt, à putredine conſervatio. Neque tamen præcipua ſalubritatis vel longævitatis ratio, ut quidam voluerunt, Æquatoris eſt vicinitas, ob æqualitatem quam imaginantur tempeſtatum. Nam multis ſub linea Æquinoctiali locis habitatis nec Solum nec Cœlum ad ſalubritatem favet: ſicut Inſula D. Thomæ, Guinea aliæque provinciæ teſtantur, ubi corpora à torrente calore areſcunt & reſolvuntur, minimeque longæva fiunt. Etenim attracti à Sole verticali & præſentiſſimo vapores ob perpetuas malacias non diſperguntur, neque aquæ agitan-

tur, ſed ſtagnant. Tum ſi qui perflant venti, languidi ſunt, & veluti longo itinere feſſi, ventis ſubitis aut mediterraneis facile ſe ſubmittunt. Vnde tepores vaporoſi, nebulæ & putredines enaſcuntur. Quod ſub Æquatore navigantes non ſine miſeria experiuntur in penu & aqua imprimis, quæ putredine fœtoreque concepto bis terve ſolet corrumpi in vaſis recens infuſa, priuſquam incorrupta & durabilis haberi queat. Braſiliæ vero vatiſſimus Oceanus tum pluviis, tum ventis perpetuam ad exhilarandum littus materiam ſuppeditat, non tepidam, ſicut extra Tropicos ſolet, ſed egelidam & ſiccam, eamque à Sole illuſtratam ab oriente in occidentem ad milliaria aliquot ſpirat. Accedit, quod paluſtribus & male olentibus pluviis ex continenti ortis, nunquam infeſtetur. Denique, ut multæ Orientalis Indiæ & Africæ partes, non cingitur vicinis Inſulis, neu ventis agitatur turbidis & procelloſis.

Cœlum ſæpe quidem nubibus, ex oriente in occidentem latis, obductum videas, ſed rariſſimis & tenuiſſimis, inque ſublimia aëris elevatis, præterquam diebus pluviis. Sol oriens & occidens inconniventibus occulis adſpici poteſt: tumque fere ordinario apparet ut colore, ita & magnitudine; adeo ut perquam commode Diametur ejus menſurari queat. Mira undique ſerenitas eſt, præſertim circa veſperam. quæ nullos unquam ſucce-

den

denti *Lunæ* tradit vapores vel nebulas: ſed noctes reddit adeo claras ut uno eodemque die Luna vetus & nova conſpici, litteræque ad Lunam quadratam ſatis recte legi poſſint. Eadem Aſtronomo & ad cæleſtia intento promittit multa circa Eclipſes & Nubeculas Magellanicas, Veneremque poſt emerſionem à Sole falcatam, Mercurium ſcintillantem & corniculatum, acceſſus denique Lunæ ad ſtellas cum fixas tum Planetas, cæteraque Phainomena, partim antea Europæis non viſa: ſicut multoties fuit à nobis obſervatum ex ſpecula eminentiori Aſtronomicis uſibus per Illuſtriſſimum D. I. Mauritium Naſſaviæ Principem, extructa, & à domeſtico meo accurate deſcripta, ad quem curioſum lectorem remitto.

Æther pro diverſitate aſpectuum Planetarum, accedentibus cauſis inferioribus ſuas recipit intemperies. Crebris fulguribus Cœlum ſub veſperam coruſcat, tempeſtate vel maxime ſerena, ſed ſicca. Tonitrua ſi quæ circa Æquinoctia ſuboriantur, rariſſime in Pernambuco & ſine fragore adiuntur, utut imbres effundat: in Maranhan ceu propiore Æquatori, vehementius & crebrius intonant. Multæ Irides, Halones, Dracones ignei volantes apparent. Grandines vix unquam conſpiciuntur. Nec eſt, qui obſervaverit altiſſima montium cacumina nive tecta, aut brumalem oſtentaſſe canitiem.

Pluviarum guttæ admodum ſunt magnæ, gravique decidunt impetu, quas moleſtus aliquando tepor præcedere vel ſequi ſolet. Ros Europæo, cum pinguior, atque adeo fæcondior, ſic ob nitri quo impregnatur copiam penetrantior multo ac tenuior, præcipue æſtate, exiſtit. Manifeſtum hoc in ferro imprimis, multo magis in materiis minus ſolidis. Quæ ſub dio poſita facile corroduntur & exeduntur. Intenſior enim Solis radiorum fervor, poros corporum ſublunarium aperit uſque adeo de die ut nocturno rori ſubtiliſſimo facilem uſque in profunda aditum faciat. Vnde per quotidianam viciſſitudinem humiditatis & caloris illata putredine, vermium diverſorum generum fit generatio. Quantum vero omnibus his noxius eſt ros, tantum gramini & paſcuis proficuus, imo neceſſarius, ne æſtate inopia pluviarum torreantur, Hoc ſolo enim arentia loca & humorem ſitientia refocillantur. Nihil item rore magis alimentoſum, quo ſolo tot beſtiolæ & infinita inſecta vivunt: quod & divinus Poëta dixit; *Quantum ros nocte reponit*. Eſtque adeo eximiæ efficaciæ ros matutinus, ut & pecora & homines æſtuantes, ac ſpirituum profuſione fractos mirifice roboret. Concentrando enim calorem nativum ingeminat, atque appetitum acuit, adhæc urinam provocat.

Eteſiis ceu anniverſariis ventis ſereniſſimis

hæ

hæ oræ diverſis temporibus gaudent. Semeſtri enim hiberno ſive pluvioſo, ex nubiloſa auſtrina plaga intenduntur & Vulturni velut naturam induunt. Hinc vehementius quam Aquilo, menſibus æſtivis, dominantur, aëriſque imperium obtinent. Adeo etiam ut ductus aquarum inde à menſe Martio ad Octobrem illis obſequia præſtent. Reliquo anni tempore ex Septentrione in Auſtrum maria coguntur. Circa Africæ latus occidentale, Braſiliæ oppoſitum, plane diverſo modo ſe res habet. Quippe ab Aprili ad Iulium menſem, verſus Septentrionem rapidus eſt fluxus; inde ad Octobrem tranquillum mare. Hinc ad Ianuarium verſus Meridionalem plagam Oceanus truditur: mox circa medium Aprilis denuo nullum *Currens* maris (ut fluxum illum generalem Verulamius appellat) experiuntur nautæ. Atque hæ diverſitates potiſſimum quidem intra Tropicos libero æquore navigantibus percipiuntur. Adeo ut hi venti generales, Tropæi dicti, minime ſegnes, partim regendo *Currens* maris, partim proprio flatu (non ſpontaneo aliquo raptu ab ortu in Occaſum, ut Scaliger & ante eum veteres quidam imaginati ſunt) id efficiant, ut hinc navigantes verſus Africæ, vel Europæ oras, eadem redire, qua venerant via, nequeant.

Æquor Braſilienſe ut plurimum tranquillum eſt. Cui temeritas Barbarorum ſe fidens,-

gemino ligno ſuberoſo, *Iangáda* dicto, inſi, dentes, ſecure piſcaturam exercent aliquot leucis à littore remoti. Cerulea & ſubnigra ejus facies exterius eſt, interius viridis. Agitatum noctu igneſcit, magnoque lumine refulget. Salſius quoque deprehenditur quam verſus Polos, adeoque pellucidum, ut piſces ultra viginti orgyarum profunditatem aureo colore micantes, ex altis puppibus commode conſpiciantur, meridiano tempore, Soleque ſplendente. Ac tum ſimul intueri licet, quam diverſus & contrarius ſubinde ſit motus in profundo mari, ab eo qui in ſuperficie à tumultuariis fit ventis. Quod jactas bolides, aliaſque artis nauticæ conjecturas non parum eludit.

Si mare circa Æquinoctium nimis languidum deprehendatur, admodum inſidioſa habetur illa tranquillitas. præſertim, ubi atræ & ſordidæ nubes conglobatæ, ut fit, accedant, quæquæ univerſo repente impetu ſeſe effundant, unde momento immenſæ rates evertuntur.

Licet autem juxta littora æſtu ſatis vehementi ſalum intumeſcat, non tamen agros invadit, aut vicinas terras depreſſas inundat, ſed ingenti fremitu rupem quandam ſive maris teniam, *Reciffo* Luſitanis dictam, pulſat maximoque impetu verberat. Illam ſummo naturæ miraculo & beneficio ibi poſitam fateri, quotquot videre, conguntur. Crepido enim

enim cautium longo tractu excurrens, inſtar muri ſe violentiæ barbari & indignantis elementi objicit, fidaſque ac tutas navibus ſtationes & portus præſtat. Largiſſimam præterea ædibus materiam, qua Olindæ & Paraybæ templa ac monaſteria ſuperbiunt, ſuppeditat. Maximam Braſiliæ partem eadem nunc interrupto & flexuoſo, nunc continuato rectoque ductu tuetur. Ejus latitudo (quæ planiſſima eſt, & quaſi arte ſuperficie tenus polita) ad paſſus viginti, ſubinde triginta & ultra ſe extendit. Tantæ vero altitudinis eſt, ut vix maximo æſtu inundetur.

Nova plenaque Luna mare ad duodecim pedum altitudinem (quod in Paranambucenſi littore fit circa quintam) attollitur, pariterque deprimitur. Verum non rite obſervata ſex horarum viciſſitudine, ſed pro ratione decurſus fluviorum & pelagi intemperie, vel citius vel tardius æſtum vaſtiſſimus Oceanus abſolvit. Ita tamen, ut menſibus æſtivis acceſſus: hibernis vero receſſus ſint & longiores & vehementiores. Quid, quod fluxus lunares, paucis tantum à littore miliaribus; *Currens* vero maris per univerſum æquor perſentiſcant navigantes.

Cæterum ad extricandas perpetuas nautarum controverſis circa longitudinem hujus Continentis, ſcire intereſt, magis ad Occidentem à natura collocatam eſſe quam periti ſſimi quique Geographi & Hydrographi

hactenus ſunt opinati. Operæ pretium itaque duxi illud addere, quod ex ſedula obſervatione Eclipſium Lunarium nobis conſtat. Initium ſiquidem deliquii, quod in vigeſimum Decembris anni milleſimi ſexcenteſimi trigeſimi octavi incidit, inter Olindam Paranambuci, & Vranoburgum Daniæ, tribus horis & quatuor minutis differre deprehendimus. Vnde reducto calculo, facile erit colligere, quæ cauſa ſit erroris; cum plerique naucleri ultra quinquaginta minuta à nobis diſcrepent.

Vniverſa Braſilia (cujus Incolæ Antœci ſunt Hiſpanis & Æthiopibus; Periœci Iavenſibus: Antipodes Aureæ Cherſoneſi populis) Coloniis & Præfecturis quatuordecim, totidemque circiter fluviis diſtinguitur. Horum beneficio territoria fertilitate & commoditate differunt. Præter quamplurimos amnes, fontibus inclytis & utcunque herboſis habitata Orientalis pars ſcatet; iiſque paſſim, mira divina bonitate irrigatur, potumque hominibus juxta ac pecoribus abunde ſubminiſtrat. Armenta ſilveſtria ſiti æſtuantia eo confugiunt, ſeque ad luxum inebriantia aquis, præda fiunt venatoribus. Rapidi ſunt plerique fluvii menſibus pluviis, & tunc de ſubito in altum excreſcunt ac ripas egrediuntur. Econtra vero is, qui Parnambucenſis Præfecturæ terminator & D. Franciſco ſacer, totius Braſiliæ facile maximus eſt: menſibus

qui-

quidem æſtivis rapidiſſimus ſimul & altiſſimus exiſtit, ruptiſque obicibus valentius ruit in campos & mare. Menſibus autem pluviis, quod mirandum ſane, aquas decreſcere, modiceque tantum in pelagus ſeſe exonerare videas. Cuius inauditæ diverſitatis cauſam, alii aliam perhibent. Sed ſub accuratiſſimis Regionum luſtratoribus & ipſis Philoſophis etiam nunc lis hæret. Quamvis autem tanti fluminis fons aut origo nondum à quoquam fuerit luſtrata, tamen evidens ratio videtur evincere ex intima parte hujus Continentis diſcendere, & quidem è Lacu illo mediterraneo à multis celebrato, qui omnes fluvios, ut & hunc noſtrum, ab altiſſimis Peruviæ montibus verſus ortum demiſſos, recipit & in Oceanum emittit. Noſtrates hoc flumen celocibus aliiſque ratibus *Canoas* dictis ad quadraginta milliaria aſcendentes adhuc ſatis latum & profundum, inſuliſque amœnum & ſcopulis horridum invenerunt. Indigenarum quoque & Luſitanorum fide conſtat circa quinquaginta milliaribus à mari, ipſum de altiſſimis rupibus ſeu cataractis, *Caccéras* vocant, præceps ruere nec altius ab iis qui è mari veniunt aſcendi poſſe. Supra cataractas fluminis alveum porro pergere verſus *Corum* ad aliquot milliaria, uſque ad ingentem illũ Lacum, in quo multæ ſint inſulæ perquam fertiles & habitatæ. In que hunc Lacum aureas arenas à rupibus auriferis verſus Peruviam jacenti-

centibus detritas per infinitos torrentes deduci.

Cæterique fluvii vel potius rivi, qui ad hanc Braſiliæ oram in Oceanum effluunt, ad minimarum etiam navium onera à mediterraneis deferenda ſunt inepti, quod aquis deſtituantur. Illi enim paucis exceptis, licet tribus aut quatuor milliaribus non abſint à fontibus ſuis, nihilominus in oſtiis magnorum fluminum ſpeciem præ ſe ferunt. Quod fit propter maris acceſſus, fauces illorum illudentes. Exemplo ſit *Rio formoſo*, item *Rio grande*, & alii, omnes magnarum navium qua oſtia capaces: qui tamen, ut verſus mediterranea vix duabus leucis à littore abſunt, ita pedibus genu tenus tranſeuntur. Cun nulli tamen alii in hac Americæ parte reperiantur, qui tantos imbres alveo ſuo excipiant. ſed conſtat ratio. Vatiſſima montium juga procul à littore demittunt vim illam pluviarum à tergo, & exonerant ſe verſus Occidentem. Mox verſus Orientem ad rapidiſſima, ne dicam & totius mundi maxima: uno quidem brachio verſus Septentrionem in Amazonum & Maranhan flumina: altero ad divi Franciſci, atque illa quæ *de la Plàta* & *de Ianeiro*, dicuntur, verſus Auſtrum erumpunt. Hæc receptis in ſe quibuſdam amnibus invaleſcunt & aliquando ad milliaria triginta in Oceanum labuntur. tanto impetu, ut in ipſo mari dulces à nautis hauriantur latices, ac ſi è fonte aliquo

ſali-

ſalirent. Porro Lacus juxta littus reperiuntur, qui mari licet vicini & quaſi contigui, aquis tamen ſunt dulciſſimis. Præterea putei, paucis ante annis, circa ipſum littus, & quo æſtus maris pertingit, effoſſi, potabiles aquas & dulces ignoto vel dubio venarum commercio, impertiunt. Vnde percolatas omniſque ſalſedinis expertes prorſus haurire datum: quæ licet fontanis inferiores ſint, domeſticis tamen officiis ſufficiunt. In remotiſſimis vero deſertis rivuli quidam è lacubus oriundi, hieme dulces, ſubſalſi æſtate exiſtunt; quod ſtagnantes Solis aſſiduitate aduruntur.

Tellus hæc ex diverſo naturæ luſu conſtat. Quæ enim in planitiem longe lateque ſternitur, gleboſo ponderoſoque & præpingui ac irriguo eſt ſolo *Vergea* Luſitanis dicta: multorum fructuum ferax: cannas ſacchareas imprimis, tum & credita quæque ſemina multiplici reddit fœnore. Aprici campi minus æſtate, ſed menſibus potiſſimum pluviis (licet terra tunc habitantibus triſtior videatur) lætiſſime vireſcunt, prataque meſſem negantia pabulis vigent. Frumentum & ſecale nimis celeriter in germen evocantur à jugi perpetuoque ſolis fervore & indulgentia agri. Qui proinde multa verſatione (nec autem interquiete unquam indiget) fatigari debet, additaque potius arena quam ſtercore, ferendis frugibus aptior reddi. Secus enim

nim germinatio nimis feſtinata aduritur vel exhauritur. Qui ab exoticis ſeminibus & his quæ diutius in terra foveri debent, proventum expectant, maturationem retardent oportet. Ne foliis luxurient plantæ, ac granis poſtea & ſeminibus caſſæ reperiantur, atque ita ſpem votaque agricolarum deſtituant. Committere terræ plantas & ſemina oportet menſibus Februario & Martio; quum nempe finem æſtatis excipit tempeſtas humida. Fieri vero utrumque debet prima veſpera, non de die, nec adulta nocte. Quæcunque profundius & quo radii ſolares non pertingunt, inhumant, in vitæ diſcrimen ea incurrunt, quod ſub cute ſua intenſe frigida terra, præcipua æſtate, taleas & ſemina facile enecet. Cujus rei advenæ & novitii experimentum non ſine magna jactura fecerunt. Semina ſicut & fructus colligunt diverſo plane tempore in locis acclivis & ſitientibus quam declivioribus & uliginoſis. Quid quod horum plurima toto anno & omni tempore plantentur & germinent: felicius licet vel infelicius, pro locorum & plantarum diverſitate. Quod evidentiſſime apparet, præſertim circa proceras illas arbores, quas *Cocos* & *Palmitas* nuncupant. Etenim hæ citra ullam anni temporis, ſeniique arborum obſervationem tranſplantatæ vireſcunt jucunde, & fructibus eximiis abundant, in littore ſterili gaudentes foveri; modo radices, quas infinitas

nitas & breviſſimas habent, leviter tantum terra cooperiantur. Harum enim cæterarumque Indiciarum arborum radices adeo à frigore ſubterraneo abhorrere deprehenduntur, ut nonnunquam Solis deſiderio foras prorumpentes, terra ſe condi vix patiantur. Nonnullæ arbores & quidem nobiliores, ſicut *Acaiù*, *Vbapitánga*, *Caiá*, *Andá*, *Iacapucáia*, *Murecy*, *Ietaibá*, *Aratiкú*, *Ibabirába*, Ficus & Myrtus ſylveſtres *Iamacarú* & *Cambuy* dictæ: Planta quoque *An anás* & alia ſemel dumtaxat in anno florent, tempore verno, quod circa Octobrem eſt: mox fructus proferunt, Sole ingrediente Capricornum, & durant ultra tres menſes, poſteaque quieſcunt. Solus, quantum conſtat fructus *Guitycoroi* ſemel biennio; fructus autem arboris *Ibiraée* quod eſt Guajaci Braſilienſis, vix quadriennio producitur. Pauciores arbores nativæ hactenus ad ſativas relatæ: ſylveſtres tamen cum ſint, fructus elegantes, & gratiſſimi ſaporis proferunt, maxima quidem ex parte frigidos, cum aſtringendi facultate. Quaſi natura benigna hæc mortalibus immodice æſtuantibus ſolatio dederit, proruentibuſque humoribus frenū impoſuerit. Plurimæ arbores & frutices toto fere anni tempore flores & fructus feliciter protrudunt, ſimulque Ver, Æſtas & Autumnus in iis conſpiciuntur. Horum facile principes, *Murucuiá*, *Mangabá*, *Pacóba*, *Banán*, *Ianipápa*,

Ara-

Aracá, Pindóva, Cocos, Mamáon Pinhoins, Piementa. Quibus annumerantur, Vitis, Citrus, Malus Medica, Ficus, Cucumeres, Melopepones, Citrulli Malogranata bifera, & trifera, aliaque plurima ex Luſitania & Angola olim, & nuper è Belgio adducta legumina, radices & olera paſſim in hortis exculta, atque in culinis domeſtica facta. Imo & Piper orientale, & alia infinita exotica, tam ſata Europæa, quam Aromata Aſiatica benigne fert tellus. Sed regio quondam diplomate ne vileſcerent propter abundantiam, proh bita & prorſus eradicata. Qui racemos per totum annum deſiderant, vineas diverſas, diverſis putant menſibus, maturaſque poſtea uvas colligunt. Vnde non ignobile vinum, creticum æmulans, exprimitur. Quin & omnis generis fructus atque frumenta etiam noſtratia ſingulari fertilitate explerent colonorum ſpem, ſi quod univerſale remedium contra Formicarum illam Strumam inveniri poſſet. Nam locis anguſtis & quoque uliginoſis vel ignis vel aquæ beneficio per impigrum agricolam facile arcentur. Sed cum nulla regio ab omni parte beata, vix credo potentiſſimum hunc hoſtem ſuperatum iri poſſe. Quod non tam à Soli quam Solis vi procedat, qui ubicunque ſub zona torrida, etiam in Indiis Orientalibus, atque in vicina Peruvia, infinitas Formicarum turmas generat. Partes autem Indiæ, ut quoque Braſiliæ, ex-

tra Tropicum ſitæ, Formicas vix nôrunt; unde & fruges ibi uberrima. Vtinam natura plures feras formicavoras collocaſſet, quæ ſimul tot myriades abligurirent, ſicut mira illa aſpectu animalia quadrupedia *Tamendoá* dicta, quæ Canis magnitudine, longis inſtructa unguibus, alte fodiendo formicarum latebras detegunt, iiſque illico exertam trium fere dodrantium linguam immittunt exilem, opertamque Formicis repente contrahunt, deglutiuntque deceptas. Formicæ autem hæ (*Rey do Braſil* Luſitanis non immerito dictæ, quod perpetuam tyrannidem exerceant) aliquæ Europæarum plane ſimiles, aliquæ triplo majores & alatæ, omnivoræ ſunt. Aggeres quoque & tumulos ingentes, in modum metarum fœni, è terra ab illis exſtructos, videas. Hucinopi metuentes ſenectæ, non tecto vel calle anguſtis, ut Virgilius eleganter de ſuis formicis cecinit, ſed naguſtis convectant atque reponunt quidquid populant nigra hæc Formicarum agmina; ita ut in campis, in ſilvis, aliquot leucarum ſpatio, perpetuæ ſemitæ, opere earum ferveant. Quam vero noctu Luna plena operentur, interlunioque ceſſent, quam celebres undique earum conventus, quam diligens cum obviis collocutio atque percunctatio, quam denique futurorum quidam ſenſus, cum, imminentibus menſibus pluviis, tumulos ſuos cavernoſos altiores ſtruant, &, quod omnem fere intel-

ligentiam ſuperare videtur, granorum in pe-nu reconditorum umbilicum, quo germen emitti ſolet, ſollicite excidant, hic conſpicere datur. Ita ut vel ſtupidiſſimus ſpectator Salomonis proverbium in memoriam revocet, ubi ignavos ex earum œconomia incitamentum laboris capere jubet. Plura de mirando regimine dicenda forent, niſi jam dudum propoſiti limites tranſiiſſem.

Qua lacuſtris eſt hæc Regio, ob perpetuam uliginem funditus æque ac in ſuperficie viret. Tum diverſo plane herbarum fruticumque paluſtrium genere, adeoq; mira naturæ ſolertia luxuriat, ut herboſam terram, non aquam diceres, amphibiorum æque & piſcium latibulis deſtinatam. Non omnia loca paludoſa & lacuſtria inſalubria eſſe, monumenta veterum quoque confirmant in Italia, ubi inſignia quædam & fertiliſſima habitacula paludibus proxima, incredibili tamen ſalubritate fruebantur, propterea quod commercium haberent cum mari, & motione perpetua non paterentur ſtagnantes putreſcere. Circa odia vero fluviorum, ubi paludem aqua marina ſingulis æſtibus inundat, ab immenſa Oſtreorum & Cancrorum multitudine perreptatur, atque tortuoſo illo arborum genere, *Mangle* dicto, ita obſidetur, ut viatoribus & piſcatorib⁹ prorſus ſit inacceſſa.

Qua montoſa, raro ſterilis vel otioſa apparet, ſed in acclives & amœnos colles (exceptis va-

vaſtiſſimis montiũ jugis in deſertis mediterraneis) exſurgit. Contingit quidem arbores & gramina menſibus pluviis læte virentia, æſtivis ob ardores ſolares emori, eaque incenſa ingenti ſpatio ſubinde incendium producere; ſed ipſi Incolæ iis incommodis proſpicere norunt, dum loca illa exciſarum & recenter combuſtarũ cineribus fœcundant, ut frugibus Cerealibus Americanis aptiora fiant.

Qua arbuſtis ſylviſque denſiſſimis veſtitur, multo olim labore Luſitanos ad pyxidem nauticam iter ſuum inſtituere coëgit. Quod noſtratibus etiam nunc & mihi uſui fuit, in muniendis viis per deſerta, patentque nemora in longitudinẽ aliquando ultra ducẽtas & trecentas leucas. Qua ad arborum vaſtitatem, cymbæ uniligneæ, ex ijs fiunt centũ & quinquaginta hominũ capaces. Qua ad altitudinem, ſagitta à fortiſſimo emiſſa quarundam ſummitatem haud facile ſuperat. Arbores denique variæ magnitudinis indiſcriminatim hinc inde per campos & ſylvas videre eſt, earumque ramos variis carduis, imo & integris diverſæ ſpeciei arbuſculis frugiferis onuſtos & ornatos. Haud dubie, quia tot volucrum cohortes, cum excrementis ſimul alvi nucleos ſeminaque fructuum ibi deponunt: quæ in fervido earum ventriculo præmacerata, facilius germinant. Ex hiſce nemoribus fragrantiſſimæ quoque arbores balſamis & gummi gravidæ, non tantum medi-

cinæ gratia, ut *Copaiba, Cabureiba, Icicariba,* ſed lucri cauſa ob colores & tincturas varias, aliosque uſus eximios ad Europæos apportantur. ut ſunt *Ibirapitánga* arbor illa Braſilienſis κατ᾽ ἐξοχὴν ita dicta, & rubra tinctura nulli non nota. *Tataiba* ſive lignum flavum. *Arariba* cortice rubro. *Vrúcu. Iacarandá. Antinuba* ſive Cedrus alba, & aliæ multæ quæ ædificiis navibuſque ſtruendis aptiſſimæ, quod aquis minus perviæ ſint & ferant ætatem. Ex quarundam corticibus nunc funes igniarii, in militantium uſum, nunc in navium neceſſitates torquentur, & rudentibus materiam ſubminiſtrant. Denique è colliſis lignis *Caraguatá, Tataiba, Ambaiba,* aliiſque ferulaceis plantis ibidem naſcentibus, ignis luculentius, quam ex concuſſo ſilice, à Barbaris elicitur.

Si quæ loca ſint aridiora, mirabiles illas Climaces, ſeu funes potius ἀφύλλους generali nomine *Timbo* & *cibo* appellatos proferunt, quæ ſua flexilitate & tenacitate apud fabros & vietores ligaminum, contuſa apud piſcatores, coriarios, & naupegas, rhois & ſtupæ vicem ſupplent. Inter has Climaces, non minus notatu digna illa quæ *Guembé* nomen à Braſilianis accepit. Texitur enim Cannabis & Sparti modo, cum alios in uſus, tum præcipue in anchoralia: neque materia ulla ad nauticos funes & maris impetus aptior; namque ut ſalſuginem amat ea planta, funis

quo-

quoque ex illa confecta marinis aquis imerſa, identidem revireſcit. Et anchoris alligata, fluitantes in ſalo naves egregie continet, non tam ab innata duritie, vel operis firmitate, quam viriditate ipſa, & lentitia quadam ad inſtar corii; ut ſeſe vel in altum elato navigio, modo in tenuitatem extendat, vel reſidente rurſus in craſſitudinem contrahat: quod ſecus in noſtris evenit rudentibus, quæ nimirum ipſa vi ac pertinacia ſæpe rumpuntur.

Nemorum pleræque arbores, cum ab Autumni & Veris viciſſitudine nihil fere patiantur, frondibus tamen & foliis non eodem ſimul tempore veſtiuntur & ſpoliantur. Præterea non unaquæque arbor foliis ſimul omnibus orbatur, ſed parte una decidente altera tam diu manet, donec prior repullulet. Mirari quoque ſubit, primum naturæ hoc fœcundiſſimum theatrum contemplantem, herbas & plantas in Europa à natura molles, hic caulibus ligneſcentibus luxuriare: Earum quoque non paucas ratione loci inter ſe plurimum diſcrepare; nam quæ vix fruticis magnitudinem æquarent in pratis, in denſis nemoribus ſummæ videri proceritatis. Accedit, quod varii generis Hederæ fabiferæ, Phaſeoliq; pulcherrimi, ſuprema arborum cacumina ſcandentes, topiarii inſtar operis perpetuam umbram præbant. Inter hæc virgultorum opaca, ipſis Faunis conſecrata homines

pariter ac feræ ſe abdunt vivuntque ſecure. Multi enim in illis ſunt ſecreti tramites; qui ſui gnaros haud parva in venando voluptate perfundunt. Quæ ſylvarum fontiumque prærogativa multis Indiarum regionibus denegata eſt, maximeque occidentalis Africæ parti habitatæ, ac propterea Torridarum regionum nomen merito obtinent: ab immodico enim & ingenti æſtu dehiſcunt illæ, ut ad fluvios umbroſoſque ſaltus diſſitiſſimos, pecorum greges amandari neceſſum ſit. In agro enim arenoſo longe majores ab incolis perferuntur calores, quam ſi terreus eſſet eodem Solo, Cælo & Sole. Ita & montoſa differunt à planis & nemoroſa à nudis, ac perinde ut humilioribus aut altioribus montibus aſſurgunt, magiſque aut minus ſylvis veſtita ſunt, frigus aut calorem aëri majorem aut minorem concilians.

Porro ſicut Peruvia crebro ex æſtuantibus cavernarum latebris: ita nunquam Continentis hujus tractus orientalis terræ motum fuit expertus. Metallis enim & igne ſubterraneo, ſpirituum & vaporum genitore paſſim deſtituitur. Excipe montes in Præfectura *ciára* adeo argentiferos, ut theſauros hactenus pollicitos, nunc cum fœnore Batavis præſtare cœperint, atque etiam nunc præſtarent, modo Plautinum illud minus in nos quadraret.

Tum denique homines noſtra intelligimus bona,

Cum

Cum quæ in poteſtate habuimus, ea amiſimus.
Atque hæc de diverſitate terræ nobis cognitæ.

Illa autem deſerta & ſolitudines frequentibus jugis arduas, inque Occidentem porrectas Anthropophagi tenent. Europæi qui inveſtigando loca incognita vaſtiſſimos iſtos & fragoſos ſaltus penetrarunt, teſtantur, ſe non minus fertiles ibi, herboſoſque montes & convalles vario animalium genere occupatos vidiſſe, quam in littoralibus & habitatioribus locis. Quod ipſum poſtea verum comperi: hoc tamen diſcrimine, quod quo ad mediterranea loca penetres altius, eo plura quidem mineralia eaque ignobiliora ſe offerunt, ſed fontium inopia atque ob auras devigeſcentes æſtus diurnus major, & noctium frigus intenſius: frequentiores denique lacus piſcoſos hybernæ pluviæ, in æſtivam penuriam, ſuppeditant. Mediterranea enim opem plurimam à cælo imbrido habent, non circa vegetabilia ſolum, ſed & ferarum atque piſcium miram obæſitatem, ut condimento proinde minori indigeant. Mel quoque ſylveſtre, fructus *Iacabucáio, Ietaiba*, Palmæ & ſylveſtres Ficus, defectum fructuum *Acaiú* in deſertis locis ſupplent. Quæ teſquis & rubis, cæteriſque ſpinoſis fruticibus paſſim adeo horrent, ut vi via facienda ſit. Inter cætera, *Caragúatá*, aliique cardui, rorem & aquam pluvialem copioſe concavis

foliis, calicis inſtar perpetuo continent, quæ deficientibus rivis & pluviis ingenti ſolatio hominibus æque ac animalibus exiſtunt.

Duæ tantum indomitæ feræ (ſerpentibus exceptis) in tam vaſta Regione extimeſcendæ reperiuntur, Tigres & Apri. Quarum illæ inſidioſæ, velocitate valent: hi tardiore ſunt curſu. Vtræque autem famelicæ exiſtunt. Eædem paſtæ, quod mirere, adeo fiunt gnavæ & meticuloſæ, ut ab ipſis Tapuyeris & gregariis etiam canibus, in fugam confeſtim agantur & capiantur. Vſque adeo ſatietas non homines tantum ſed & feras enervat. Inter belluas marinas vero, plures invenias feroces & prodigioſas ſatis. licet enim ſummè admirabilis Dei potentia atque ſolertia in rebus cœleſtibus, iiſque quæ in aëre & terra fiunt, unicuique pateſcat; maxime tamen ea in mari prælucere videtur, in quo tam variæ & ſtupendæ rerum formæ conſpiciuntur, earumque vires & proprietates deteguntur, ut quærendi & contemplandi nullus unquam futurus ſit finis, meritiſſimoque jure ea quæ dignoſcitur pars, illius quæ ignoratur minima dici poſſit. Sunt autem Thynni, Delphini incredibili velocitate cæteros ſuperantes. Serræ porro, & Lamiæ ſive Tuberones inter rapaces primum locum obtinent. Hi formidabili rictu piſces non tantum, ſed & urinatores devorant, nimiæque voracitatis pœnas aliquando dant: quod piſces echinati, cornuti,

nuti, tum quoque venenati, deglutiti eos interimant. Sicut eleganter Oppianus olim cecinit:

Occiſa occidunt hoſtem, perimuntque necantem.
Serræ vero perpetuum cum Cetis bellum gerentes, eorumque præcordia gladio radiis acutiſſimis horrido fodicantes, mare tingunt cruore.

——His eſt audacia tanta.
Hi fortem Ponti Regem formidine nulla
A grege ſeiunctum aſpiciunt, ſolumque vagantem;
Atque catervatim veniunt ad martia bella,

Cetorum vero menſibus præſertim pluviis magna apparet copia, quod fœtus ibi edant. Quos cum maris receſſu contingit hærere in vadis, multum olei inde redundat. His quoque monſtris annumerantur Vaccæ marinæ & Nereides, Braſilianis *Iupipiápre*, Luſitanis *Peixemulher* dictæ. de quibus Virgilius,

Frons hominem præfert, in piſcem deſinit alvus.

Notatu dignum, quod eximiæ tot arbores, frutices & herbæ, figura, foliis & fructibus à veteris orbis vegetabilibus, paucis exceptis, diſſimiles appareant. Idem in avibus, animantibus & piſcibus deprehenditur: ut & inſectis alatis atque non alatis. Quaſi ex diverſitate Climatum, non tantum hominum, ſed etiam ſenſitivorum & vegetabilium prodirent differentiæ, idque non adeo ex

aſtrorum ſynerga, quam vi Solis & Soli genio peculiari. Quæ omnia ut ineffabili colorum pulchritudine, ſic & infinita multitudine hiſce in oris generantur, partim nota nota nobis, partim incognita. Quorum aliqua, ſapore & dignitate Europæa ſuperant; aliqua longe inferiora exiſtunt. Ex quibus utique apparet, quam mirus & varius luſus ſit in orbe terrarum. Meritoque beati Incolæ haberentur ſi omnium horum Creatorem cognoſcerent. Quum è contrà tam fauſto ſub cœlo, tam agreſtia & diſtorta illis ſint ingenia.

Hæc breviter de Aëre, Aquis & Locis dicta ſufficiant. Quorum utique temperies optima parum eſt ex ſe culpabilis. Neque enim Solis calore torretur hæc terra, neque ſqualore vel aquarum penuria reſiccatur, neque frigore extinguitur, ſed rore perpetuo imbribuſque multis ac fontibus irrigatur. Vnde & feraciſſimum eſſe, & multa illic tempeſtive naſci oportet. Præterquam enim quod Balſamis nativis, oleis, mellibus non unius generis abundet, herbarumque ac radicum medicarum & ad tutandam valetudinem potentium ferax ſit: quæſtuoſiſſimam inſuper culturam facit, quantum ex aliquot retro annorum meſſibus colligi potuit. Animalium denique omne genus ac boum imprimis armenta in maximum numerum augeri & crebrius parere, certum eſt. Quæ loci ſalubritatis

tis fama non paucos olim ſenes alioſque minus proſpera utentes valetudine, ex Hiſpania, & Indiis aliiſque diſſitis locis excivit ad aërem & aquas has Cœlo datas, tamquam ad duo validiſſima vitæ & valitudinis præſidia. Perquám mature enim pubeſcunt Incolæ: ſeneſcunt tarde, idque ſine canitie aut calvitio. Quo fit, quod longe ultra centeſimum ætatis annum, viridi ſenecta, non Americani tantum, ſed & ipſi Europæi fruantur, totumque adeo territorium Macrobium dici mereatur. Non aliter ac ſi fervor juvenilis frigore ſenectutis repreſſus, temperatiorem illam in calidioribus hiſce plagis efficeret. Advenarum enim proles crebris licet morbis infeſtentur, multique ſuccumbant, imprimis noſtrates infantes, non tamen id tam debet Cœli intemperiei, quam præpoſtero nutriendi modo imputari. Exemplo ſunt vel maxime Braſilianorum liberi vivaciſſimi. Qui cum ventre duro ſint & prominulo, ſolidiſque toris, quamvis ſubucula tantum leviori induantur, nihilominus injurias Cœli ſecure contemnunt. Rident matres ineptam noſtratium & veſtiendis & educandis parvulis induſtriam, qua perſpirationem impediri & catarrhos multos generari ajunt. Nulli inter illos, ſtrabones, luſcioſi, claudi, gibbove deformati inveniuntur: cum tamen infantes nunquam aut linteis involvantur, aut involuti faſciis Europæorum more ligentur. Frigida

gida frequenter lavantur. Idem provectioribus uſitatiſſimum eſt: cum ob innatam genti munditiem, tum ad firmandam & tuendam corporis ſanitatem. Porro alacres ſunt & ſucculenti omnes, vaſiſque amplis, brachiis cruribuſque lacertoſis & firmiter compactis, minus tamen pinguedine farctis. Qui nobiſcum militant maris accolæ, non admodum ſunt aut moribus agreſtes, aut corpore proceri, ſuntque mares invicem maribus, mulieres mulieribus ſimiles: eo quod paucioribus anni tempeſtatibus obnoxii, etiam rariora vitia in ſemine ſeminiſque efformatione concipiant. Plerumque enim ut hominum inſtituta & mores, ita quoque naturam pro varia Regionis conſtitutione mutari videmus. Præter longævitatis beneficium & alterum eſt quod rariſſime adverſa valetudine afficiantur. Primo quod fortibus naſcantur, & incomparabili aëris ventorumque ſerenitati atque æqualitati exponantur: tum quod tantum non ignorent, quid curæ ſint, quid animi affectus, quid corporeæ voluptates. Sub eodem tecto, eoque levi & ad inverſæ modum carinæ palmis inſtrato, multæ ſimul familiæ degunt. Has caſas peregrinaturi deſerunt ad tempus ſupellectilem quam curtam habent & liberos humeris impigre portantibus fœminis. Eodem ſemper victu & amictu, eoque ſimplici gaudent. Quippe ſolum goſſypium ad veſtitum illis ſufficit, juxta illud Lucani ſcilicet. *Ter-*

Terra ſuis contenta bonis, non indiga mercis &c. Nullus denique illis habendi amor, paupertatique ſe addicunt voluntariæ, ea quidem æquitate, ut cui plus eſt, lubens impertiat minus habentibus, pari dandi & poſcendi invicem facilitate. Radices omnes alimentoſas, quod dignitate *Mandiocæ* cedant, imo ipſum panem ex oriza aut milio, Aſiaticis tantopere expetitum, contemnunt. Omnibus fructibus poma ſilveſtria, *Acaiú* dicta, præferunt, quod egregie ſuccoſa ſint, & ad victum æque ac potum ſufficiant. Nam ſiceram ipſis ſuppeditat, in multos menſes, fæcibus depoſitis, duraturam; & præſtantiſſimas caſtaneas, penu recondi aptas. Alii etiam fructus, præſertim *Pacoba*, *Ananás*, *Mangába*, *Ianipába*, *Caraguatá* expreſſi ſimile vinum vel ſiceram ſuppeditant, nec minus inebriando idonea. Fiunt & alia ex radicibus *Mandiocæ*, *Patatá*, Milio Turcico, Oryza, quæ maſticata multa cum ſaliva exſpuuntur. Sputum hoc vaſis tandiu conditur, donec ferveat, fæceſque ejiciat. Vina vero hæc citius aut tardius ad fermentandum inſurgunt, prout dulciores, acidiores vel acerbiores ſunt ſucci ex hiſce plantis fructibuſque expreſſi. An non à ſimili materiæ conditione dependeat quoque anticipationis & poſtpoſitionis ratio in febrium paroxyſmis, viderint Medicorum ſcholæ.

Servitutis jugum nequaqam tolerant. Tripudi-

pudiis inconditis & potationibus impendiò ſunt dediti. Cibum capiendi ſtata tempora ignorant. Recte aut perperam factis, nihil poſtmortem præmii aut ſupplicii ſupereſſe exiſtimant. Vane interim fabulati, eorum, quos ſua mors extinxit, animas immortales fore. Otium amant, magnoſque labores declinant, ſecure & in diem viventes. Cujus rationem cum Hippocrate eam eſſe arbitror, quod rerum ac temporum uno modo ſe habentium facies eadem ingeneret ſocordiam; varietas autem animum & corpus ad labores excitet. Quin etiam otio & quiete creſcit ignavia; exercitatione verò, mentis & animi robur alitur. Ætatem ac vitæ decurſum æſtimant ex Heliaco Pleiadum exortu, qui fit menſe Maio. Numerum autem annorum ætatis ſuæ ut retinere poſſint, ſingulis annis reponunt unam caſtaneam de *Acaiú* ſemel duntaxat in anno circa Ianuarium provenientem. Fœminæ pudicæ non deformes ab octennio ultra ſexageſimum annum ſupra fidem fœcundæ; imo ſeptuagenariæ orbos infantes lactantes viſæ ſunt. Facili negotio & nemine obſtetricante pariunt, rariſſime abortientes. Pleræque puerperæ ſtatim poſt partum ſurgunt, ad proximum flumen properant ablutum corpus, & impigre, cum ad cætera domeſtica officia redeunt, victũ hinc inde conquirendum. Liberos defunctos ultra biduum aut triduum non deplorant, matri-

tribus miſerando ejulatu totam domum implentibus. Lachrymis, quas in poteſtate habent, profuſis, cognatos reduceſque excipiunt amicos, eorumque labores peregre exantlatos, multis ſuſpiriis atque gemitibus deflent, circumdatis collo brachiis & capite ad pectus adpreſſo. Olim antequam Luſitanos agnoſcerent numeroſi & pæne infiniti erant; ac pagi undiquaque adeo frequentes, ut Indiarum luſtratores ſagaciſſimi dubitarint an ulla orbis pars Braſilia populoſior fuerit unquam. Nunc autem ad paucitatem redacti; nam Luſitanorum ſævitia, alii pæne ad internecionem deleti, alii in miſeram ſervitutem abrepti, alii fuga ſibi conſulere & intra Continentem latere ſunt coacti. Qui inter Luſitanos & Belgas degunt Neophyti, Chriſto quidem dant nomen, ejuſque ſacra ſequuntur; ſed frigidius. Quin adulti circa ea adeò ſunt remiſſi, ut merito putes, ore duntaxat, non corde Chriſtum colere. Vix etiam placita noſtra, niſi tenellæ ætati, nondum præoccupatis animis, remotiſque parentibus, inſtillari poſſunt. Lingua inter ſe haud differunt. Et quamvis quondam ex feroci proſapiâ fuerint orti, mutuo tamen cum Europæis commercio & conſuetudine uſque adeo ſunt cicurati excultique, ut exuta barbarie, humanitate nonnulli cum noſtratibus contendant, ut & hic illud Taciti uſurpare liceat, Mitius circa Oceanum vivitur. Qui etiam nunc litteræ

terarum & characterum ignari, nihilominus antiquitatis memoriam, tam pace quam bello geſta accurate conſervant. diligentiſſime namque junioribus tradunt quæ à majoribus acceperunt, imo ſenes dies noctesque integras in illis tradendis conſumunt, juniores vero tradita facile accipiunt, & retenta fideliter aliis quoque inculcant.

Mediterranei contra, immanes, truculenti, ſine lege, ſine religione, ferino prorſus ritu in huncuſque diem, nulla ſtabili aut fixa ſede morantur, quin vagantur huc illuc, prout victus ubertas aut penuria tenuerit aut abegerit illos. Soli vivere amant. Tuguria nec latibula ferunt, ſed ſub dio perpetuo victitant. Ita ut pauca quæ de ipſis dici aut ſcribi mereantur occurrant. Piſcibus & feris mira tam odoris quam curſus ſagacitate inſidiantur. Iacula validiſſimis lacertis atque ſtupenda arte, ſine arcu torquere norunt. Mari non niſi nantes utuntur, qua in exercitatione tantum valent, ut truculentum illud maris monſtrum Tuberonem ſive Lamiam aſſequantur & capiant, ſiniſtra ad natandũ utentes, dextra acuminatum palum geſtantes, quem obvio hoſti contra ipſos expanſo rictu horrendoque hiatu inſurgenti inſidioſe in os immittunt. bellua interim marina manum apprehendere ſatagens tali artificio decepta, ſeſe profunde defigit, & capere cupiens, vel ab inertibus barbaris capitur, qui dorſo furentis

inſi-

inſilientes (pugna ſane admirabilis, & ancipitis eventus) jumenti inſtar illam circumegendo per undas, minores piſces in eſcam venantur. Præterea adeo ſtrenui ſunt urinatores, ut ſi piſcis vel aliud quid in fundo quærendum ſit, patentibus oculis vrinentur totius horæ ſpatio. Quod Lectori non incredibile erit cum de Ægyptiis proditum ſit, per totam diem in aquis poſſe deliteſcere, & ubi ad ſummitatē aquæ enataverint, capite non prolato reſpirare. Viri pariter ac fœminæ fuſis capillis, diverſa licet tonſura, cæteris corporis partibus depilatis, vix ullo circa pudenda velamento, incedunt, aviumque diſcolorum plumis ſe exornant. Colore quodam fuſco ex *Ianipápa* pomo expreſſo, corpus turpiter pingunt, ut terribiliores in bello videantur. Et ne facies ornamento deſtituatur, lapillos viliſſimos & longiſſimos, perforatis à prima infantia auricclis, labiiſque inferiobus & maxillis inſigunt. Quod licet viſu fœdum, illis tamen regium videtur. Ominibus & auguriis detiti, ariolis, ſagis & impoſtoribus quæſtui ſunt Alii Tonitru, alii Vrſam minorem, aliaque ſidea pro numine habent. Tanta eſt inter illos confuſio & diverſitas linguarum, ut exinde ſolum atrociſſima bella & crebra naſcantur, inimicitiasque inter ſe exerceant perpetuas, ſupraqne fas humanitatis & odii ſævas: imo vel ipſos luqos aliquando in ſerias claoes convertant. Ad bella ituri, miro

quidem ſilentio & ordine ſimplici procedunt. Ad manus ubi ventum eſt, horrendo fremitu & ululatu aërem feriunt, imbreſque ſagittarum utrimque emittunt, tam lethali veneno infectas, ut vel leviſſime vulneratos crudeliſſime interimant. Fœminæ lactantes & prægnantes deinceps à virorum conſortio abſtinent. Vbi autem pepererint, ſecedunt in ſilvam, & infanti umbilicum concha præcidunt, & una cum ſecundinis coctum devorant. Maritus tempore puerperii uxoris loco decumbit primis à partu diebus, & puerperæ inſtar bellariis & epulis fruitur, ſubindicans neceſſitatem lapſas vires reſtaurandi. Cum in morbum eorum quis inciderit, amici accedunt, quiſque ingenium advocat, remedia quorum notitiam experientia ſibi comparavit; profert. Mox ſpinis arborum *Carnaiba*, piſciumque dentibus, quibus, ſagittas aſperant, in toroſis brachiorum & femorum partibus alte cutem ſcarificant & incidunt, membraque à laſſitudine potiſſimum vindicant. Idem fere præſtant per validam ſuctionem, ore pando parti dolenti applicato. Vomitum vi concitant contortis ſilveſtribus foliis, gulæ immiſſis. His & ſimilibus remediis fruſtra adhibitis, nihil ultra tentant, nec tamen ægrum relinquunt, ſed unanimi conſenſu, tamquam de ejus ſalute deſperantes, clavis ligneis illum ferociter interimunt: graticantes tamen illi, & ille ſibi, quod maſcule interi-

interire ipſi contingat, omnibuſque miſeriis eripiatur. Hoc enim lætabundi in ipſo mortis articulo, quaſi de Euthanaſia, gloriantur. Non minori cum applauſu in parentis quam victi hoſtis cadaver ſæviunt, illud præ turpi amore, hoc præ immani vindicta crudeliſſimarum ferarum ritu dilaniantes & intra ſe ſepelientes. Vtriuſque carnes (modo non à veneno extincti) oſſa tenus dentibus abraſæ diræ ipſis epulæ exiſtunt. Optimatum vero cadavera ab aliis optimatibus toſta commeduntur, præter oſſa; quæ à proximis conſaguineis ſervantur ad nuptialia convivia, & tunc in minutiſſimas particulas contuſa, bellariorum loco devorantur. Quibus nondum conſumtis, capillos ſibi, in ſignum luctus, evellunt. Vix poſſum, quin his addam, quibus præſtigiis verbipotentes Sagæ (quas quoque Medicorum loco in pretio habent) & alii Sortilegi miris artibus populo imponant, miſeriſque perſuadent, ſe ex eorum corporibus, animantia, lapides aliaque exſugere, quæ ipſis videntibus evomunt. Imo Reguli ipſi quoque ſibi medendi facultatem arrogant, ad quos matres ſuos infantes ægros adducunt, qui ab illis fricati & Tabaco conſputati, ſi interea moriantur, matre & conſaguineis comeduntur.

Nemo itaque mirabitur ſi majorem herbarum cognitionem habuerint Aſiatici, quam Americani: cúm hi animantibus non con-

 ...nti,

tenti, in rationalia quoque ruant. Illorum autem multi ex inſtituto Pythagoræ vel abjectiſſimo parcentes inſecto vegetabilibus vitam ſuſtineant.

Non abs re fore exiſtimavi, ſi facta à propoſito pauliſper digreſſione, aberraverim, barbariemque illam miſeram, tum quæ huic genti paterna & innata ſunt, paucis expoſuerim: præterea ut conſtet, nullis creaturis adeo voluiſſe novercari naturam, quin abunde alimenta & medicamenta ſuppeditaverit, eaque exacte à venenis diſtinguere docuerit. Quod cum animantibus & plantis quam plurimis ſolertiſſime, tum in radice *Mandiboca*, Americæ primo alimento, imprimis videre eſt. Denique ut demonſtrem, longe hanc à nobis diverſam vivendi rationem & temperamenta diverſos aliquando morbos & medendi modos ſuppeditare.

Reſtat ut conſideremus, quæ valetudini potiſſimum vel proſint vel averſentur, & unde originem ducant morbi. Inquit enim Hippocrates, Corrivatio una, conſpiratio una, conſentientia omnia. Quorum ſi vel unum deficiat, tota hominis ſtructura facile corruit. Enimvero cum ſub Zona torrida, omnia aſtra verticalia vehementius agant, &, quo ad motum annuum. exceſſu ſubinde ſiccitatis & humiditatis: quoad motum vero diurnum, perpetua viciſſitudine caloris & frigoris: non poteſt non eoſdem effectus mi-

cro-

crocoſmus experiri. Vt enim planta novella, Soli genium, tamquam naturæ ejus minus conveniens, licet in melius tranſplantata, ſæ, pe non fert: ita multi Europæi, aut imbecillitate naturali, aut rite vivendi imperitia vel intemperantia, aëri & aquis hiſce ſaluberrimis, primariiſque vitæ fulcris, minus aſſueſcere poſſunt. Vnde non raro illis de latitudine ſpontanea primæ querelæ, quæ ex ſententia Hippocratis, νόσους φράζουσι Boreales, licet æque ac Meridonales corporibus ſint compactis, mollitiem carnium tamen ex intemperie incurrunt, niſi tempeſtive ea cacochymia exturbetur, miſſis compoſitis, ſolis ſimplicioribus tenuiorumqua partium alimentis ſe tradant, ne cruditas & craſſities humorum fomitem obſtructioni, obſtructio perſpirationi & circulationi ſanguinis impedimentum adferat. Adeoque ſi Hippocratis effatum, Σύμπνοια μία locum habeat, hic ſane ejus, tam neceſſitas, quam perpetua veritas eluceſcit. Quippe immodico exiſtente calore, ſi perſpiratio undique eſt libera, nulla exinde perſentiſcitur moleſtia; ſin minus, ponderoſius ſit corpus, ac brevi materia morbi futura colligitur. Circulatione enim naturæ perpetua impedita, & humoribus ſpiritibuſque, ſive ab interna ſive externa cauſa, cohibitis, ingeminatur fervor, pejusque inde quem libet ſe habere oportet. Quod ſicut in omni vitæ officio veriſſimum, ita in ſomno

manifeſto deprehenditur. Idem cogita ſi laſſo vel febricitanti intempeſtive medicamentum vel cibus exhibeatur, Ab his itaque ſequentibus vitæ inſtitutum fiat.

Quisque excelſiorem & contra occidentem opertum, atque in Orientem apertum eligat ad habitandum : talem inquam ubi Continentis craſſum ventum ab ædibus arcere, tenuem vero & ſoliſequam marinam auram perpetuo admittere commode poſſit. Adeo denique mediterranes locis maritima à veteribus quoque prælata fuiſſe conſtat, ut Vitruvius narret, translatum oppidi] & quatuor tantum milliarium propius mari admotum, ſalubritate morboſum ſtatum mutaſſe. Pectoris ac ſtomachi regionem probetectam quiſque domi ac foris habeat: quod nihil hiſce corporis partibus magis inimicum, quam poſt æſtum diurnum, frigus nocturnum. Quo fit, ut clauſis cutis meatibus, ſudores retxo pulſi, varios morbos progenerent. Quibus enim tempeſtive ſudores fluunt, rarius valetudinem adverſam incurrunt, aut ſi quando in morbum incidant, minore nogotio reſtituuntur. Econtra fit iis qui difficulter ſudant. Partes veſte, umbra aut quavis alia retectæ exudant : eæ vero quas Sol ferit, inſenſibiliter perſpirant. Per vim enim à Sole ſudor elicitur, ſervatur à tegrumento.

Æque thermales vel balneæ hactenus incognitæ ſunt. Artificiales humidæ & ſiccæ, contra externa mala magno ſalutis commo-

do in uſu exiſtunt. Quæ nunc ex pura puta aqua, nunc compoſitæ ex odoriferis herbis (quas Braſilia producit eximias) conficiuntur. Cavendum tamen, præſertim noviciis & advenis, ab immoderato vel frigidarum vel calidarum uſu. Quarum illæ torpores & obſtructiones, materiam intus cogendo: hæ membrorum languores, carniumque effæminationes faciunt ob ſpirituum exolutionem. Quamobrem ne humor alimentarius facile foras evocetur, temereque reſolvatur, Incolæ cavent oleis balſamiſque nativis. Quaſi barbaries commune quid habeat cum erudita antiquitate, cui familiaris olim fuit, licet nunc exoleverit, unctionis uſus.

Porro exercitia vehementiora ſedulo vitanda ſunt. Aura hæc licet blandiſſime terram exhilaret, Solisque ardores clementer mitiget, tamen motu defatigatis obeſt. A vento enim adiapneuſtia: ab immoderatiori vero exercitio, ſumma humorum ſpirituumque accenſio & acrimonia proficiſcitur. Tempus ambulationis opportunum eſt matutinum, modo maris acceſſus auram intendat & maturet, exhalationesque nocturnæ prius diſpellantur: tunc enim blande ſtringitur & concentratur calor naturalis. Maximè autem ambulare circa Solis occaſum prima veſpera conducit: quod vires corpori, robur & appetitum ſtomacho reſtituat, ob temperiem optimam aëris & auram intenſiorem: Cum tamen aliis Europæ & Africæ regioni-

bus calidioribus veſpertinus flatus, *Seren* Luſitanis dictus, merito extimeri ſoleat. Labores & motus vehementiores tum animi tum corporis, maxime obeſſe: lucubrationibus quoque mentem citius turbari, memoriamque labefactari aſſerunt. Hoc certum eſt, difficilius vigilias & labores ob citam virium exhauſtionem tolerari ſub Zonis torridis, quam temperatis; torporemque advenas & deſidiam primo quidem inviſam, at poſtea placitam contrahere. Somnus diurnus brevis, quem in lectis penſilibus promiſcua multitudo capit, commendatur. Inſuetis tamen aliquando obeſt, ac propterea multum concedendum hac in re conſuetudini. Corporis vigilantis decubitus merito præferendus ſomno, præſertim eo loci ad quem aura marina, non radii Solares poſſunt pertingere. Somnus nocturnus in lecto molliori, & plumis avium referto, admodum improbatur, quod viſcera accendat. Qui Sanitati conſultum vult, pedibus coxiſve nudis ne jaceat, præſertim poſt mediam noctem. Denſato enim corporis habitu à nocturno vento venæ arteriæque per ſe meanti ſanguini tranſitum, tum & proſpirationi inſenſibili atque ſudori exitum præcludunt: ac tum quidem, ob tranſpirationem cohibitam, poſtridie pejus & gravius habent. E diverſo illi qui mediocriter cooperti ſomnum capiunt, jucunde ac optime valent, lev ioreſque ſe ſentiunt, e miſ-

ſo

ſo præſertim ſudore levi & roris inſtar tenui. Adeo ut facile in hiſce Regionibus, concedere Sanctorio, Per tranſpirationem inſenſibilem plus evacuari, quam per omnes ſenſibiles junctas.

Qui Veneris æſtui frenum injicere neſciunt, hujus cæli temperiem ferendo non ſunt, ardorem juvenilem extingunt, ſenectutem ante tempus maturant, perſpirationemque remorantur. Vnde cruditates ad ambitum effunduntur, catarrhos in cerebro, in corde palpitationes moventes.

Inediam Incolæ impatientius ferunt. Ante omnes bilioſis vehementer obeſt. Qui ſi ſtomacho forte vacuo ſomnum capiunt, facile tum capiti, tum cordi mala accerſunt. Proinde ægris juxta & ſanis conducit modice & ſæpiuſcule cibum & potum capere. qui quo minus compoſiti vel calidi, eo conducibiliores ad ſanitatem. Quisquis enim ſeram & beatam Senectam attingere deſiderat, ſive advena, ſive indigena, caveat ſibi à vini & carnium uſu quotidiano. Quæ enim ex nutrientium & calefacientium ſunt genere, ſiquidem vincantur, corpora quidem ſanguine & calore replent: Sed ſin minus, frigidi & aquoſi ſolent naſci humores. Calida omnia & amara atque acria mane imprimis vitanda. Poma vero Aurea, Limonia, Citria, *Mangába Murucuiá*, melopepones, Citrulli, reliquaque refrigerantia, ſive cruda ſive con-

dita utiliter comeduntur à jejunis, quibus inter delicias ſacra habentur, quod cordi conferant, tum & menſibus præcipue æſtivis ad jucundiſſimam maturitatem perveniant. Vnde abiit in proverbium, Non intrat ædes medicus, in quarum veſtibulo crebri Arantiorum cortices mane conſpiciuntur. Sedulo cavendum ne fructus ulli colligantur, antequam radii ſolares ab exhalationibus nocturnis eos repurgaverint. Præſtat illos, aſtringentibus exceptis, ante potius quam poſt paſtum, & ſaccharo conditos quam crudos apponere. Fugaces enim cum eorum multi ſint, facile corrumpuntur, imprimis iis, quibus imbecillis & intemperatus eſt ventriculus. Ego quidem Galenum imitatus, perpetuo ſuaſor fui amicis, ut rarius horariis fructibus ſeſe oblectarent: unde ipſis diu multumque bene fuit. In quotidiano uſu potiſſimum ſunt (nam reliqui ad Hiſtoriam Naturalem pertinent) *Ananas, Mangába Acaiu, Aracá* major & minor, *Guiába*, diverſæ ſpecies *Murucuiá, Ibapitánga, Maſarandiba, Acaiá, Araticu Guiticaröi, Biringela, Pinoguacu, Cocos, Banána, Pacóba*, ficus quoque ſilveſtres. Hi omnes inter patrios habentur, eorumque maxima pars ſponte provenit: nonnulli à Batavis & Luſitanis in hortis excoluntur tam feliciter, ut ipſi fructus vileſcant. Inter ſubterranea ſunt Radices *Patáta* & *Vmbu*, tum glandes Americani *Munduy* optimi ſaporis & nu-

ſtri-

trimenti, atque ſecundæ menſæ deliciæ. Non procul à littore in locis arenoſis & ſalſa æquoris unda imbutis, adeo ſponte luxuriat Portulacæ & Braſſicæ marinæ ſive Soldanellæ quoddam genus, ut pro acetariis quotidianis ſufficiant.

Inter feras plurimæ exiſtunt, quæ victui ſervire queunt. Apri majores & minores, umbilico in dorſo præditi, carnibus optimis & ſaluberrimis cenſentur. Amphibii porci, *Capiverres* Luſitanis dicti, licet dignitate cæteris inferiores, integris militum & Barbarorum cohortibus alimento probo ſunt. Idem de Erinaceis dictum volo. Antæ etiam lucifugæ, mira viſu animalia, carnes bubulas referunt. Capreæ, tum Lepores & Cuniculi, Europæis haud cedunt. Tatuſiæ denique diverſæ ſpeciei loricatæ, & inſignes illæ lacertæ, corrupte *Leguána* dictæ, in delicatiores epulas expoſitæ. Neque hæc tantum, ſed & alia identidem ſilveſtria & domeſtica, catervatim in ſaltibus oberrantia, nuper ab Europæis invecta ſunt pecorum armenta, imprimis boves, porci & arietes. quæ bifera & trifera utcumque exiſtunt. Inter hæc nefrendes teneritate carnis excellunt uſque adeo, ut ægrorum diætam ingrediantur, & ovillæ longe præferantur. Experientia enim conſtat, multa quadrupedia, piſces ac aves in cœnoſis & paludoſis locis viventia, non idcirco adeo poſtponenda eſſe montanis & fluviatilibus,

bus, ſicut plerumque fit in ſeptentrionali Europa, quod in hiſce regionibus calidioribus eximia aëris temperies & ſerenitas correctorii vicem quaſi ſubire videatur circa naturam ejuſmodi animalium.

Avibus ſilveſtribus, partim in nemoribus, partim in aquis viventibus, optimi guſtus, haudquaquam deſtituuntur. Licet non ſit hujus inſtituti eas prolixe enarrare, tamen præterire nolo, quæ palato & ſanitati ſerviunt. Vt quæ in montanis habitant, Phaſiani, Perdices, Accipitres diverſæ ſpeciei, ac carne optima & tenerrima. His ſuccedunt Pſittaci, Coturnices, Turtures, Palumbi, Turdi, Fringillæ, Columbæ ſilveſtres, quæ omnes toſtæ menſis inferri ſolent. Ex amphibiis celebrantur Anſeres & Anates diverſæ ſpeciei, quarum quædam Europæas dignitate & magnitudine ſuperant, quædam vero iis cedunt.

Cæterum inter tot volatilium genera riparia & littora (eorum licet aliqua ſint carne minus tenera) Ardeæ ſtellares & non ſtellares, Ruſticulæ atque Gallinæ paluſtres, & ſimilia, minus ſint prætereunda. Adde & ſtruthiones primarios Ambræ griſeæ prædones. Nobile illud Bituminis genus Ambra dictum Spiritibus imprimis vitalibus reſtaurandis per omnes Indias celebre, ex ignotis Oceani faucibus copioſe in Braſiliæ littora eructans, non niſi proceloſo mari alluit. Vnde fit, ut

vix ceſſante tempeſtate aves & quadrupedes nonnullæ in ipſo littore certatim eam devorent, priuſquam ipſi maris accolæ iſtuc perveniant. Quod equidem mirum, cum omnis ante inſolationem molle tantum gluten ſit Ambra, ingratoque adeo odore nares feriens ut ab inexpertis plane reſpuatur: animalia tamen dulcem ejus dolorem, licet hominibus adhuc latentem, prius perſentiſcant, ejuſque ſapore ſtrenue ſe oblectent.

Enarrato carnium uſu quotidiano, de piſcibus nunc dicendum. Dubito nobilitate & frequentia piſcium an ulla Regio beatior hac cenſeri poſſit; Mari, fluviis & lacubus piſcoſiſſimis, ſquamatos, aſperos, læves, molles, cartilagineos, turbinatos, omne genus abunde ſuppeditantibus. Vnde advenæ æque ac primi Incolæ ægri ac ſani perpetui ſunt Ichtyophagi: quippe non ſolum exhauſto omni penu, pro primario ſuſtentaculo, ſed præ cæteris deliciis, ſicut olim Romani, eos amplectuntur. Inter quos Cyprini, Alburni, Tincæ, Carpiones, Trutæ, Auratæ, Lupi, imo ipſi Aſelli, Europæorum figura & ſapore æmuli, primum facile locum tenent. Tum Orbes, Soleæ, Scombri, Acus, Rajæ, diverſæ ſpeciei. Cancris quoque, Teſtudinibus, Gammaris, Squillis, Conchis, Oſtreis, omnibuſque teſtaceis & cruſtatis, præſertim paludes receſſu maris exſiccatæ, magnopere ſcatent. Congri denique, Scari, Anguillæ,

& hu-

& hujus generis alii, quibus ſuperſedeo.

Qui in ſuperficie maris degunt piſces, menſibus potiſſimum pluviis, quod imbribus gaudeant, capiuntur: iis vero qui in receſſu fluviorum & alto mari ſunt, omni fere anni tempore, ſed ut plurimum æſtate piſcatores inſidiantur; atque, tum melioris pabuli gratia, tum ardoris exrimeſcendi cauſa, proxima ſcopúlis domicilia inque iis ſalubriora paſcua deligunt, ac proinde ſaxatiles & fundi piſces dicti. Præcipuorum nomina, icones, differentias & proprietates videre eſt in ſequenti libro.

In ſinubus vero & lacubus nec piſcium copia nec varietate à maritimis ſuperantur, quod, licet promiſcue alii aliis celerius pariant, & creſcant, in lacubus tamen his æque ac in fluviis citius, quam in ipſo mari id fieri contingit. Iique licet marinis & fluvialibus dicantur inferiores, dignitate haud multum tamen cedunt, quod non ſtagnantes vere ſint aquæ, ſed perſpirent, indeque fluenta & rivi aliquando egrediantur.

Piſces denique vel Sole exſiccantur, vel ſale (qui copioſe in ſalinis hic colligitur) condiuntur, inque penu conſervantur. Quod ſi crudioris cibi imprimis piſciũ concoctioni aquæ potum minus ſufficere experiantur, pulverem ex ſale & modico piperis Braſilienſis præparatum, *Iuquitaiá* dictum, intermiſcent, condimentumque inde conficiunt

unt ventriculo ſaluberrimum, atque in omni peregrinatione merito circumferendum. Ita ut veriſſimum tandem in hiſce calidioribus terris comperirim illud Galeni teſtimonium de Græciæ piſcibus. Alimentum ſcilicet ex pleriſque pelagiorum & fluvialium provenięns, ſanguinem conſiſtentia tenuiorem gignere, quam quod ex pedeſtribus animalibus producitur, adeo ut non copioſe nutriat, & celerius diſcutiatur. Hæc de cibis ſufficiant.

Potus porro uſitatus & longe ſaluberrimus (ſupra illum quem ex tot fructibus exprimi diximus) aqua eſt limpidiſſima, divinitus hiſce regionibus conceſſa. Quæ jucundo refrigerio, Solis imprimis ardore fractos, refocillare ac ſummopere recreare ſolet. largius & crebrius pota, nullos in ventre vel hypochondriis flatus aut tormina excitat, neque ventriculum debilitat, ſed melius quiſque inde ſe habet: modo ἐνθιάπνουςος, & Regionis temperamento conformis fuerit. Atque hinc quidem ilico ſudores & urinas provocat, adeoque appetitum ſtomacho acuit, ut voraces Incolas reddat. ob miram enim ſuam tenuitatem alimentum in partes liquidiores penetrans intimius dividit, impediens, ne vel pinguior alimenti ſuccus aduratur, vel ejus cruditates ad renes aut membra externa protrudantur. Unde fit, ut à calculi imprimis & articulorum morbis præſervet, rariſſimæque de duobus illis malis ſint querelæ. Conſtat,

ſtat, plurimos beata admodum ſenecta à tot ærumnis libera centeſimum attigiſſe annum, nec alium potum præter aquam toto vitæ curriculo guſtaſſe. Vnde facile eſt aſſentiri Veteribus, dicentibus Μακροβιωτέρας eſſe gentes quæ aquam ſolam biberent. Cum enim aquæ hæ nive & metallis deſtitutæ è fontibus Orienti obverſis ſcaturiant, longo itinenere aſſiduoque Solis ardore excoquuntur, gratiſſimæ & tenuiſſimæ evadunt, nihilque deponunt. Hibernis menſibus minus quandoque limpidæ ob crebras pluvias, nec æque frigidæ: Æſtivis, ob auram intenſiorem, frigidiſſimæ ſunt, nec tamen duræ, ſicut in frigidioribus regionibus; ſed molles, leves atque concoctu faciles. Aquæ ex imbribus collectæ leves quidem ſed calidæ ſunt, & facile putreſcunt, quod ex plurimis & diverſis partibus conſtent; ravimque ſubinde inducunt niſi excoquantur. Sicut enim contingit hominibus nudis ſub Sole ſedentibus tenuiſſimum educi per poros, relictis veluti fæcibus: ita Sol verticalis facile quod leviſſimum ſurſum rapit ex lacubus ipſoque mari, relicto quod ſalſum eſt propter craſſitiem & gravitatem. Quæ ex tumulis & montibus profluunt, iis conducunt qui ventre ſunt duriore. ſi quæ vero aquæ ſaxa & ferrum recipiant, iis conducunt, qui humidiori & milliori ſunt ventre, quod reſiccent. Ab aquis ſubſalſis & paluſtribus in totum abſtinendum, quod indo-

mitæ

mitæ & duræ ventres adſtringant. Ac proinde ob imperitiam illi qui ventrem ſolvere exiſtimant, falluntur, quia raro perfluunt, & cum ſtabiles ſunt, à Sole exuruntur, novoque accedente imbre, craſſæ & olidæ evadunt, unde fit ut bibentibus lienes magni & compacti fiant, ventreſque duri & calidi. Veterani non minus ſolertes ſunt in aquarum differentiis guſtandis, quam Europæi in diverſis vinorum qualitatibus diſcernendis, quos imprudentiæ inſimulant, ſi nullo habito diſcrimine aquas bibant. Illi enim optimas nihilque ſubſidentes hauriunt, quas ſublimioribus locis (ſubterraneis ob teporem neglectis) in urceis fictilibus nocteſque dieſque ſub dio reſervant, ubi invitis radiis verticalibus intenſiſſime ipſo momento refrige-„rentur, ad Aphoriſ. Hippocr. Aqua quæ cito calefit & cito frigeſit, leviſſima eſt. Æſtuantibus tamen eam licet gratiſſimam, niſi offa conditura ante deguſtata, bibere non convenit. Cum è contrario pubes nautica & milites, peſſima omnino conſuetudine, frigida largiſſime hauſta Spiritum vini metu cruditatum ſuperbibunt. Quaſi ejuſmodi vehiculo opus eſſet, eque duobus hiſce contrariis, cordis aliorumque viſcerum tonus nihil pateretur. Præterea Afrorum & Europæorum promiſcua turba, olente illo & nimium familiari potu, qui *Garápa* vulgo appellatur, ſe implent, quem caupones, lucro inhiantes, ex

 ni-

nigro ſaccharo & aqua conficiunt, & vix defæcatum vili pretio divendunt, additis ſubinde foliis arboris *Acaiuéra*, quorum calore vapores excitantur, citiuſque inebriare facit. Concedi tamen poteſt, ſi ſumatur modice; ſi rite factum & vetus ſit. Dilutum quoque aliud ex aqua fontana ſaccharo & limonibus confectum ſani pariter ac ægri in deliciis habent. Sicut & illum liquorem quem Lucanus apud Indiæ populos in uſu fuiſſe teſtatus eſt.

Quique bibunt tenera dulces ab harundine ſuccos.

Cereviſiam vero Europæam, Vinum abſinthites, vini quoque Spiritum quidam ceu ſalubriora his oris maximopere commendant, ſed immerito. Vinum Creticum per omnes Indias quod per ſe ſine arte ſubſiſtat, cæteris vinis Europæis eſt præferendum. Cujus uſus modicus ſit veſperi, mane nullus. Nec leviter peccant, qui Torridis plagis paulo plus juſto illud bibunt. Quippe nunquam expertum eſt, potus frigidioris exceſſum, tantum nocuiſſe, quantum calidioris, quidquid naſutiores refragentur, quibus ob malam conſuetudinem & intemperiem jam vini uſu acquiſitam ſecus videtur. Ventriculus enim eorum extenuatus ob inopiam caloris nativi, atque etiam ad ipſum aliunde influentis, cogit eos vino uti, atque in ejus uſu perſeverare. Quod quoque Galenus lib. v. de ſanitate tuenda cap. XII, confirmat. Spiritum enim ex vi-

Vino vel fructuum ſiccera deſtillatum calere non tantum, ſed & ſiccare conſtat, tum potiſſimum quando pituitæ cruda ac fæculenta colluvies pabulum haud ſufficiens objiciciunt, in quo acerrima atque exurens vis ſeſe hebatet. Et tunc viſcera accendit, appetentiam proſternit, & pedetentim nimia conſuetudine exequias ante mortem maturat, ut millies, proh dolor, obſervatum eſt in Indiis. Quin vinum ipſum, ejuſque extractum, tamquam Medicina infirmis tum animi tum corporis, data ſunt: hoc ad nimiam Spirituum diffuſionem verſus centrum in momento revocandum; illud, vel ad hilaritatem excitandam, vel ad laſſitudinem tollendam, vel denique ad ſtomachum in ſenibus roborandum: ſeq quia pauci non infirmi, facta ſunt tandem omnibus potus. Ex his itaque ſatis liquere puto, veras longævitatis ſimul & incolumitatis cauſas; cum aër, olera, fructus, animalium carnes aquarum naturam ſequutæ, per continuam generationem eo deveniant ut hominum temperies fere ſit qualis aquarum.

Hactenus de uſu & abuſu rerum, ut inde conſtet, hunc orbem habitanti, quibus & quo pacto tueri ac firmare valetudinem poſſit & debeat. Antequam autem de lapſa reſtituenda agamus, paucis attingendum duxi, quinam morbi quævis anni tempora ac conſtellationes, præcipue Lunæ, æſtuſque aqua-

rum reſpiciant: quique inter diverſas gentes, vel diſcrepantes vel communes ſint. Primum quidem, cum ob conſtantiam & æqualitatem tempeſtatum, hæc plaga ſaluberrimam temperiem ex calido & humido ſit nacta, mutationes nec tam magnæ, nec tam crebræ, ut ſupradictum eſt, fiunt: unde certa ſalutis & longævitatis indicia proficiſcuntur. Quia, ut ait Hippocrates, Mutationes temporum" potiſſimum pariunt morbos; & in ipſis tem-" poribus magnæ mutationes aut frigoris aut" calori,, & alia pro ratione eodem modo. Semeſtre ſiquidem pluvioſum, licet humiditas prædominetur, tamen à jugi Solis ſplendore moderamen accipit. Quod ſi ex debito & tempeſtive fiat, annum proximum ſaluberrimum, & à multis morbis immunem prænunciat. Semeſtre æſtivum, rore copioſiore imbrium raritatem compenſat. Hiſce temporibus æſtivis, ſicut morbi citius deſinunt, ita acuti ut plurimum & boni judicii ſunt. Secundum illum Aphor. XV. lib. III. Ex con-" ſtitutionibus anni in univerſum ſiccitates" aſſiduis imbribus ſunt ſalubriores & minus mortiferæ. Hinc laterales morbi, febres ar-" dentes, raro lethales. Per ſiccitates autem febres acutæ fiunt, & ſi quidem annus maxima ex parte talis extiterit, qualem effecerit conſtitutionem, tales ut plurimum quoque morbos expectare oportet. Licet enim Lepra & Scabies hic incognitæ; impetigines tamen con-

contumaces, pruritus, dyſenteriæ, haimorrhoides, inflammationes ani & oculorum, ex fervidoSanguine generari contingit. Quibus malis medendis aquæ frigidæ vel tepidæ tam externus quam internus uſus cæteris præſidiis facile palmam eripit. Ephemeras, ob accenſionem ſpirituum, vel ex Sole verticali, experimur, quas multa frigidæ irroratione per totum corpus facta, Empirici in Athletis, inſtinctu naturali potius quam Hippocratis vel Galeni præceptis ducti, reſtituunt.

Hibernis menſibus ſi Auſter perpetuus corpora exſolvat, humectet languidaque reddat, qui generantur morbi, præcipue ſunt febres putridæ, multa capitis ac ventris pituita, (juxta Aphoriſm. XVI. lib. III: Aſſiduis imbribus morbi fere fiunt febres longæ, " fluxiones alvi, putredines.) prolapſus carti-" laginis enſiformis, albus alvi fluxus cœliaco" affectui ſimillimus, hydrops, hernia. Omnium autem maxime, oppilatio hepatis & ventriculi imbecillitates, : quæ Viſcera ſimul cum anni tempeſtatibus mutationes accipere ſolent. Spaſmus, torpor, ſtupor, cæterique nervorum affectus in Indiis apud advenas frequentes ſunt, atque præ cæteris piſcatores, fabri, piſtores, tum milites humi cubantes, illis infeſtantur. Porro ſicut capitis vulnera & ulcera, vel ſponte vel ſolo gummi Elemni indigena facillime curantur; ita pedum ulcera tantæ ſunt malignitatis, ut vix curationem

niſi æſtate recipiant. Omnibus pariter fervidioribus plagis commune videtur, plurima mala tum externa tum interna, quæ infra hepatis regionem ſunt, difficilioris eſſe curationis: contra vero, quæ ſupra; quod à perpetuo deſcenſu humorum acrium ſint libera. Morbi alii ad alia tempora bene vel male ſe habent, & ſine Medicamentis aliquando, auctore quoque Hippocrate, curantur. Pleriſq; tamen his morbis æſtas non vacat, juxta Aphoriſm. XIX. lib. III. Atque hi omnes enarrati effectus huic Regioni tamquam patrii ſunt. Febres quotidianæ rariſſime hic inveniuntur. Imo cum Galeno aſſerere audeo, me quoque nunquam Iuvenem ullum, aut Virum natura calidum quoquomodo aut bilioſum, iis febribus correptum vidiſſe: ſed pueros tantum voraciores & hyeme præſertim exiſtente valde humida.

Quantum ad ætatem, infantia & juventus, ut dictum ſupra, morbis frequentioribus infeſtantur: Senes vero rarioribus. ad Aph. III. lib. III. Morbi alii ad alia bene " vel male ſe habent: & quædam ætates ad anni tempora & loca, & victus genera. Et " ,, Aphoriſm. XXXVIII. lib. II. Magnam partem ſenes juvenibus minus ægrotant. Catarrhi qui frigidis Regionibus ſenes, hic potiſſimum Iuvenes & Infantes infeſtant; unde nervoſum genus quoque inficitur.

Morbi diverſis in nationibus variant. No-

ſtra-

ſtratibus, imprimis noviciis & mulieribus, ſunt compoſiti plerumque & chronici. Atque eorum longe plures morbis capiuntur frigidis quam calidis, quod à nocturno frigore minus ſibi caveant, & à diurno æſtu calorem innatum evocari patiantur; tum quoque ex nimia nutrientis cibi & potus ingurgitatione, calor naturalis inſtar flammæ imbecillis, cui multum olei confertim infunditur, ſuffocetur; unde corpora non ſolum non calefiunt, ſed & frigida vitia gignuntur. Quippe in tam pertinaces incurrunt vel viſcerum obſtructiones, vel alvi fluxus, ut paſſim languentes decoloresque ac viva cadavera incedere videas. Luſitanis minus compoſiti, ſed acutiores ſolent obvenire morbi: Braſilianis rari, iique acuti & ſimplices, ac proinde eorum curationes & prædictiones minus fallaces.

Quodſi æſtas admodum ſicca fuerit, bilioſis & melancholicis ob nimiam aduſtionem male fit. Hnmidum ſiquidem, quod in ipſorum corpore adhuc reliquum eſt, calor depopulatur & deſiccat, partibus viſcoſis & craſſioribus manentibus. Vnde Tertianæ exquiſitæ & Quartanæ non minus quam in Europa graves. Sed majori cum acumine citiuſque terminum attingentes. Pituitoſis hæc omnia è contrario eveniunt. Hieme autem minus pluvioſa, teporibuſque ob defectum auræ marinæ ſuſcitatis, corpora non con-

ſtringuntur, ſed cerebrum nervique humiditate ac uligine opplentur, quæ æſtatis mutatione ſubito accedente, circa Æquinoctium Autumnale valde noxia. Nam quia venter à redundante humore liberari nequit, aquam intercutem, profluvium album & difficultates inteſtinorum inde naſci oportet. ſic mulieres, licet fœcundæ, non concipiunt tamen, crebroque abortiunt, aut ſi quando parturiant, difficulter fœtum enituntur, eumque debilem brevique interiturum, aut certe valetudinarium. Quod quidem potiſſimum de advenis mulieribus dictum ſit. Quantumvis tempus æſtivum hiberno ſit magis ſalubre, quoniam in Braſilia ſiccitas humiditati prævalet, naturarum tamen aliæ ad æſtatem aliæ ad hyemem bene vel male ſe habent. Proinde mulieres & infantes, cum corpore ſint magis pituitoſo; æſtate melius quam hyeme valent. Contra gracilia & bilioſa corpora, melius hyeme, pejus æſtate. Et hæc quidem de intemperatis, quæ moderato contrariorum uſu conſervantur, corrumpuntur à ſimilibus Contrarium vero in temperatis fieri conſuevit.

Cæterum à morbis, qui è vaporibus ex terra aut lacubus ortis naſcuntur, non eſt libera Braſilia. Cœlo enim exiſtente turbido; & vento marino à terreſtri victo, ſubito fiunt febres, catarrhi & raucedines. Incolæ teſtantur, occulta quadam viciſſitudine ſingulis ſep-

ſeptenis annis humidos admodum & morboſos menſes hibernos dari; & his ſex alios ſalubriores ac ſicciores ſuccedere. Verumque comperi, non contemnenda eſſe ipſorum monita. Ab iis tamen qui Epidemici vere dicuntur, & à tetra qualitate hinc inde eructante, vel à maligno Syderum influxu, certis temporibus ſæviunt, immunis ſemper fuit habita. Anno milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo tertio, æſtate admodum ſicca, Anthraces non lethales apparuerunt. Variolæ peſtiferæ, quas teſtatur Proſper Alpinus in Ægypto bis in anno graſſari inter pueros, hic incognitæ. Triginta annorum decurſum ſemel duntaxat Africana mancipia huc Variolis laborantes devecta, reliquos, nullo modo contaminatos, ingenti Barbarorum ſtrage, inquinarunt. Pari fere modo contagioſa Lues inter pecora domeſtica, hieme pluvioſa, aliquos greges depopulata eſt. Eo tamen malignitatis contagium aſcendiſſe, ut peſtis, (ſicut in Peruvia non ſolum, ſed & in multis Aſiæ & Africæ partibus contingit) aut morbus peſti affinis, inde exortus fuerit, à nemine unquam compertum eſt. Magnos autem & frequentes illos dyſentericos affectus nunquã in Epidemios tranſiiſſe, admiratione dignum puto. Quaſi aſſiduitas Euri, ex Oceano ſpirantis, aërem ſerenet & verrat adeo, ut ſeminaria contagii impediantur haud aliter à calido & ſicco, quam ſub

Zonis temperatis à frigido & ſicco extingui videntur. Vel quia deleteria miaſmata, eximia Aëris puritate abſorpta atque evicta, ſi non in totum pereant, ſaltem vigore deſtituta, vernaculis quidem, ſed non graſſantibus illis morbis pariendis ſufficiunt. Vnde apparet quanto Epidemici cæteris vulgaribus ſunt vehementiores, tanto in aëre ad mutandum corporis habitum, & ad peius aut melius diſponendum, ineſſe vim majorem quam in diæta & cæteris non naturalibus.

Plenilunio ac novilunio, imo & quadrantibus ſingulis, alterationes manifeſtas corpora recipiunt. Quo fit, ut Medicamenta propinent. tunc enim dolor exaſperatur, & pejus habpt æger. Idem cogita de Solis motu diurno, cum ſupra fidem circa meridiem, bilioſi morbi, nocto vero pituitoſi, ingraveſcant. Motus Lunæ diurnus non minus quam menſtruus, mutationes evidentes ſuſcitans, obſervatu digniſſima operatur. Singulis ſex horis, accedente mari, morbum ingraveſcere ac dolorem exacerbari: viciſſim ſex aliis, quibus mare recedit, cruciatus paulatim minui & mitigari, ipſi ægri teſtantur. Quod in acutioribus juxta ac minus acutis morbis, præcipue in iis qui è fluxionibss & plenitudine oriuntur. apparet. Adeo accreſcentibus aquis æſtuque maris in plenilunium incidente conflıguntur cum infirmirate nonnulli; ut etiam vitam cum morte commutare vidnantur:

quum

quum tamen vix quemquam tunc interiiſſe obſervatum ſit. Pleroſque autem pelago decreſcente extingui ægrotos, quia præter aliorum teſtimonia ipſe toties experientia comeprobatum habeo, confidentius confirmare auſim. Idem in partu fieri ab obſtetricibu obſervatur. Ita ut validiſſimæ hæ influentiæ & occultæ Cœli mariumqun qualitates, eoſdem effectus naſcenti & denaſcenti impertiri videantur, & hunc à vitæ auguſtiis, illum à carcere & vinculis uteri materni abſolvant. Hæc eadem de animantibus brutis affirmant, quod à me tamen nondum expertum fateor. Ariſtoteles nullum animal maris æſtu exſpirare inquit. Nec eſt cur Plinio aliiſque veterum hac in re pareamus, quaſi ab Aſtris, vel Lun& potiſſimum defectibus & auctibus id dependeret. Cum ſidus illud molle, fœmineum, nocturnum, ſi in conchylia, frondes, ſimiliaque ſublunaria agat tanquam cauſa remota; minus veriſimile tamen, in hominem eo uſque vires ſuas exerere, ſed eum potius ex propiore cauſa pati. Cum enim abundat vaſtiſſimus hic vicinus Oceanus, omnia nou ſolum quæ proxima ſunt, ſed etiam longius diſſita, multo vegetiora & quodammodo repletiora fiunt, atque alterantur emacianturque illo recedente, præcipue quæ aliquo humore madent, ut cerebella, medullæ, ſanguis, & ſimilia. Sicut in corporibus noſtris commercia ſunt ſpiritualia, ita quoque

in

in profundis vaſti Oceani nares quaſi mundi conſtitutæ per quas remiſſi anhelitus vel reducti modo efflent maria, modo revocent, unde ejus accolæ imprimis non parum afficiuntur. A plurimis haud vanæ fidei expertiſſimis viris accepi, ſenes Empiricos in praxi exercitatiſſimos, ad horæ ſpatium mortem ſibi prædixiſſe, & tunc demum pronuntiaſſe, poſtquam jam aquæ receſſiſſent; cumque illum defluxum evaſiſſent, ſpem certam concepiſſe ad ſequentem receſſum ſe fore ſuperſtites. Quod ipſum ita contigit, temporeque dicto occubuerunt. Hæc, ut admiratione digna, ita medico perquam neceſſaria, ut de alterius ſalute, ſuoque honore minus periclitetur. Hanc naturæ latentem vim anxie diſputare, non eſt hujus propoſiti: ſufficiat per effectus ſciviſſe, quod perturbatio hæc criticum aliquando ſymptomaticum quid præ ſe ferat, pro diſpoſitione naturæ aut materiæ morbificæ. *Sicut* enim nox, ad Aphoriſm. XIII. lib. II. criſin præcedens, ægris moleſta eſſe ſolet, quæ vero ſubſequitur, levis: ita oppreſſio hæc aquis decreſcentibus deſinens, quo gravior fuerit, eo melius & levius diſpoſitum relinquit corpus, ſi modo requiſita ad criſin adſint: ſin minus, mors eo certius ſubſequitur. Obſervandum autem quod hæ perturbationes noctu fortiores, quam interdiu exiſtant. Quaſi hi motus, Lunæ plerumque motum ſequerentur, quæ noctu magis quam interdiu vires ſuas exerit.

Cri-

Criſium obſervationes frequentiſſime occurrunt, modo morbi natura rite cognoſcatur, principium cæteraque morbi tempora non negligantur. Et totum hoc quidem in ſubjectis ad Cœli Solique hujus temperiem conſtitutis, omniumque maxime in Indigenis, comperies. Criſes ſæpe perfectæ fiunt, & quidem tempore æſtivo potiſſimum, quia magis conſtantia & æqualia tunc ſunt tempora. Quapropter Hippocratis Aphoriſmum lib. III. veriſſimum quotidie experiri datur. „Conſtantibus temporibus, ſi tempeſtiva „tempeſtive fiant, morbi ſtabiles & boni ju„dicii accidunt: inconſtantibus autem inſtabiles & mali judicii. ſæpe quidem per hæmorrhagias, ſæpiſſime vero per ſudores; quos calidos & magna copia è corporibus fluentes, maxime ſalutares comperi, idque diebus imparibus, juxta Aphor. XXXVI. lib IV. ſin minus, ut ex defectu virium fit, & citius quam die ſeptimo, malum. Nec minus crebro per fluxus ventris criſes manifeſte apparent. In quantum Symptomatici fluxus alvi, mortales in his terris excruciant, in tantum natura critice aliquando per eandem ſe exonerare amat. Tum, ſicut longo alvi profluvio detento vomitus arte concitatus, prodeſt: ita ſponte ſuperveniens ſæpiſſime ſolvit morbum.

Porro, queadmodum hodiernæ novi orbis navigationes confirmant, quod ſecundum diverſa illa mundi Climata mores gentium

&

& victus diverſi ſunt; ita & morbi morteſque diſcrepant: Vtque veteres morbos extingui contingit, ita & novos ex inſolida hac ſiderum reciprocatione & inclinatione, atque Terræ Auſtralis temperie generari: quorum aliqui tranſeunt ad alias mundi regiones, aliqui permanent; aliqui vero graſſari deſiderunt (ſicut de Ægypto quoque teſtantur authores) ob mutatam victus rationem. Imo, præter hæc quod Cælum, anni tempora, Aquarum & Ciborum diverſitas, Ratioque vivendi prorſus alia, facile temperamenta immutent, accedit variarum quoque nationum mixtura. Sic Europæi coëuntes cum Americanis fœminis *Mamelucos*, cum Æthiopiſſis *Mulatos*: denique Amerciani cum Africanis Nigritis *Cabocles* vocatos progenerant. Ex Æthiopiſſis cum Luſitanis aliquando gemellos alterum alba cute alterum nigra, criſpis capillis, oculis cæſiis naſci vidimus. Quaſi non ſolum vegetabilia & ſenſitiva tranſlata degenerarent; ſed & gentes alio traductæ & gentibus externis commixtæ nativum genium amitterent, haud ſecus ac fluvii ſalum ingreſſi propriam perdunt aquarum dulcedinem. Quod cum ita ſit, quis dubitet, ex ejuſmodi variis inſitionibus & ſemente, non diverſas fructuum craſes exſurgere, atque inde nunc implicatos, nunc novos generari morbos; qui exercitatiſſimos quandoque viros ita defatigarunt in praxi, ut circa morbi diagnoſin

& pro-

& prognoſin, quam maxime vacillaverint? Atque in tanta rei incertitudine non minus hi circa morbos Endemios, quam illi ſuam olim in Luce Venerea, Sudore Anglico, Scorbuto, Plica Polonica, Mentagra Ægyptiorum, aliiſque id genus morbis dignoſcendis & curandis, inſcitiam ingenue ſint confeſſi. Donec tandem remediis exquiſitioribus inventis, morborumque temporibus accuratius obſervatis, quoſdam expulerint. Nonnulli morbi ex parte novi videntur, quia periodum, tempus, eademque accidentia, non rite obſervant, cuarndi tamen ratione non ſemper differunt. Quæ omnia ut recte dignoſcantur, ſolerti & ſagaci judicio, multaque experientia opus eſt. Ego, quantum temporis publicis curis ſubcidere potui, Obſervationibus hiſce colligendis impendere volui. Spe certa fretus, poſtventuros Iatroſophos ſuo ingenio atque induſtria, ea quæ adhuc deſiderantur, aliquando ſuppleturos, aut ſi quæ minus recte dicta, candide reſtituturos.

De Tacomarée Arundo ſacchariſera.

POſtquam Vaſtiſſimi hujus Continentis in Indiis Occidentalibus pars, quæ nunc vulgo Braſilia dicitur, inter duos Fluvios, *Maranhon* & *de la Plata*, ſita, Paulo poſt Capralis acceſſum à Veſputio Emanuelis Regis Portugalliæ auſpiciis, Paulo accuratius anno circiter CIↃ IↃ eſſet explorata, Luſitani, intra Pro-

Promontorium *Olindæ* amœniſſimum & Inſulam *Itamarica*, Primum Littora antea incognita legerunt. Vbi juxta rupem fiſſam Braſilianorum tuguriis conſpectis, ad terram appulerunt, & de nomine Loci ſoliciti, quantum potuerunt inquirentes, *Pharnambuco*, hoc eſt, mare perforatum vacari, à Barbaris reſponſum tulerunt. Vnde hodie quoque, omnium Præfecturarum feliciſſima, idem nomen obtinet. Cujus receſſus cum altius explorarent, indignum exiſtimarunt, ligno rubro, licet maximi proventus ad tingendos pannos, acquieſcere: præſertim cum præter confragoſos montes & ſaltus inacceſſos, miro Dei beneficio, longe lateque partim in planities ſolutos, partim in colles clementer aſſurgentes terras conſpicerent; tum & præſtantiſſimis animalibus, fructibus & frugibus Europæis invectis, mirabili proventu ea producere & fætificare expirirentur. Tandem fœcundum hoc ſolum cannis ſacchariferis aptiſſimum judicarunt: eaſque à campeſtribus quondam hominibus detectas in Inſulis Fortunatis, huc detulerunt, quæ ob ſuavem ſuccum quaſi ad manus traditæ, uſum quem pollicebantur, olim ſilveſtres, nunc Excultæ & Domeſticæ, toto fere generi humano Præſtant. Ita ut Cœleſte hoc donum, Attico melli multis partibus præferendum, excelſis incluſum arundinibus, hiſce regionibus imprimis conceſſum ſit, è quibus

tum aquaria mola, tum boum indefeſſo labore agitata, dulciſſimus liquor expreſſus, in alienis excoqueretur, quemadmodum hac imagine expreſſum videtur.

Multæ hodie hujus generis Machinæ conſpiciuntur. Nec nulla hujus terræ merx eſt, ex qua plus lucri emolumenti ad negotiatores redundet. Nam ſaccharorum ex omni Braſilia, olim colligebantur *Arobæ* decies centies mille, idque quotannis, atque in Europam devectæ certiſſimo compendio divendebantur.

In Ægypto *ſacar* Arabicum (unde ſaccharum noſtrum dictum volunt) ex humili & exigua planta, inſtar cryſtalli vi Solis coapulatur. In India vero orientali, ex *Mambu* arbore arundinea (vide Guar. ab Orta cap. XXII.) & nodoſa, populo inſigni non abſimili, *Sacar Mambu*, quem *Tabaxir* appellant, viſcoſum albicantemque liquorem promanare conſtat, ut avicenna Rhaſis, & Serapio teſtantur. In Provincia *Rio de la plata*, Cannas ſacchari ſponte naſci, adoleſcereque in arboris proceritatem, atque cryſtalla ſaccharea æſtu ſolis exſudare conſtat. Tamen alterutrum vel inſita qualitate, vel conficiendi dexteritate adæquari huic arundinaceo poſſe, nemo credat. Planta ſiquidem hæc noſtra fruticis inſtar firmitate prædita, ſucco dulci turget. Silveſtri Arundini externa facie eſt ſimillima; niſi quod hæc crebrioribus articulis aliquando

diſtinguatur, imprimis ſi anni, terræque intemperies minus reſpondeat. Quo enim majora internodia, eo feliciorem meſſem, quo breviora, eo infeliciorem agricolæ prænuntiant.

Hæc Arundo, *Viba Tacomaree*, Luſitanis *Canna d' Accuquare* dicta, minus in montibus collibus, licet irriguis, quam pratis glebofis & pinguibus, luxuriat, ſicuti videre eſt in Parnambucenſis præfecturæ maxima fertilitate & planitie agris, optimeque canniferis: qui inclytis undiquaque amnibus dividuntur, & à pluviis & inundationibus ripas egredientibus rigantur; quarum beneficio à formicis cæteriſque inſectis noxiis liberantur, ſicut per nivem in Europæis regionibus ſolent. Sed miſſa digreſſione ad propoſitum redeo.

Primo agri vomere invertuntur, cratibuſque aut ferro ancipiti ſarriuntur, inque rectos & æqualiter diſtantes ſulcos proſcinduntur. Quibus Cannarum taleæ ita inhumantur, ut ſummitates utriuſque ſe contingant: atque ea ratione lacunæ vomere factæ, manent repletæ, quæ ipſa eadem terra poſtea adimplentur. Plus terræ æſtate, qua operiantur, requirunt, ne intenſior Solis æſtus penetret, Cannaſque exſiccet: Hyeme vero minus, ut facilius uligine imbuantur, & terræ pondus germinationem retardet. Quo major humiditas, eo citius exſurgit arundo, hincque quilibet articulus novas producit Cannas, ab omni

omni parte eas ac radices ex lacuna, cui impoſita eſt, extendens. Nodo Cannæ circumcirca pullulat turio, à quo, terræ incumbens, truditur, frutexque emergit: ita ut decem aut ad ſummum duodecim menſium ſpacio, Canna matureſcat, inque juſtam longitudinem excreſcat. Expertiores agricolæ menſes Auguſtum & Ianuarium plantationi conſecrarunt. Auguſto tamen, qui menſium hibernorum poſtremus, felicius hæc inſtituunt, quod tellus noviſſimis pluviis imbuta, plantas ſuo gremio mollius foveat.

Arundo maturata tempore præfato exſcinditur; nonnunquam & ad annum uſque ſequentem in agro relinquitur, & tunc Canna vetus nominatur, quaſi ſeges reſtibilis. Intra hoc tempus nova denuo progerminat, quæ poſtea ſimul cum veteri reſecatur. Si intra biennium non reſcindatur, nullius exinde pretii habetur: paulatim enim in agro marceſcit, ac deficiente humore extinguitur; niſi forte peculiari terræ beneficio prorogetur ultra ordinarium durationis tempus. Plantæ tenellæ & juvenes, bene inhumatæ, denuo propagari numquam fere indigent, quod diuturnitate temporis non emoriantur ne ad quadraginta vel quinquaginta annos quidem; ita ut ſuapte natura vel nemoris durationem adæquare valeant, nimirum ſolo bene pingui; nam quæ in ſitienti & arido creſcunt, vix ultra quinquennium vivunt.

Interitum autem ex accidenti Cannis inferunt, deſideratio, caries, potiſſimum vero ſi immiſſo ab æſtate incendio, nec ſuperveniente pluvia, ad radicem uſquæ præ nimia ſiccitate comburantur, magno hercle poſſeſſoris damno. Proinde qui Cannas inutiles & frugiperdas exſtirpare, ſuoque bono comburere cogitat, ut novæ renaſcantur, hyberno tempore, non æſtivo, hoc inſtituat. Immodica quoque inundatione, cum nulla cacumina emergunt, Cannæ ſuffocantur: ita ut utriuſque exceſſu, nimio æſtu exareſcant, nimiaque fluviorum illuvie, eaque ſtagnante, refrigerentur, unde ſtirpitus evelli, aliæque de novo plantari poſtulant. Genus denique quoddam Vermiculi nigri alati, *Guirapeacoca* Braſilienſes, *Pao de Galinha* vulgus Luſitanorum appellat, in locis potiſſimum uliginoſis, radices corrodit, Cannaſque interimit. Poſtremo ab herbis voluntariis male illis fit, quæ mirum in modum ſæpe luxuriantes, hiſce ſativis admodum obeſſe ſolent. Proinde ſingulis annis ter quaterve, imo & ſæpius aliquando, ſi terra poſtulet, ager à noxiis herbis liberetur, idque tantiſper, donec ad tantam maturitatem pervenerint taleæ, ut ſuo robore zizaniis obniti poſſint. Terra ſiquidem earum herbarum quas ſponte profert mater eſt, cæterarum vero quas quaſi vi coacta ſuſcipit, ſæpeque invita fovet, noverca judicatur.

Porro Cannæ maturæ factæ, circa fundum

ac in ipſo geniculo abſcinduntur, quod in eo aqueus quidam humor contineatur. Mox amputatæ, frondibuſque, quibus maximam partem veſtiuntur, reſectis, in faſciculos coguntur, & currui imponuntur.

Molendina tribus graviſſimis axibus ex ſolidiſſimo ligno confectis, circuliſque ferreis obductis, nituntur. Inter quos Arundo continenter inſerta, & axium ſe contingentium anguſtia compreſſa, liquorem fundit dulciſſimum. Mola aquaria nullis indiget jumentis, aquæ ſiquidem impetu circumagitur, quæ longiſſimo canale deducta, lapſu impetuoſa ex alto in ſupernos eximiæ magnitudinis rotæ lintres decidit. Quod quidem licet celerius fiat, pluſque Sacchari inde redundet, quam à ſex vel octo robuſtiſſimis bobus: eorum tamen contentione exactius & fidelius Canna exprimitur.

Cæterum liquor hic, qui in Saccharum ipſum poſtea abit, ad viginti quatuor duntaxat horas durat, moxque aceſcit, & ad conficiendum Saccharum prorſus fit inidoneum: ſed ſi diutius ſervetur, bonum inde naſcitur acetum.

Axes, aſſereſque, per quos ſuccus expreſſus fluit, tum & alveus, per quem decidit, bis ſpacio viginti quatuor horarum, vel una Tareſſa (Tareſſa eſt ſpacium terræ, cujus quadra viginti circiter eſt paſſuum, & tot Can-

nas profert, quot per diem Naturalem moli poſſunt) lavari debent.

Canna primo à tergo axium accepta, vicino denuo immittitur, ut ſi quid ſucci in ea ſit reliquum, penitus exprimatur, tunc *Bagaſſo* vocatum, quod tanquam inutile excrementum flammis abſumitur. Adeo coruſcantes & formidabiles nocte dieque conſtruuntur ignes, qui ahenis ſubjiciuntur, ut à quindecim lignorum vehibus ad quadraginta uſque, ſpacio diei naturalis, prout cruditas liquoris requirit, abſumantur, integræque ſilvæ excindantur.

Succus, quem *Caldo* vocant Hiſpani, per canales & ductus ligneos, in ampliſſimos æros cacabos derivatur: in quibus continenter, nunc vehementius nunc lenius, toto quo molæ agitantur tempore, ferveſcit, frigidæque aſperſione intenſior ebullitio coërcetur, ut ſubſtantia minus conſumatur. Ab hoc ſucco in primo aheno conſiſtente, modicoque ſubſtructo igne, paulo fæculentior & copioſior ſpuma aufertur, vocaturque *Cagaſſa*, quæ ſolis pecoribus eſcam potumque ſuppeditat.

Sublata *Cagaſſa*, liquor ſeu *Caldo* in proximum ahenum, *Caldera de mellar* Luſitanis, effunditur: in quo coquitur, & prægrandi cochleari, crebris foraminibus pertuſo, à ſordibus liberatur. Vt exquiſitius immundities ſecernatur, forte quoddam lixivium affunditur.

tur. Hinc per linteum percolatur, ac tandem ſuccus eo pacto noviſſimum excrementum, ſi quod habet, deponit. Hæ fæces mancipiis victum ſufficiunt, qui iis contenti tam improbos atque indefeſſos labores exhauriunt: quippe toto ſemeſtri æſtivo noctes atque dies perpetuo molendina agitantur. Vinum quoque exinde, vulgo *Garapa* dictum, conficiunt, intermiſcendo aquam: quod avidiſſime expetunt incolæ, eoque, ſi vetus ſit redditum, ſe inebriant. Vinum itaque Sacchareum, Vinum aduſtum, Acetum, Mel coctum, ipſumque Saccharum, ex primo hoc liquore concinnari poſſunt.

Porro minores qui ſubſequuntur Cacabi, *Tachas* appellant, alii ſunt ad concutiendum, alii ad coquendum parati. In quibus ſuccus jam dictus tantiſper condenſatur, donec Serapii & mox Sacchari conſiſtentiam acquirat. Ad hæc vehementi & arduo labore, primum in majoribus, tum in minoribus ahenis, inter coquendum, capaciſſimis cochlearibus agitatur, quatiturque, & ad altitudinem viginti plus minus pedum attollitur, unde rurſus in vaſa prolabatur.

In Cacabis minoribus ob ignem intenſiſſimum vehementioris ebullitionis habenda eſt ratio, ſtatutiſque temporibus olei modicum guttatim inſtillatur, ne ignis vehementia Saccharum aliquid detrimenti capiat. Obſervatu dignum, ſi oleum majoribus indere-

tur ahenis, in quibus liquor, primo *Caldo* dictus, purificatur, Saccharo conficiendo plane foret ineptus. Viciſſim, ſi minoribus lixivium, ſicut majoribus, infundatur, æque impoſſibile, Saccharum conficere. Si denique momentum ſucci Limonii, vel acidi quid injiciatur, Sacchari conſiſtentiam numquam acquiret, ſed in totum perditur.

Formæ porro fictiles innumeræ, quando ſuccum fluidum acceperunt, ordine aſſeribus perforatis, in ampliſſimis ædibus (*Caſa do purgar* vulgo) imponuntur; mox ſuperimpoſito luto humefacto, dicta vaſa, à melle, quod ſubfuſco antea colore Saccharum tingebat, repurgantur. E formis excuſſum, candidum à nigricante, *Maſcovádo* dicto, ſeparatur, & in fruſtra redactum Soli ſereno exponitur, probeque exſiccatur, donec ciſtis recondatur. Hæc omnia incredibilis ſunt laboris & ingentium ſumtuum; præterquam quod operariorum multitudo, jumentorum inſuper & mancipiorum affluentia, multum ex emolumentis deroget.

Medica Sacchari auxilia, quoniam maximam partem Europæis cognita, paucis tantum perſtringenda. Cannæ viridis ſuccus frigidus eſt, multoque, ſi deſtilletur per alembicum, durabilior & efficacior. Multis oculorum malis, tum hepatis, renumque ardoribus medetur. Sed cum medulla hæc Cannarum tot mutationes ſubeat antequam repur-

gata

gata in grana reducatur, primam naturam ex parte deponit, imo alienam induit, ſubinde palato magis gratam, quam valetudini proficuam, ſi nimia calcis & fortis lixivii efficacia exacuetur ad delicias noſtras. Quamobrem illud quod ſanitatis gratia Pharmaciæ infertur, præſtat ut modice tantum repurgetur: quippe quod ingenitas reſervet vires, intenſiuſque ſerapia, electuaria & ſimilia dulcificet. Imo rubrum Saccharum, alias inferius habitum, (ſicut & illud quod ex Inſula S. Thomæ affertur, omnis lixivii expers) minime contemnendum, præcipue in clyſteribus. Saccharum itaque primo gradu licet calidum & humidum, tamen quo antiquius & defecatius, eo calidius eſt, faciliuſque in bilem convertitur, atque intenſius digerit & ſolvit. Recens vero non ſolum pectori & ſtomacho, ſed & veſicæ renibuſque prodeſt. In omni denique ægrorum condimento, veteri Saccharo longe debet anteferri.

De Iira, ſive Melle ſilveſtre.

INter prima quidem, etiam antequam Caña Saccharifera hic coleretur, mel ſilveſtre, quod ipſi *Iira* vocant, Braſilianorum ſolertia ex vaſtiſſimis ſilvis & ſaltibus ſibi comparavit, quod in uſu atque deliciis, Europæis æque ac gentilibus, tam ſanis quam ægris habetur. Cujus dignitates ingenti mortalium bono quotidie magis magiſque illuſtrantur.

Apes *Eirúba* illis dictæ, diverſorum generum hic reperiuntur, quæ in arboribus, miris & variis modis nidificantes, noſtris quidem non plane ſunt diſſimiles, ſed utcumque paulo minores, quarum examina hinc inde peregrinari, immenſaque nemora iis fervere videas, ubi erumpentibus floribus cereas domos exſtruunt, & optimo melle implent. Agreſtes illæ ſunt, nec cujuſdam cura aut paſtum aut tecta accipiunt. Ita ut idem primatus quem Philoſophus ſuis Apibus olim tribuit (invita formicarum induſtria, & araneorum aſtutia) hiſce quoque jure merito debeatur; utpote quæ ex quatuor illis celebribus operibus, ſcilicet venari, facere, colligere, & reponere, tria poſteriora ſolæ exerceant. Quaſi Natura nuſquam magis quam in minimis perfectior ſemper apparere voluerit. Regem quoque eligunt, cæteris mole corporis tenuiorem & maxime flaveſcentem. Reliqua quæ de illarum regimine produntur, ob difficiles ad eas in nemora aditus, nondum experiri datum eſt. Ignavum pecus, Fucos, Crabrones, Oeſtra, Veſpas melliferas & non melliferas, pluraque alia Inſecta ſimilia, de quibus in Inſectorum Hiſtoria dicetur, quæ nimis quam multa Braſilia nutrit, viatoribus & armentis infeſtiſſima, nunc prætereo.

Induſtria atque uſus præſtantia, cæteris omnibus Inſectis alatis, præcellunt facile A-

pes

pes mellificantes, quarum tredecim ad minimum genera obſervantur, ut ſunt *Amanacaymiri, Amanacayneú Aibu, Mambucá, Pixuná, Vrutuéira Tubuná, Tuiubá, Eirucu, Eixu, Cubiára, Curupiréira, Copu*, quarum ultima *Curupiréira* à Braſilienſibus contemnitur. Quæ autem inter illas omnes merito obſervandæ, ſunt potiſſimum hæ ſequentes.

Primo *Eiricu*, grandiores, non pungentes, quæ bonum faciunt mel, licet non quotidiani uſus. In concavitatibus arborum nidificant, ut Virgilius de ſuis Apibus,

—— *Nec non & Apes examina condunt,*
Corticibuſque cavis, vitioſæque Ilicis Alno.

E quibus veluti alveariis Braſiliani arte & dolo mel eliciunt per ductus aliquos, ut foras emanet.

Deinde *Eixu Copii* Apes minores, nigricantes, exterius in cortice nidum affabre conſtructum componunt inſtar alvearii, favis ex arte & concinne diſpoſitis, ac propoli, & cera candida veſtitis, è quibus optimum mel colligitur, ſed minore quantitate, & quia inſigniter aculeo appropinquantes infeſtant, minus expetitum.

Denique Apes *Munbucá* flavæ & exiguæ in arboribus nidificant, optimum hoc mel, de quo potiſſimum ago, & ſaluberrimum producentes, quod ab Indigenis arbores proceras conſcendentibus, ad Europæos incolas, magna quantitate, exiguoque pretio affertur

tur. Maxima autem copia hujus reperitur in Inſula Maranhon, cum multa cera nigra, ubi copioſius colligitur, vaſiſque integris completis, æſtate, cum flores ſilveſtres maxime vireſcere ſolent, ſervatur. Inter hoſce flores reperitur unicus in arbore *Tapuráiba* flos, quem poſtquam apes guſtarunt, Mel amarum conficiunt, ſicut de Apibus in Syria Abſinthio inſidentibus teſtantur Authores. Qualitate & dignitate nihil hercle hoc Europæo melli concedit, in ſecundo gradu calidum, conſiſtentia admodum fluida, clara & tenui: odore ſuavi quidem, ſed ſilveſtri, nec nimia aut ingrata dulcedine, nauſeam parit, ſed gratiſſimo acore, oxymelis inſtar, palatum afficit. Abſterſoria qualitate, partiumque tenuitate, tantum ſtomachum, viſcoſis humoribus obſitum, abſtergit, quantum calida languidum confortat. Inteſtina imprimis & renes, ſive ſuperius, ſive inferius exhibitum, à cruditatibus vindicat, atque urinas promovet. Tum & infantibus ad abſtergenda & demulcenda viſcera, à reliquiis Variolarum & Morbillorum obſitá, ſummopere prodeſt. Simplex vel compoſitum (ut in capite de Mulierum morbis dictum eſt) uteri intemperiei frigidæ ſummum adfert ſolatium.

Longæ durationis & magnæ dignitatis Vinum quoddam inde confici ſolet, fortiſſimũ quidem & admodum abſtergens. Sin temperatius placeat, hydromel vel mulſum ex aqua fon-

fontana, ſine coctione, rori nocturno exponitur.

Pharmaca denique non ſolum, ſed & cibos potuſque quotidianos ingreditur decantatum hoc trium Apum mel, ſicut in Tractatu de aëre, aquis, & locis dictum: meritoque de illo idem prædicare licet, quod Plinius lib. xxii. cap. 24. teſtatur. Mellis naturam talem eſſe, quæ corpora putreſcere non ſinat: tum, multos exſtitiſſe qui ſenectam longam mulſi tantum nutritu toleraverunt. Hac ſolum adhibita cautione, ne bilioſis, hepatis, renum & ſtomachi ardore laborantibus, niſi ſumme dilutum, exhibeatur.

Cera ejus, *Yetié* illis dicta, quæ nigricans eſt, Europææ poſtponenda quidem, ſed ad emplaſtra emollientia & digerentia, contra mala è frigore nata, utiliſſima habetur.

Qui cum *Tapuys* Mediterraneis in deſertis vixerunt, multas alias ſpecies Apum commemorant: quæ ut nomine & figura, ita & natura ab iis quæ enarratæ ſunt, diſcrepant. Quædam enim earum in arboribus pumilis, quædam vero intra terram miris modis nidificant & mellificant, earumque Mel utcumque igne & fumo excitato colligitur. Sed quia præter inſtituti rationem eſt ea enarrare, quæ dubio aliorum relatu nixa ſunt, iis ſuperſedeo.

Porro, præter tot documenta fertilitatis circa Vegetabilia & Senſitiva marina, tellu-

ris æmula, accedit & illud, quòd paucis à Paranambucenſi littore milliaribus, piſcatoris uncum citra intentionem contingat infigi vadis petroſis, & loco piſcis ſpongias, coralla aliaſque arbuſculas marinas capi. Inter hæc inuſitatæ formæ prodit ſpongioſa arbuſcula, ſeſquipedis longitudinis, brevioribus radicibus, lapideis nitens vadis, & rupibus infixa, erigiturque in corpus ſpongioſum molle oblongum rotundum turbinatum: intus miris cancellis & alveis fabricatum; extus autem tenaci glutine, inſtar Apum propolis, undique veſtitum. oſtio ſatis patulo & profundo in ſummitate relicto, ſicut ex altera Iconum, probe depicta, videre licet. Ita ut Apiarium marinum vere dixeris. Primo enim intuitu è mari ad terram delatum vermiculis ſcatebat cæruleis, parvis, qui mox à calore Solis in Muſcas, vel Apes potius, eoſque exiguos & nigros transformabantur, circumvolanteſque evaneſcebant: ita ut de eorum mellificatione nihil certi conſpici datum fuerit, cum tamen ceroſa materia propolis, Apumque cellæ manifeſte apparerent. Atque ipſa Mellis qualiſcumque ſubſtantia procul dubio urinatoribus patebit, ubi curioſius inquiſiverint hæc Apiaria, eaque in natali ſolo & ſalo diverſis temporibus penitius luſtrarint.

De

De Radice Mandihoca.

FRumento complures Indiarum regiones ad hæc uſque tempora caruerunt: ea tamen, quibus hominum & animalium ſuſtentatur vita, frumentique vicem ſupplent, deſiderari, benigna mater Natura noluit. Radix enim ſativa ſeu altilis, quæ *Mandiboca* Barbaris appellatur, in farinam redacta & in panem coacta, cum optimo pane ſimilagineo certat. Qua planta licet Angolæ & Hiſpaniolæ atque Inſularum incolæ gaudeant, (ubi radicem hanc *Yuca*, aliis Mexicanis *Quauhcamotli*, præparatam & in farinam redactam *Caſſavi* vocari Monardes teſtatur) Braſiliæ tamen naturalem, ſummoque ſtudio ibi excultam conſtat.

Plures hujus fruticis, quem *Maniiba* & *Manduba* Braſiliani vocant, dantur ſpecies: quæ licet prima fronte inter ſe haud differre videantur, tamen ab experientibus agricolis dignitate, caule, & colore diſtinguuntur, ac diverſa ſortiuntur nomina.

Quæ antequam explicem, monitum volo lectorem, ne in tanta nominum varietate (quæ in hoc & ſequentibus quibuſdam capitibus occurret) confundatur. Inter Barbaros enim Americanos non tantum, ſed & ubique terrarum quotuſquiſq; in eo variat ac diſcrepat. Nam interdum unaquæque res multis nominibus à quibuſdam deſignatur, quæ apud alios nomina ſunt diverſorum piſcium

cium & herbarum. Interdum idem nomen à diverſis authoribus, diverſis rebus naturalibus poſitum eſt. Aliter enim Plinius, aliter Gaza, aliter alii Latini explicarunt monumenta veterum Græcorum. Ex quibus inutilibus amphibologiis haud levis exſurgit moleſtia, & in exquiſita rerum cognitione obſcuritatem creat. Quapropter ego non ſine ratione cum Galeno optavi aliquando, res poſſe tradi ſine nominibus, ut ſophiſtis eriperetur decertandi & calumniandi occaſio.

Decantatæ itaque hujus fruticis prima ſpecies à maris accolis Braſilianis vocatur *Mandiibabuára*, *Mandiibparata*, & aliæ albicantibus radicibus & truncis, *Mandiipéba*, *Mandiipuccu*, *Mandiibimána*, *Aipi*, (quæ iterum ſuas habet ſpecies) *Tapecima*, *Aipipóca*, *Mandijupéba*, *Aipimacaxera*. Hæ novem poſteriores rubentibus ſunt & lacteſcentibus radicibus & caulibus. Omnium harum ſtirpium radicibus ſolum *Mandiboca* nomen inditum, & alimentoſis, medicamentoſis, venenoſiſque qualitatibus, licet impari inter ſe gradu, pollent. Quas proprietates, utpote admiratione digniſſimas, penitius introſpexiſſe operæ pretium erit. Hæ frutices omnes eleganti ac ſtellatim ſeſe explicante ſunt folio. Caule recto, nodoſo, hominis ſtaturam raro excedente. Ejus craſſities pro fœcunditate ſoli, cœlique temperie, varia. Florem fert exiguum, ſemen autem, Ricini Americani ſemini ſimile,

ſed

ſed inutile. Reliqua ex ipſa planta ad vivum depicta cognoſcere licet.

Fructum vero ſubterraneum, ipſam ſcilicet radicem eſculentam *Mandihocam*, Paſtinacæ haud diſſimilem producit, quæ lacteum trahens ſuccum, ab oculis prorumpentibus, è trunci internodiis natis, hoc liquore egregie intumeſcit.

Terra minime gleboſa aut irrigua, ut Canna ſaccharifera, gaudet, ſed ſicca potius, ſitiente & montoſa, atque in tuberculos, quaſi à talpis, egeſta. Adeo humiditatis omnis inimica eſt, ut æſtivis dumtaxat menſibus terræ committi velit, idque locis apricis ac minime umbroſis. Quod, ſicuti in hac, ita in quavis plantatione obſervandum, quia guttatim ex arboribus deſtillans aqua perquam noxia habeatur. Cum adeo acclive & arenoſum ſolum requiratur, malunt incolæ denſiſſima demoliri nemora, demolita exurere, eaque arvis & ſegetibus (*Chocas* Luſitanis) deſtinare. Extra terram duobus vel tribus ſurculis germinant, qui, ubi octavo, decimo & duodecimo menſe liqueſcere cœperunt, pro ſemine ſunt. Hoc frugum noſtratium diſcrimine, quod *Mandihocæ* nihil de fructu decedat ad ſui propagationem, noſtris decedat, quibus ipſi fructus ſementem faciant. Per radicem nulla poteſt fieri tranſplantatio: nam ex extracta è terra & tacta ſtatim moritur.

Tres hujus plantæ trunci, frondibus ſpo-

 liati,

liati, figura propemodum pyramidali, haud profunde ſimul terræ grumis, trium circiter pedum inter ſe diſtantia, inſeruntur, prominenteſque ad palmæ altitudinem, ſuperius ſe invicem amplectuntur. Qui foliis licet denudati, novis tamen ilico veſtiuntur, nec quicquam radix inde detrimenti patitur, modo caulis integer & illæſus maneat.

Dignitate & mole excellit *Mandiboca*, ſi anni terræque temperies ſicca: nunc enim quælibet radix ſeſquipedem, vel duos, interdum etiam tres pedes longa evadit; craſſitiem habens brachii, vel etiam cruris humani, quando ſatis adoleverit.

Ratio habenda ut ager à zizaniis, quæ valde ſuppullulant, ter quaterve repurgetur, donec plantæ adoleverint, ad octo nimirum vel decem menſium ſpatium. Maturitatem aſſecutæ radices, quod annuo circiter à plantatione ſpatio fieri ſolet, ad tertium vix ſub terra durant; altero tamen plerumque anno pars illarum putreſcit & corrumpitur; ideo ad ſummum linquuntur annuo ſpacio & de novo per taleas plantantur. Ingruentæ nimiæ humiditatis neceſſitate, exſcindi ſtatim poſtulat, ſex menſibus ante juſtæ maturitatis tempus.

Mandiba, quæ vocatur *Mandiibumana*, omnium citiſſime creſcit & matureſcit, atque optima inde conficitur farina. Hæc planta maxime gaudet ſolo arenoſo & magis ambuſto

quam

quam reliquæ. Primaria omnium, inque quotidiano uſu & lucro, producitur quidem promiſcue in quavis terra, vocaturq; *Mandiibparati*.

E terra evulſæ radices, vix per triduum durant, etiamſi fideliter horreis recondantur. Mundatæ, & à cortice, quem tenuiſſimum habent, liberatæ, molæ truſatili, cujus Iconem hic exprimimus, à duobus hominibus circumactæ, admoventur, ferrique cuſpide conteruntur; & contuſarum radicum farinam excipit alveus. Alii radendi modi pedetentim exoleverunt, ob majores labores & ſumtus. Pauperibus tamen uſus Scobinæ manualis ſupereſt, quæ ab Indigenis *Tapiti* nuncupatur. Raſura deinceps torculari vel prælo ſubjicitur, quo magna vi humor ille ſuperfluus & noxius exprimitur, ut ſicca atque abſque ulla humiditate maneat. Mox cribro, *Vrupeba* dicto, percolatur. Exinde plane facto fictili aut æneo injicitur, in quo ſubſtructo igne circum agitatur tantiſper donec coquatur. Semicocta vero, & adhuc mollis, eſculenta eſt, & vocatur *Farinha relada*, quod eſt Farina cocta non exſiccata. Reliquum quod ſupereſt, & reſervare volunt, ſupra majorem vel minorem ignem pro arbitrio miſcent, atque exacte ſicccant. Farina enim hæc quo plus exſiccata & excocta, eo durabilior eſt. Optime tamen ſiccata & fideliter ab aëre defenſa, ultra annum vix ſervari poteſt: nam ſi vel leviſſi-

mauligo eam infecerit, corrumpitur, unde non parvam militum ſtragem in caſtris exortam vidi. Quapropter noſtri, Barbaros imitati, eam in bolos, quos vocant *Beius*, paſtillos & liba cogunt, ſuperque craticulas modico igne induratam in penu aliquamdiu recondunt.

Ex hoc frutice expreſſo manat liquor, *Manipuera* Barbaris dictus, qui vaſi infuſus poſt duas horas fundo adhæreſcit: ex quo alia fit Farina, melior priori, ac majori affluentia floris; quam cremorem de *Tipióca* vocant. Ex aqua Farinæ, in fundo ſubſidente, bolos quoque conficiunt, T*ipiocéto* dictos, optimi ſaporis. Tum Gummi quoddam ſeu potius amylum ex ea fit, atque eidem uſui inſervit. Hic liquor *Manipuera*, quod dulcis ſit ſaporis, ab animalibus avidiſſime hauſtus, vi quadam venenata, ea ſtatim exſtinguit: ex radice tamen non expreſſus (quod mirum) cætera animantia, excepto homine, nutrit.

Præterea è radice, à Sole exſiccata, alia fit Farina & pollen albicans, imo & panis ſiligineus & biſcoctus, qualis è tritico (cui & ſimillimus eſt) pinſitur. Hoc alimentum integrum & non comminutum pro jumentis & pecoribus, quibus in pabulum cedit, reſervatur.

A vermibus, & integris formicarum cohortibus, hæc planta miſere ſolet infeſtari, magno agricolarum incommodo: non ſolum

lum folia atque caulem, ſed ipſam quoque radicem depopulantur ferarum greges & animalia domeſtica. Ipſi Braſiliani, Æthiopes, & noſtratium non pauci, huius plantæ folia amant adeo, ut contuſa, coſta & probe condita pro cibis & lactucis apponant; quæ in maſſam efformata, *Manicoba* nuncupant Braſiliani.

Porro radix hæc quatuor aut quinque dierum ſpacio in aqua macerata & emollita, *Mandiopiba* dicitur, quæ aſſata maxime ab agreſtiori Indorum & Barbarorum multitudine expetitur & manducatur. E ſedimento hujus conſiſtentiæ, Farina mollis notæque melioris, conficitur: quam Braſiliani *Vipéba*; Luſitani *Farinha freſca* cognominant.

Ex *Mandihoca* contuſa, butyro & ſaccharo, inſignes fiunt boli vel paſtæ, ad edendum optimæ.

Pultis denique genus præparant ex *Mandiopeba*, quod nomen accepit *Mingau-petinga*

Mandihoca illa mollis, illis *Puba*, igni impoſita exſiccatur; exſiccata appellatur *Carimá*. Ex hac Afri panem optimæ notæ conficiunt, quem *Muſam* vel *Angu*, interdum, *Enfonde* appellant. Omnium autem præſtantiſſimum pultis genus condiunt, quod vocant *Mingau de Carimá*, cui aromatum loco momentum piperis Braſilienſis, & floris *Nhambi*, admiſcent: quod optimi cum ſit ſaporis, ſanitatique conducat, frequens in prandiis eſſe

ſolet;

ſolet; nec ſuaviter ſe vivere exiſtimant niſi hoc alimento utantur. Sanis æque atque ægris ejuſmodi pultes, emulſiones, atque adeo ptiſanas ſaluberrimas inde confectas, exhibent. *Tipioca* ſiquidem, & *Carimá*, pota, vel ſyrupi ſpecie cum aqua florum Auriacorum & pauxillo Sacchari exhibita, antidoti loco plerumque eſt. Quantæ porro dignitatis *Tipioca* & *Carimá* ſint, in deſcriptione morborum Endemiorum ſatis explicavi. *Tipioca* enim, ſi multa lotione defæcata atque exſiccata, probe ab omni humiditate reſervetur, Tabidis & Dyſentericis, ex arte propinata, medetur. Febricitantes, animo deficientes, veneno infectos reſtituit. Præter hæc, violento exercitio fractis vires recuperat, ſudoreſque immodicos compeſcit, Ptiſana illius ſimplex. Qualcunque Hæmorrhagias, imprimis ex vulnere inflictas, tum intus aſſumta, tum emplaſtri forma applicata, cohibet.

Ex *Macaxera* optimum fit Vinum, ſerum lactis ſapore referens. *Mandiboca* raſa, vulneribus & ulcerimis antiquis impoſita, ea mundificat, atque attemperat.

Manipuera cocta craſſeſcit pultis in modum, alimentoque convenienti exiſtit. Quod ſi Oryzam & Saccharum, cum aqua deſtillata ex floribus aurantiorum ſuperinfundas, Conſervæ gratiſſimæ formam induet, mutatoque nomine *Marmelada de Mandiboca* appellatur. Poſtremo illa ſpecies *Macaxé-*

ra, præterquam quod vicem Farinæ prædi-ctæ ſuppleat, igne etiam aſſata, abſque ulla alia præparatione, comeditur, ac *Macabéra* appellatur.

A cæteris radicibus abſtinendum eſt, quod præſens ſint venenum. Dantur enim quædam, quas citius combuſſeris, quam ut virus ſuum deponant, & ad edendum idoneæ reddantur. Quin ipſi Indigenæ, olim minus exercitati, in ſeparatione alimentoſi & venenoſi, multoties mortem oppetierunt: nunc eruditiores facti, non ſolum illis præcipuo exiſtit vitæ ſuſtentaculo, ſed omnibus Europæis in America degentibus. Idque pani triticeo præferre non verentur, licet minoris habeatur nutrimenti.

Æthiopes & Braſiliani inter edendum pugnos Farinæ plenos in os injiciunt, ut manu quoque longius ab ore remota, vix tamen mica pereat. Raro aut parum inter prandendum potu utuntur, quod farina aquam nimis imbibat, & ſtomachum inflet.

Cum aratrum ejuſque uſus hic ignoretur, & improbi ac multijugi laboris tædia declinent, facilem hanc & minus ærumnoſam agriculturam, tam vitæ ac rei familiari tuendæ, quam æri corradendo, egregie adhuc amplectuntur. Quippe unius dumtaxat mancipii induſtria & labore, centum tuberculos, aliquando unius diei decurſu abſolvunt. Hujus autem Farinæ una, quæ viginti cantharos no-

noſtrates continet, aut ſeſqui *Alkeira*, hoc eſt, modius unus aut ſeſqui, homini robuſto laborioſo, in menſem integrum plerumque ſufficit. Quem modium ſex aut ſeptem aut ad ſummum octo ſolidis comparaveris.

Hæc ſunt quæ uſu & ſedula in hanc radicem inquiſitione, à ruſticis & mea experientia reſciſcere potui; quæ fuſius & explicatius perſequi volui, quod hæc planta ubique frequens ſit & domeſtica, tamque excellentis uſus, ut vaſtiſſimi orbis Americani incolis abunde victum ſuppeditet.

INDEX

INDEX RERUM
præcipuarum hujus
HISTORIÆ.

A.

ABina & Achina ſtationes Africæ. Pag. 92
Aciei noſtræ propè Minam ordo. 94
Adolphus Naſſovius Imperator. 552
Adriani Duſſii laus. 202
Adventus claſſis Hiſpanicæ. 172
Æthiopes clamoribus prælia ordiuntur. 95
Alagoa Borealis. 63
Alagoa Auſtralis. ibid.
Albertus C. *Burchius Senator & Conſul Amſtelodamenſium, inter Societatis Occidentalis Directores, & Legationibus ad Reges varios clarus.* 174. 183
Aldeas-pagi. 68
Alexii portus in Braſilia. 457
Aliquot Sacri ordinis relegati. 361
Americanus Orbis an notus Veteribus. 20. *examinantur loca veterum.* ibid.
America antiquitus habitata. 23
Americæ primi inventores. ibid.
Ananazes fructus. 117
Anhuibapeapija, Saſſafras. 226
Andreas Vidalius ad ſeditionem hortatur Braſilienſes. 302
Angola Chilenſium. 443
Annabon Inſula. 353
Annonæ calamitas in Afris & Braſilia. Remedium. 416
Antá. 222
Antonii Ocquendi cum Patre pugna navalis. 29
Antonii pagus. 67
Antonii Vazii Inſula. 67. *oppidum.* 229
Antonius de Cunha Andrada captus & in Belgiũ *miſſus.* 282

Apri amphibii. 221
Arara avis. 223
Araucani Chilenſium bellicoſiſſimi. 456
Arces Reciffæ. 227
Arda arbor. 226
Armadillæ deſcriptio. 369
Armandi Richelii Cardinalis laus. 77
Artiſoſkius Tribunus. ejus laus. 44. *littera ad D. Albertum C. Burgium.* 183. *dimittitur.* 180. *in Belgium redit.* 200
Articuli Induciarū inter Luſitaniæ Regem & Fœderatos Ordines, quoad Societatem concernunt. 387
Arx Auriaca in Tamarica. 230
Arx S. Antonii. 125
Arx Brunonis. 228
Arx Cabo dello, Catharina dicta, à Mauritio Margareta. 124
Arx Calbuca in Chili. 460
Arx Ceuliana. 124
Arx Duſſii. 231
Arx S. Georgii. 228
Arx Naſſovia in Afris. 80
Arx Povacaona ſive Portus Calvi obſeſſa à Martitio. 61. *victa.* 62
Arx Reſtinga. 125. 230
Aves marinæ. 225
Aurum cur Barbaricum dictum Maroni. 492

B.

Baldivia civitas. 445. *eam ſubeunt Belg-.* 464. *munimentum exſtruunt.* 466
Baldivienſis provincia novem territoriis diſtinguitur. 445. *Baldivienſium deſcriptio.* 468
Balduinus Henrici Præfectus in Braſiliam navigat. varia fortuna pugnat. moritur. 26
Banjola fugit. 69. *flumen S. Franciſci trajicit.* 70. *prope Seregippam graſſatur.* 105. *Seregippam deſerit.* 106

Barbalio Bahiam repetit. 106
Barra grandis Sinus eſt Portui Calvo vicinus. 69
Belgæ mercatores differunt à Græcis & Romanis, à Germanis & Gallis. 12
Belgarum copiæ aliquot cæſæ. 314
Belgæ in Africam navigavere. 101
Bejupira piſcis. 224
Bellum Belgicum, ejus cauſſæ, magnitudo, fama, diuturnitas, jus, virtutes & vitia, Duces, diſtincta tempora. 1. 2. 3
Bellum Belgicum duplex Domeſticum & Externũ ſive tranſmarinum. 4. 5
Bellum tranſmarinum aliud ad Orientem, aliud ad Occidentem. ibid.
Bento Henricus. 307
Bernardus Comes Naſſoviæ. 554
Boaviſta Domus ad delectationem & tutelam Inſulæ. 254
Boicinininga, ſerpens venenatus. 223
Boignacu ſerpens. ibid.
Bojobi ſerpens viridis. ibid.
Boope piſcis. 224
Braſiliæ deſcriptio. Situs, termini. 32. figura, populi, quomodo è Veteri Orbe huc perveuerint, primi inventores, aër. 33. coloniæ, Epiſcopi & Præſidis ſedes. lingua, mores, habitus, religio. 35. domicilia, victus. 36. arma. 38. præfecturæ XIV. 40. nationes. ibid.
Braſiliæ diviſio vetus iũ Boreales & Meridionales Præfecturas. Nova in Hiſpanicam ſive Luſitanicam & Belgicam. 41
Braſiliæ quàm grande momentum. 550
Braſiliani natatores, piſcatores, iaculatores, potores, crudeles. 37. in hoſpites effuſi. officia erga mortuos. Europæis mixti mitiores. 38

C.

CAjatayæ, cercopitheci. 223
Cajuſia pyra. 117

Campecha. 42
Cameronis ingenium verſatile. 165
Cameronis expeditio terreſtris adventāte claſſe Hiſpanica. 300
Camurupi piſcis. 224
Capitis Viridis & Inſularum ei objacentium deſcriptio. 52
Capureiba arbor. 226
Carolus Naſſovius Dux. 58. *occumbit.* 63
Carolus Tourlonius prætoriæ cohortis Dux pugnat cū hoſte. 303. *inquirit in expilatores.* 308. *opponitur Cameroni.* 316
Carolomappa Arx capitur. 460
Carolus Tolnerius à Comite in Belgium mittitur. 392
Caſtrum civitas in Chiloüe. 443. *evertitur.* 461
Caſtellum Domburgicum. 231
Caſtrum Frederici Henrici. 229
Caſtrum Princ. Guilielmi. ibid.
Caſtellum maritimum. 228
Caſtrum Mauritii ad ripam S. Franciſci. 70. *caſtrum minus ad oſtia ejuſdem.* ibid.
Caſtrum VVaardenburgii. 228
Cauſſæ navigationis ad Indos. 6
Cauſſa & ſcopus ſcriptoris. 31
Cenſus ſaccharorum & aliorum redituum. 170
Cerigones. 222
Chimilla animalculum. 456
Chilen qui adierint. ibid.
Chiles deſcriptio. ſitus. etymon. 438. *temperies.* 439. *gubernator. Epiſcopatus.* 440
Chilenſis regni provinciæ. ibid.
Chilenſium populorum habitus corporum. 446. *opificia.* 447. *domicilia, veſtitus.* 448. *victus, Præfecti.* 449. *arma.* 450 *religio. Dæmonia.* 451. *de conjugiis.* 453. *ritibus circa mortuos. ſecundis nuptiis. ritu fœderum.* 454. *Numine. Gubernatoris electione. animalibus.* 455. *ad colloquia cū Belgis deſcendunt.* 465. *horrent ad auri mentionem.* 466
Chilenſia vocabula. 474 & ſequent

Chiloüe inſula in Chili. 443. ejus portus. 446
Chriſtianus Comes Naſſoviæ. 554
Cibariorum inopia. 232
Cives & coloni à Mauritio in centurias ſcribuntur. 75
Civitas S. Salvatoris noſtrorum negligentia amiſſa. 26
Claſſis Hiſpanicæ deſcriptio. 266. duces. 268. è Sinu Sanctorum exit. 271
Claſſis noſtra. 272. Hiſpanicæ fuga. 286. ejus infelicitas. 287
Claſſium primus conflictus. 278. ſecundus. 279. tertius. 280. quartus. 284
Coloni quomodo in Braſiliam pelliciendi. 208. quando utiles. tria hominum genera ad colonias apta. 210
Columbus. 23
Comes Banjola. 58. ablatis impedimentis loco movet. 61. fugit. 64
Comitis Mauritii cum Societatis rectoribus concordia. 528
Commendo ſtatio Africæ. 93
Conceptionis civitas in regno Chilenſi. 441
Congenſes Legati in Hollandiam. 409. eorum deſcriptio. 410
Congenſe regnum, Congo civitas. ibid.
Congenſis Regis tituli. 412. reginæ appellatio. ibid.
Congo flumen. 346
Conjurationis Thomææ arcana. 415
Conſilia habita de expugnandis Palmaribus. 407
Controverſia celebris. An expediat Societati, ſingulis ad mercatum aperiri Braſiliam, an ſervari publico. 146. Conſilium Comitis. 147. probatur à Fœder. Ordd. & Societatis rectoribus. 151. Coloniarum incommoda. 147. commoda. ibid.
Copaiba arbor. 226
Cotiæ. 222
Criſpinus in Braſiliam mittitur. 470
Curavvanchas præfectus Villaricæ apud Chilenſes. 445
Curacao inſula. 43

D.

DAvilii Eccleſiaſtæ ſtudia in convertendis gentibus. 214
Decreta de decimis, piſcatione, ponderibus, &c. 85
Decretum de captis Nigritis, Vectigaliũ fraudatoribus, prædonibus. de re frumentaria, de appellationibus, homicidis. 113
Defectio Luſitanorum nunciatur Comiti. 337
Deliberationes de transferenda imperii ſede in Tamaricã. 87
Diei Dominici veneratio. 76
Diligentia Mauritii in deprehendenda Hiſpanorum claſſe. 264
Dillenburgum Naſſoviæ civitas. patria Mauritii. 553
Diſcurſus de mancipiis & ſervis. 309
Dominici Calabaris Hiſpani infelix fatum. 62
Dorades piſces. 224
Duces cum Brouvvero in Chilen profecti Blaubeeckius, Voſtermannus, Petrus Florius. 457
Ducum Americanorum laus. 30

E.

EBrechtus, Bovvardus, Hollingerus duces occumbunt. 136
Eccleſiæ regimen. 524. Synodi. claſſes. preſbyteria. concionatores. ibid.
Eccleſiaſtæ laudatiſſimi Fredericus Caſſelerus, Petrus Lantmannus, Franciſcus Plante, Ioachimus Sollerus, I. Polhemius, Cornelius Pœlius, Samuel Rathelarius, David Doreſlarius, Iohannes Stetinus, Iohannes Eduardi. 218
Eclipſis Solaris deſcriptio. 329
Edicta per octennium promulgata, variĳ argumenti. 512. de abſconditis mercibus. ibid. prædonibus. Sabbathi obſervatione. aleæ luſu. militum graſſationibus. vallis. 513. mercantium fraudibus, militibus vagis, latronibus, præfectis graſſantibus, ponderibus, menſuris. 514. certaminibus ſingularibus. farinæ plantatione. 515. debitoribus, expilatoribus, blaſphemis. 516. æruſcatoribus, cædendis lignis. 517. orphanis. 518. ſaccharis, ſcholis, armis, annonæ valore:

lore. 519. *Notariis.* 520
Edictum Fœderat. Ordd. de permiſſa in Occidentem naviga-tione. 20
Eliæ Herckmanni laus. 125. *ejus iter per deſerta Copaoba.* 358. *ſuccedit* Brouvvero. 463. *Oratio ejus ad Chilenſes.* 465. *ſucceſſus nunciat Mauritio.* 469. *redit in* Braſiliam. ibid. *moritur.* 470
Erneſti caſtrum. 229
Expeditio prima Societatis in Braſiliā *ſub Iacobo Willekens.* 25
Expeditio ſecunda in Occidentem ſub Baldevvino *Henrici.* 26
Expeditio Henrici Loncquii in Braſiliam. *Olindam cepit.* 28
Expeditio Hadriani Patris in Braſiliam. *glorioſè pugnans occumbit.* 29
Expeditio in Minam Africæ arcem. 89
Expeditio in Seregippam Regiam, duce Tribuno Scuppio. 105
Expeditio in Siaram duce Garſtmanno. 111
Expeditio in Occidentem ſub Iolo. 152
Expeditio Ioli *in portus O. Sanctorum terras.* 318
Expeditio in Angolam ſub Iolo. 342. *in inſulam Thomaam ſub eodem.* 348
Expeditio in inſulam ſub Douza. An. 1600. 356
Expeditio in Maragnanam præfecturam. 374. *rationes expeditionis.* ibid. *duces Lichthart. & Coinus.* 375
Expeditio deſtinata Mauritio in urbem Buenas Ayres duce Lichthartio. 404

F.

Fœderatorum Ordd. victoria navalis duce Trompio. 292
Fœderatorum Ordd. litteræ, quibus Comiti miſſionem petenti ſuadent manſionem. 339
Fœderati Ordines, Auriacus, Societatis Rectores Comiti pro adminiſtrata Braſilia *gratias agunt.* 552
Ferdinandus Maſquerenga Comes de Torre terra mariq; Præfectus. 268

Fluvij S. Franciſci deſcriptio. 71
Fluvius Argenteus ſive Rio de la Plata. 40
Fluvius Grandis. Ingenia ſive molæ. 206
Fodinæ apud Coubaovenſes inventæ. 78. fodinæ Copaovænſes & Terra Nova. ibid.
Formula regiminis Braſiliæ elegans præſcripta à Maurito. 499 quomodo habendus miles. 500. primores, coloni. 501. Luſitani. 502
Franciſcus de Barros relegatus. 311
Franciſcus Toletanus Hiſpanorum Dux Civitatem S. Salvatoris recuperat. 26
Franciſcus Plante Eccleſiaſtes. autor librorum Mauritiados. ibid.
Fredericus Henricus Arauſionenſium Princeps. 553
Frederica olim Philippæa dicta. 116
Fretum Lamarium. 457
Friburgum Palatium Comitis. 243

G.

GArazu pagus Pernambuci. 67
Georgius Garſtmannus. 111. Arcem Siarenſem expugnat. ibid.
Georgius Fredericus Naſſoviæ Comes. 554
Georgius Marcgravius Geographus & Aſtrologus eximius. moritur. ibid.
Giſelinus comes Expeditionis in Bahiam. 128
Guacucua veſpertilio aquaticus. 224
Guaperua piſcis. ibid.
Guara avis. 223
Guilielmus Arauſionenſium Princeps. 553
Guilielmus Otto Naſſoviæ Comes. 554
Guilielmus Letanus centurio. 94

Guilielmus Looſius ſuos ad pugnam hortatur. 227
Guilielmus Piſo Archiater. 560. *ſtirpium & herbarum* Bra-*ſiliæ ſcriptor.* ibid.

H.

HEctor de la Calce tempeſtate Paraybam appellit. 326
Henricus Comes Naſſoviæ, Hulſtæ gubernator. 554
Henrici Brouvveri *profectio in* Braſiliam. 432. *mandata* Brouvvero. 433. *novam viam aperit in mare Pacificum.* 457. *moritur.* 463. *ſepultura.* 473
Henricus Hauſius *militaribus præficitur, abeunte Mauritio.* 499
Hiſpanorum litteræ interceptæ. 267
Honorum inſignia delata Comiti à Pernambucenſibus. 261
Hoſtis de temperamento belli cogitat. 334. *rationes quæ* Co-*mitem idem facere impuleruut.* 335
Hoſtis trajicit flumen S. Franciſci. 263
Houvvinus centurio & Berchemius *architectus caſtrenſis cæ-duntur.* 136

I.

IAcobus Huygenius *ſurrogatus Looſio.* 278
Iacobus Stackhouvverus cum Helmichio hoſtem cædunt. 64
S. Iacobi civitas, S. Iago. 440
Iacobus Aldericus. 281
Iacobus VVillekenius Præfectus in Braſiliam *abit.* 25. *urbem S. Salvatoris capit.* ibid.
Iaguaretæ, tigrides nigræ. 223
Imbres crebri ſacchaream meſſem ſuffocant. 382
Imperial, civitas Chiles. 440
Imperium Africanum. 527
Imperij Braſilienſis *ordo & gradus.* 520. *Fœder. Ordd.* XIX-

Viri, Præfectus Braſiliæ, Supremus Senatus. 521. Politicus. 522. Magiſtratus Provinciales. Rationum collegium Vicepræfectus maris. 523. Senatus nauticus. 524.
Imperij Braſilienſis defectus. 537. cauſæ malorum. 540. Remedia malorum. 544
Incolarum Braſiliæ alii liberi, alii ſervi. 207. liberi Belgæ. ibid. Luſitani. 211. Braſilienſes. 212
Indiculus armorum. 231
Inſulæ Capitis Viridis. 53. Saliferæ noſtratibus dictæ. ibid.
Inſula Principis. 355
In Maragnana provincia caſtellum expugnatur. 370
Ioannes Naſſovius ſenior dictus 553
Ioannes Naſſovius pater Mauritij. ibid. exercitus Suecorum Regis præfectus. 554
Ioannes Erneſtus Comes Naſſoviæ moritur in Braſilia. 312. 554
Ioannes Tallebomius Centurio cadit. 63
Ioannis Coini expeditio in Africam, eius litteræ ad N. Yprenſem. præliatur cum Æthiopibus. 94. Minam obſidet. 96. dedi poſtulat. ibid. deditur. conditiones. 98. victor excipitur. 100. laus. 202. nunc propræfectus rei tormentariæ ſub Auriaco. 100. nobilis è Miſnia. ibid. Cameroni opponitur. 301. pellit Cameronem. ibid. Maragnanam vincit. 374
Ioannes VValbeekius Aſſeſſor. 318
Ioannes Dorthius Tribunus à Barbaris obtruncatur. 25
Ioannis Giſſelini laus. 203
Ioannes Godlatius vigilum præfectus. 94
Iohannes Latius rerum in Braſilia à Societate geſtarum uſque ad An. 1636. ſcriptor laudatiſſimus. 29
Ioannes Lichthartius. 44. Maragnanam invadit cum Coino. 375, eius laus. 379. inpræfecturam Inſulanam exſcendit. 88
Ioannes VVendovillius centurio cadit. 139

Iolus è Texela portu ſolvit. 153. *eius naves terrori ſunt Hiſpanis.* 154. *ſuos ad pugnam hortatur.* 156. *pugnat.* ibid. *deſeritur à ſuis.* 158. *invectiva.* 160. *iterum pugnat.* ibid. *iterum deſeritur.* 161. *iterum repetit pugnam.* ibid. *æmulatio fruſtratur expeditionem.* 163. *ejus expeditio in O. Sanctorum terras.* 318

Ioli Claſſis ad Havana portum. 327. *disjicitur tempeſtate.* 328. *in Angolam mittitur.* 342. *Loandam capit.* 343. *inſulam S. Thomæ & arcem.* 349

Iolus moritur, eius laudatio & exequiæ. 350. 351

Icicariba arbor. 226

Iſrael Tvvynius centurio cadit. 139

Itaiba arbor. 226

Iudæi ab excubiis abſolvuntur Sabbatho. 76

Iudæorum repagula. 526

Ius navigandi ad Indos. 6

L.

LAboratores, cultores Roſſarum. 119

Laus Coini & Lichthartii. 379

Lecti penduli & retiformes, quos hamaccas *vocant.* 212

Legati à Camerone ad Comitem miſſi. 164

Legati Sohnenſes ad Mauritium. 409

Leges frumentariæ circà Mandiocam à Mauritio conceptæ. 259

Leges matrimoniales. 76

Libertas religionis conceſſa Luſitanis. 83

Ligni Braſilienſis cultura. 215

Lis cum Artiſoſkio. 172

Litteræ Comitis ad Auriacum. 71. *ad Societatis rectores.* 74

Litteræ Georgij de Maſtarengas Proregis ad Comitem. 396
Litteræ Herckmanni ad Comitem & Senatores Braſiliæ. 471
Litteræ Mauritij ad Ordd. Generales de Artiſoſkio. 180
Litteræ Principis Auriaci exhibentur Chilenſibus. 466
Loandam S. Pauli invadit Hinderſonius. 343. *arces condit.* 344
Loanda inſula. 347
Locis ſacris in bello parcendum. 249
Lodovico Barbalioni opponitur Picardus. 313
Luſitani proditionis accuſati. 263
Luſitanis vivendum legibus Cæſareis & Romanis. 83
Luſitanorum litteræ interceptæ. 125
Luſitanorum conjuratio credita, nondum comperta. 166. *excuſantur captivi.* 170
Luſitanorum defectio in Inſula Thomæ. 405
Luſitanorum in Loanda cædes. 413. *occaſio. querelæ Luſitanorum.* 414
Luſus pecuniarum prodigi prohibiti. 76

M.

Magellanus, Dracus, Candiſchius, Noortius, Ralegus, Forbiſcherus Americæ partes varias aperuere. 24
Magnitudo Imperij Braſilienſis. 561
Mulatæ qui. 103
Mamoluchi qui. 263
Mancipiorum inter S. Franciſci flum. & fluv. Grandem numerus. 537
Mandiocæ inſitio. indoles ſingularis. 221
Manquiantus Chilenſis. 470
Mansfeldius cum copiis terreſtria tenet. 273
Mansfeldii cum hoſte pugna. 315
Maragnanæ Inſulæ deſcriptio. 377
Margareta Ducis Holſatiæ filia, mater Mauritij. 554
Matthiæ Ceulij laus. 202

Matthæus Ioannis Iolo ſuccedit. 352
Mauritius Arauſionenſium *Princeps.*
Mauritius Naſſoviæ, *&c.* Comes *illuſtriſſimus* Hiſtoriæ *huius argumentum.* 31. *quatuor* Tabulis Belgicam Braſiliam *exhiberi fecit.* 41. *eius decora & virtutes.* Arcem *Schenckianam inter alios* Duces *recuperavit.* 47. *Palatinatum adiit cum* Frederico Henrico Naſſoviæ Comite, *jam* Arauſionenſi *Principe. claris obſidionibus, Grollæ, Sylvæducis, Venloæ,* Trajecti *ad Moſam,* Berkææ *interfuit.* ibid. *Præfectura* Braſiliæ *ipſi confertur. ratam habent* Ordines *&* Auriacus. 48. *abitus in* Braſiliam. 49. *tempeſtate in* Britanniam *truditur.* 50. *Valmudæ moratur.* 51. *Omina.* ibid. *inſulas* C. *Viridis appellit.* 52. *ad Majam inſulam.* 53. *tranſit Æquinoctialem lineam.* ibid. Braſiliam *venit.* 54. *excipitur à ſuis.* ibid.
Mauritÿ prima cura inquirere in militiæ ſtatum. 55. *milites præſidiis ab ipſo ſepoſiti. bello ſervati.* Commeatus. ibid: Arma. 56. *prudentia* Comitis. ibid. *ad bellum ſe accingit.* 57. *in hoſtem movet.* 58. *aciei ordo.* 59. *hoſtem munitionibus pellit.* 60. *arcem Povacaonam obſidet.* 61. *ſtativa ordinat.* 62. *vincit.* 63. Banjolam *perſequitur.* 64. *Arces duas condi imperat ad ripam S. Franciſci.* 70. Openedam *venit.* ibid. *redit in Reciffam, ordinat Rempublicam.* 79. *quam invenit corruptiſſimam.* ibid. *legibus roborat.* 80. *in peſſimos animadvertit, indignos removet.* ibid. *magiſtratus conſtituit, orphanotrophia,* Noſodochia, *victus demenſa præfinit. molas fugitivorum vendit.* ibid. *Arces reſtaurat, alias diruit,* Braſilianos *in veteres ſedes remittit.* 81. *Barbaros humaniter habet.* 82. *ad poſtulata Luſitanorum reſpondet.* 83. *quæ Religionem attinet, curat.* 85. *Minæ Arcis in Africa expugnationem per Coinum conficit.* 89. *Quo jure in Africam moverit.* 101. *in Parayba & fluv. Grandis præfecturas proficiſcitur.* 116. *in Parayba caſtella reſtaurat.* 40. *redit in Re-*

in Reciſſ*am.* 127. *gratulatur* Auriaco *ob victam* Bred*am.* ibid. *in* Bahi*am trajicit.* 132. *occupat anguſtias.* 133. *arces capit.* 134. *Expeditio eius in Portum omnium Sanctorum ſive* Bahiam. 128. *rationes expeditionis.* 129. *cauſæ ſolutæ obſidionis.* 138. *eius Epiſtola ad* Potentiſſ*imos* Ordines *poſt ſolutam* Bahi*æ obſidionem.* 142. *reſpondent* Eu*popæi rectores.* 145. *ſua provinciis inſignia largitur in ſigillis.* 167. *limitaneis locis proſpicit adverſus claſſem* Hi*ſpanicam.* 172. *hortum in Inſula Vazij condit.* 240. *urbem Mauritiam.* 245. *etiam pontes duos.* 246. *Reciſſam Inſulæ jungit.* 250. *inſulam* Continenti. 253. *Ob appulſum claſſis* Hi*ſpanicæ munitioni* Arcium *paſſim invigilat.* 255. *ad Tapujarum Regem ſcribit.* 304, *Seregippam occupat.* 341. *Iolum in* Angolam *mittit, qui Loandam capit.* 343. *& inſulam* Thom*æ.* 349. *in Maragnanam provinciam movet.* 374. *novos modos Societati aperit proferendi imperij.* 381. *tabulas accipit Actorum inter* Fœder. Ordd. *&* Triſ*tanum Mendozam.* 383. *earum ratihabitio.* ibid. *ſubitam militiæ mutationem diſſuadet, leniter habendos Luſitanos monet, & promiſſa ipſis præſtari.* 394. *anniverſarios rectores minus probat.* ibid. *militiæ cenſum contrahit.* 397. *de immunitatibus colonorum cogitat.* 398. *agros ad cnlturam vendit.* ibid. *moderationi ſtudet.* ibid. *corrigit monetæ valorem,* 400. *iterum dimiſſionem petit. tandem impetrat. urgent manſionem Senatores* Braſilienſ*es.* 401. *in* Alagoas *abit.* 417. *eius litteræ ad Provinciarum* Braſili*æ rectores.* 494. *& provinciarum reſponſio.* 495. *Palmares mojores turbat.* 494. *litteræ ad* Fœderatos *Ordines.* 496. *imperium Senatui Supremo tradit.* 499. *formulam regiminis ſcribit.* ibid. *Mauritia abit.* 528. Parayba *abit.* 531. *in* Texel*æ portum appellit.* 533. *excipitur à ſuis.* ibid. *ejus genus.* 552 *ſtemma.* 553. *avus, pater, mater, fratres, ſorores.* 554. *ejus apud* Braſilianos *vivendi ratio.* ibid. *redux magnis dignitatibus ornatur.* 562

Mauri-

Mauritiopolis. 229
Mercandi licentium ſingulis fieri ſuadet Comes. 149
Mercator apud Belgas *Senatum facit & cur?* 13
Merces Orientalium. 12
Michael Gibertonus Arcis Portus Calvi gubernator. 63
Militarium cenſus per Braſiliam. 233
Minæ Arcis deſcriptio. 89. *antehac fruſtrà à noſtris tentata.* 90
Mocha & Maria inſulæ Chiles. 441
Molæ Paraybenſium octodecim. 119
Momenta Navigationis Indicæ Hiſpanorum judicio. 14
Momenta geſtorum per Societatem Occidentalem uſque ad An. 1636. *navium numerus ereptarum hoſtibus.* 45. *ſpoliorum ſumma. damna illata hoſtibus. precia mercimoniorum.* 46
Mongoapa fluvius Parayba. 116
Morbilli & variolæ graſſantur. 382
Moribeca, pagus. 67
Morbus endemius in inſula Thomæa Belgas *corripit.* 350. *cauſa morborum.* 353

N.

N*Arratio defectionis è Rege* Luſitaniæ. 384. *cauſæ.* 385
Navigationes & commercia malis conſiliis impediri. 8
Navigatio Societatis Orientalis ad Indos veteres. 10. *eius ſucceſſus & amplitudo.* 11
Navigatio Societatis Occidentalis in Occidentem. 15. *diſceptatio an ea expediat.* 16. *rationes Suaſoriæ.* ibid. *diſſuaſoriæ.* 17
Navium cenſus. 236
Neceſſitas *Coloniarum probatur.* 149
Nentoquiendus *ſummus* Chilenſium *gubernator.* 450
Nhanduguacu, *Aranea maxima.* 224

Nicolaus Yprenſis Comiti ſcribit. 91
Niger fluvius Africæ. 104
Nigritarum in Afris deſcriptio. 102. *eorum mores.* 104
Nigredo Æthiopum unde. 103
Nigritarum Reguli in Afris pacem petunt. 93
Nuntium de victa ab Auriaco Breda. 107

O.

OLindæ deſcriptio. 65
Olindæ deſtructio. 247
Openeda oppidulum ad ripam S. Franciſci. 70
Oſornum regni Chilenſis civitas. 446
Oratio Mauritij ſuper litteris Artiſoſkij ad D. Burchium. 174
Oratio Mauritij ad Braſilianorum duces. 257
Oratio Mauritij ad Navarchos. 275
Organes Scopuli. 155
Oriens cur calida ferat. 12
Orientem navigari ad Reipub. decus facit. 13
Otto Comes Naſſoviæ. 552

P.

PAlmares Maiores turbati. 461
Palmarium Maiorum & Minorum deſcriptio. 407
Palmarum plures ſpecies. 412
Parayba, fluvii quoque nomen. 116
Parayba deſcriptio. 116. *eius flumina.* ibid. *proventus.* ibid. *animalia,* 117. *incolarum ſors.* 118
Paraybenſes pagis habitant ſeptem. 119
Paraybæ Ingenia. 206
Paraybam noſtri vicere Anno 1634.
Pavaoſa urbs Inſulæ Thomae. 349

Penſio-

Penſiones molarum, Pençao. 171

Petrus Heinius in Occidentem navigat. 26. *claſſem Hiſpaniæ antè exuſſerat.* 27. *claſſem Novæ Hiſpaniæ argentiferam capit ad Matanea portum vel Sinum.* ibid. *eius laudatio. mors.* ibid.

Permutatione mercium mercandi vetus mos. 100

Pernambucenſis Præfectura deſcriptio. 64. *pagi ſedeſque, peculium Eduardi Albuquercquii.* 65

Pernambucenſis provinciæ portus 204. *flumina, territaria, urbes, pagi.* 205. *Ingenia.* 206

Pernambucenſis ſoli laudatio. 536

Petrus Viſtus Nigrita prædonum anteſignanus. 323

Philippæa Arx Paraybæ, nunc Frederica. 116

Picardus in prædones mittitur. 127

Picardus & Lochmannus cæduntur. 314

Pigritia animal. 222

Pinda-una pagus Paraybenſium. 119

Piraembu piſcis. 224

Piretaguari avis. 223

Pontificiorum cancelli: 526

Populationis quis finis eſſe debeat. 319

Portus Calvus. 68

Potoſini montis deſcriptio. 467

Potorij calices, Calabas. 212

Poyuca. 67

Præfectura Fluminis Grandis deſcriptio. 123

Prælium cum Ludovico de Borgia 43

Prælium navale inter Scapium & Hiſpanos. 125

Prælium navale inter Galeones tres & quatuor naves Belgicas. 263

Promontorium Corſicum, C. Corſo. 93

Promontorium Corientes. 155

Pſittaci. 223

Puelcarum natio efferа inter Chilenſes. 434

Puntalium oppidum in Flum. Grandis præfectura. 206
Puraqua, torpedo. 225

Q.

Q*Verelæ* Comitis. 165
Querela de malè inſtructis navibus, malè veſtito milite. 237. *de minoribus navigiis.* 238. *de ærario.* ibid.
Querela Legati Luſitanorum Regis. 380. *Reſponſio.* ibid.

R.

R*Ationes, ob quas Inſulam Vazij Reciffæ necti per pontem placuit.* 249
Rationes populandi hoſtiles terras. 320
Rationes, ob quas ditiones Africanas Braſilio imperio jungi expediat. 347. *ſecus viſum Societatis rectoribus.* ibid.
Rebellio Maragnanorum. 403
Reciffa ſive Receptus, unde ſic dictus. 66
Reciffa præfertur Tamaricæ. 87
Reductus Dominæ Brunonis. 228
Regiones Auſtrales Vcaorum in regno Chilenſi. 442
Renatus Cabilionenſis Naſſovius. 552
Reſcripta ad Eccleſiaſtarum poſtulata. 114
Reſponſio Mauritii ad litteras Artiſoſkii. 191
Rex Congi & Comes Sohnenſis ad Comitem ſcribunt. 409
Roſſas, agri. 117
Rudolphi Baronis iter. 417

S.

S*Accharum duplex Vetus & Novum, an idem an diverſum.* 119
Sacchari elaborandi ratio. 121

Saccha-

Sacchari forma varia. 112
Saccharum aliud molle, aliud concretum. ibid.
Saccharum concretum à forma aliud Pyramidale, Miſcellaneum, Cantium & Penidium ibid.
Saccharum Pyramidale diſtinguitur in Maderenſe, Canarium, Finale, Meliſſum & Thomæum. ibid.
Sacchari cultura. 216
Sacchari proventus quantus olim fuerit. 534
Salinæ apud Vpamemam. 380
Scaddæus centurio Arcem in Maragnana provincia capit. 376
Schola aperta. 76. *catecheſes ſcriptæ.* ibid.
Scuppius in Alagoas abit. 69
Scupius præliatur mari cum Hiſpanis. 125
Scuppij civitas. 230
Bebaſtianus Soto *Luſitanus* 62. *fallit Picardum.* ibid.
Senatus Secretioris & Politici laudatio. 77
Senatus Politici Senatores qui. 217
Seregippam Capitaniis accenſet Oliveira. 42. *armentis abundat.* 107
Sereg ppa. 534
Serinhamum. 67
Servatii Carpentarii Aſſeſſoris laus. 203
Servorum alij Afri, alij Braſilienſes, vel ex Maragnone trá ducti 115
Siarenſes pacem à Comite petunt. 110
Siara deſcriptio. quales olim indigenæ. 112
Siarenſium defectio. 493
Sigilla provinciarum. 167. *Supremi Senatus. Politici Senatus.* ibid. *Pernambucenſis Curia, Tamaricenſis, Paraybenſis, Flum. Grandis.* 168
Sigiſmundus Scuppius. 44
Simon Alvares de la Benha Doctor. 415
Sinus Valentinus. 457
Societas Orientalis mercatur & præliatur. 13
Societas Occidentalis & Orientalis, hoſte Velaviam & Amersfortiam tenente, ſuo milite, opibus & armis Patriam juvant. 28

Societas Occidentalis antea diſtracta fuit in plures mercatus 100
Songo regio & civitas. 411
Sorlingæ Caſſiterides Ptolomæi creduntur. 50
Status Braſiliæ antè adventum Comitis. 42. *ſtatus belli.* ibid.
ſtatus politicus. 43
Status Braſiliæ exhibitus per Ade. Duſſium. 204
Status rationum ærarij. 324
Status militiæ exhibitus per Tolnerium. 395
Status Braſiliæ referente Mauritio. 533
Strutio. 223
Summa geſtorum à Mauritio. 556
Supplicium ſumitur de ignavis Ducibus. 313

T.

Tabulæ Braſiliæ Mauritianæ quatuor. 41
Tamarica Ingenia. 206
Tameadoa 222
Tapujæ Braſilianorum natio efferа. 72
Tapujarum legati Comitem adeunt. 124
Tapujarum tria millia ſe Belgis jungunt. 303
Tapujarum deſcriptio, regiones. 418. *corporum habitus, mores, arma, rex.* 419. *lotionis ritus. victus, exercitia.* 420. *amores, Sponſæ, Sacerdotes & exorciſtæ.* 421. *infantum inciſio.* 423 *nobiles, matrimonia* 424. *ſacra, medicina.* 425. *piſcatura.* 426. *numen, purgandi modus.* 427. *feſta, certamina, anguibus veſcuntur, amicorum cadavera vorant.* 428. *etiam oſſa & capillos, Regis inaugurandi mos.* 429. *animas immortales credunt, panis conficiendi modus.* 430. *Iandovius Rex. ejus facinus crudele.* 431
Tapujarum Rex filios ad Comitem mittit. 530. *Tapujæ aliquot unà trajiciunt.* ibid.
Tatuſia 222
Teca genus farris apud Chilenſes. 456
Teju lacerta 223
Termini Navigationis in Occidentem conſtetuti. 24

Tigri-

Tigrides. 222
Tourlonius hoſtem vincit. 303
Trajecti ad Moſam irruentem Papenheimium reppulit Mauritius. 47 & 48
Triplex hominum ordo, cui imperandum. Militares, mercatores, & cives. 500
Truxillum. 42
Tuberones piſces. 225
Tucana avis. 223
Turris Garcia d' Avilae 106
Tupuja reticulum, quo infantes geſtant Braſilienſes. 37

V.

Velitationes Mauritij cum Banjola. 59
Vendere homines quibus familiare, quibus non. 76
Veſpucius. 24
Veterum de imperio maris contentiones. 8
Vidalius & Pachecus Pernambucum veniunt. 402
Villa rica civitatis & provinciæ nomen in Chili. 444
Vlmeni præfecti Chilenſium. 449
Vna vel Huna fluvius & pagus. 58. & 68
Vnni arbor apud Chilenſes. 456
Vrbs Spiritus ſancti fruſtrà tentata. 321

Y.

Ypupiapra Tritones. 225

Z.

Zabucales arbores. 226
Zaire fluvius Æthiopiæ. 410

FINIS.